



Sermonum decas tertia : de rebus quarum elenchum in fine libri inuenies

<https://hdl.handle.net/1874/423320>

300

2

SERMONVM

Decas tertia.

De rebus quarum elenchum in fine
libri inuenies, ad Serenissimum Angliæ
regem Eduardū Sextum, authore Hein-
rycho Bullingero.

*ACCESSERVNT huic Decadī tertiæ ex quarta Decas
de Sermones duo, De Euangelio & De Penitentia. Reliqui eius
Decadis Sermones octo, propediem, uolente deo, seorsim & pecus-
liari libro edentur.*

TOMVS SECVNDVS.

I E S V S.

HIC est filius meus dilectus, in quo placata est
anima mea, Ipsum audite. Math. 17.

TIGVRI APVD FROSCHOVERVM,
Mense Martio, Anno D. M. L.

SERMON

By the Rev. Mr. [Name]

Preached at [Location] on [Date]

[Faint text block]

STONKS ST GARDY

[Faint text]

[Faint text block]

[Faint text block]

SERENISSIMO ANGLIAE ET

FRANCIÆ REGI, HYBERNIAE DOMINO,

Vallia & Cornubiæ Principi, Christianæ fidei defensori,

Eduardo eius nominis Sexto, Gratiam & pacem,

à deo patre, per dominum nostrum

Iesum Christum,



DMITTERET ad colloquium Regia tua maie-
stas, sat scio, si quis nouus hospes adueniens promit-
teret ex sapientiss. hominū sententijs ostensurum se
paucis uerissimas felicitatis uel infelicitatis cuiusq;
regni omniumq; regū causas: ideoq; me nullatenus
R. T. M. colloquio excludendū spero, qui certò pol-

liceor breuibus ipsissimas causas uel felicitatis uel infelicitatis & regum
& regnorum, tam clare & euidenter demonstraturum, ut auditori nulla
opus sit laboriosa diligentia, sed duntaxat beneuola attentione. Etenim, deo
adiuuante, hoc negotium non modo percipiendum ingenio, sed etiam ocu-
lis quasi conspiciendum, & ueluti manibus palpandum exhibebo, idq; non
ex dubijs hominum placitis, sed ex certissimis ueracissimi dei oraculis. Fal-
lunt non raro consilijs suis etiam sapientissimi homines, ac ingentia dant
damna obsequentibus ipsorum consilijs. Deus uero, qui lux est & sapien-
tia eterna, nunquam errare, nunquam ullas prauas uel inter se consiligen-
tes sententias concipere, nedum alijs suggerere, neminemq; prorsus sedua-
cere potest. Clamat in sacrosancto euangelio sapientia patris, & ait, Ego
sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lu-
men uitæ. Hæc æterna dei sapientia ut res ipsas non inuoluit, sed explicat,
sic non modo salutaria sufficit consilia, sed & euentum præstat exopta-
tum obsequentibus. Sepissime quidem non insalubria dantur ab homini-
bus consilia, sed illud interim præteritur quod maxime & in primis di-
ctum oportuerat. Consenserunt omnes fere sapientes orbis, reges & regna
fore felicissima, si rex regno sapiens præsideat, habeatq; multos à consilijs
uiros prudentes, senes, fidos, rerumq; peritos: si habeat duces fortes, exer-
citatos, & in rebus bellicis fortunatos: si instructus sit copia rerū: si probe

D E FELICITATE ET INFELICIT.

undiquaq; munitum sit regnum: deniq; si populus sit cōcors & obediens, Ac uere quidem, recte & prudenter dicuntur hæc omnia, uerum est aliud quidpiam singulare & excellentissimum, quod in his non commemoratur, sine quo nulla uera felicitas uel comparari uel conseruari potest: quo deniq; uno presente, enumerata illa omnia sua sponte accidunt. Dominus ergo deus noster, qui solus & sapientissima & absolutissima suggerit consilia, succinctus & melius ita pronunciat in euangelio, **Matth. 6.** *Quin potius querite primum regnum dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis.*

Lucæ 10. *Et iterum, Beati oculi qui uident quod uos uidetis. Dico enim uobis, quod multi reges & prophetae uoluerunt uidere & audire quæ uos uidetis*

Lucæ 11. *& auditis, & non uiderunt nec audierunt. Et iterum, Quinimò beati sunt qui audiunt uerbum dei, & custodiunt illud. Ac unum quidem hoc est necessarium. Maria bonam illam partem delegit, quæ non auferetur ab ea.* Diuini ergo instructus oraculis, ex sententia planè diuina pronuncio, illos reges fore felices, qui semetipsos totos, & regnum suum totum, Iesu Christo, unigenito dei filio, regi regum, & domino dominorum, & offerunt & subiiciunt, illum agnoscentes summum esse principem & monarcham, se uero illius uasallos, feudatarios, uel seruos: qui deniq; in omnibus non suum arbitrium, non hominum uel leges cum diuinis pugnantes, uel intentiones hominum bonas, sed ipsissimas summi & aeterni regis uel monarchæ leges duntaxat & sequuntur & regno sequendas tradunt, omniaq; sua ad normam uerbi dei unicâ reformant. Sic enim & florentissimis, tranquillissimisque fruuntur regnis, & in his reges opulenti, uictoriosi, longæui, et felicissimi erunt. Ad hunc enim modum loquitur os domini, quod mentiri nescit, **Deut. 17.** *Cum sederit rex in solio regni sui, accipiet librum legis dei, ut legat in eo cunctis diebus uitæ suæ, & faciat ea, nec recedat ab ea, uel ad dextram uel ad sinistram, ut proroget dies in regno suo ipse & filij eius. Et iterum, Non recedet liber legis dei ab ore tuo (ô Iosue, uel quisquis es ô rex) sed meditaberis in eo die & nocte, ut custodias & agas iuxta omne illud quod scriptum est in eo, nec recedes ab eo uel ad dextram uel ad sinistram. Tunc enim prosperum reddes iter tuum, & felix eris. Certissimum ergo testimonioq; ueracissimi dei confirmatum, et disertissimis uerbis pronunciatum est, Regum regnorumq; felicitatē uersari in fide uera, in auscultatione et obedientia*

fidelis

REGVM ET REGNORVM.

fedeli Verbi seu legis dei; infelicitatem autem esse in contrario.

Hoc ipsum consequenti demonstratione, etiam oculis conspiciendum, in tribusq; ueluti palpandum, sicuti pollicitus sum, exhibebo, productis in mediū, non ex Herodoto aut profana, sed ex sacra ueracissimāq; historia regibus maximis. Saul primus Israelitarum rex felicissimus et uictoriosissimus fuit, quoad sequeretur in omnibus uerbum dei; ubi autem suis intentionibus bonis locum dedit, repudiatus à deo, per Samuelem, sibi annunciari audit, Tu reprobasti ac reieicisti uerbū domini, ergo abiicit te quoq; dominus ne sis rex super Israel. Nolo hic multis exponere quantis malis inuolutus sit Saul ab eo tempore. Nam sicut ipse horribiliter exagitabatur à malo spiritu, ita regnū truculenter uexare et excarnificare non desijt, donec abduceret omnes suos in summum discrimen, caderetq; cum suis cæsus crudelissime ab Ethnicis, æterna post se ignominia relicta. Sequitur Saulem in regno Dauid, qui citra controuersiam omnium regum felicissimus fuit. At quanti hic fecerit uerbum domini, ex multis ipsius clarissimis factis claret, in primis uero ex Psalmo illo alphabetico, qui ordine et numero est 119. Hoc enim canit encomium Verbi dei, cuius uim salutiferā mira copia exponit, docens quanto studio ardoreq; hoc persequi conueniat. Didicerat enim ex probris domesticis, et infelicissima Absolomis filij sui seditione, quantum malum sit desistere à uerbo domini. Solomon Dauidis filius regis totius orbis et sapientissimus et laudatissimus, catenus felicitatē laudēq; obtinuit, quatenus uerbo domini religiose obtemperauit. Quamprimū uero prauaricaretur legē domini, audit à domino, Quandoquidem hoc apud te fuit, nec seruasti fœdus meum, et statuta mea quę tibi præcepi, omnino rescindam à te regnū, et tradam illud seruo tuo. Certē à morte Solomonis regnū in duas partes est discissum, et decē tribus secutę sunt Ieroboam seruum Solomonis. Duę tribus adhæserūt Ieroamo filio Solomonis. Hic quoque et ipse negligit uerbū dei, deosq; sequitur alienos, multis adobruit calamitatibus. Scriptura enim commemorat, Aegyptios ascendisse contra Hierusalem, ac templum, regiam et urbem diripuisse. Abia filius Ieroam cecidit exercitum Israeliticum, et uictoriam reportauit magnificam, uulneratis occisisq; ex decem tribubus quingentis milibus. Nec alia commemoratur huius uictorię causa, quā quod credidisset uerbo dei. Abiæ patri

Saul 1. Sa
muelis 13.
14. 15. & 6.

Dauid.

Solomon
1. Reg. 4.
& 11.

Roboam
2. Par. 12.

Abia 2. Pa
ralip. 13.

DE FELICITATE ET INFELICIT.

- Asa 2. Paralip. 14.** *succesit in regno Asa filius, rex inclutus & potentissimus, de quo scriptura sancta comemorat, quod superstitiones suslulerit è medio, uerã uero religionem iuxta uerbũ dei restituerit: unde & regnum consecutus sit florentissimum & tranquillissimum per annos quadraginta. Rursus de Iosaphat filio Ase legimus, Fuit dominus cum Iosaphat, quoniam ambulauit in uijs Davidis patris sui primis, nec quæsiuit Baalim, sed deum patris sui quæsiuit, & in præceptis eius ambulauit. Opibus ergo uere regijs, & uictorijs celeberrimis, toti inclauit orbi. Ceterum filius eius Ioram, quod defecisset à uerbo domini, audit ab Helia propheta, Quandoquidem non ambulauisti in uijs Iosaphat patris tui, & in uijs Ase regis, sed ambulasti in uia regum Israelis, ecce dominus percutiet plaga magna populũ tuum, & filios tuos, & uxores tuas, & cunctam substantiam tuam. Te autem percutiet doloribus magnis, morbo uiscerum tuorum, donec effluant. Quæ autem ipsi natus est dominus per prophetam, ea ipse infandis cum tormentis & summa cum ignominia sensit infelix: exemplum factus infelicitatis miseriq; omnibus ijs obuentur. è, qui deserunt uerbum domini. Nec meliorem sortem expertus Ochosias, Ioram regis Atthalieq; filius, Iehu iubente confossus miserè interijt: eò quod maluisset sequi leges et ritus regum Israelis, quam ipsas domini dei sui leges. Porro Ioas adhuc puer, septẽ annos natus, opera, fide, & industria fidelissimi sacerdotis Ioiadæ in locum patris casti suffectus, interempta impia Atthalia, felicissime regnauit, donec uiueret Ioiada sacerdos. Huius enim suggestione & uigilantia ad normam uerbi domini in omnibus respexit rex. Vbi uero pontifex migrasset ex hoc seculo ad dominum, rex cõsiliariorum suorum uafricie & malitia seductus, uerbum domini reliquit. Simul autem reliquit ipsum felicitas & gloria. Nam Syri, modicis instructi copijs, Iudæorum amplissimas copias fundunt & fugant, omnes regis consiliarios conficiunt, totumq; regnum diripiunt. Rex Ioas hæc inestimabili cum mœrore uidere, simul & diutina tabe consumi, tandem à seruis suis in lecto suo crudeliter iugulari meruit. Amasias filius Ioas, claram consecutus legitur uictoriam, quam de Idumæis reportauit, non aliam ob causam, nisi quod obtemperauisset uerbo domini. Sed idem ille rebellis factus deo & prophetis dei, superatur à Ioas rege Israelitico, à quo etiam spoliatur, diruta interim bona murorũ parte urbis Hierosolymorum:*
- Iosaphat 2. Para. 17.**
- Ioram 2. Paralip. 21.**
- Ochosias 4. Reg. 9.**
- Ioas 2. Paral. 23. 24.**
- Amasias 2. Para. 25.**

morū: ipse quoq; ab insidiatoribus interemptus, miserè occubuit. Successit
 ei Oſias filius, qui & ipse felicitate usus est singulari, donec ori diuino non
 contradiceret: ubi uero eam sibi usurparet functionem, quam Leuitis pro-
 priam uoluit esse dominus, et opponeret se uerbo domini, lepra percussus,
 habitauit in domo separata, exclusus à consortio hominū ad diem usq; mor-
 tis suæ. Porrò diues & uictorijs clarus fuisse dicitur Iotham Oſiæ filius:
 causam huius felicitatis reddit scriptura paucis, dicens, Roboratus est Iotham,
 quoniã direxit uias suas coram domino deo suo. Contra uero Achaz
 filius Iotham, omnium regum Iudaicorum, ut penè impijssimus, ita infelicissi-
 mus fuit. Quoniam enim dereliquit legem domini dei sui, tradidit ipsum ac
 populum eius in manus regis Syrorum, deinde & in manus Israelitarum,
 qui uno die occiderunt centena & uiginti milia Iudæorū, mulierum autem
 & liberorum ceperunt millia ducentena. Idem Achaz cum suis omnis ge-
 neris calamitates expertus, exemplū factus est horrendum omnibus uerbi
 dei prouaricatoribus. Secutus est in regno patrem impijssimū pijsimus fi-
 lius Ezechias. De hoc legimus in sacra historia, Hic fecit quod rectum erat
 in oculis domini, iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius. Is sustulit ex-
 celsa, confregit statuas, succidit lucos, contriuit deniq; serpentem æneum,
 quem fecerat Moses, cui adolebant filij Israelis incensum. Fiduciam colloca-
 uit in domino deo Israelis. Adhærebat enim domino, nec deflexit ab eo, ser-
 uans præcepta eius, quæ mandauit dominus Moſi. Audiamus uero iam etiã
 quid hanc eius obedientiam & fidem sit consecutum. Sequitur in sacra hi-
 storia, Et fuit dominus cum eo, ut felix esset in omnibus ad quæ egrediebatur.
 Hoc regnante fracta est uetustissima & potentissima orbis monarchia
 Assyriorum. Cum enim rex Assyriorum Senacherib urbem Hierosolymorum
 obsideret, una nocte trucidauit angelus domini in castris Assyriorū
 militum centena octogintaquinq; millia. Sed & princeps Babylonicus ho-
 norifica legatione missa ad Ezechiam, amicitiam eius, regijs donis oblatijs,
 studiose ambiuit. Gloria enim principis pijsimi iam in toto innotuerat or-
 be. Rursus cū patris pietatē non imitaretur exprimeretq; impijssimus filius
 Manasses, rex factus annos natus duodecim, sed responderet ex aduerso uer-
 bis dei, omnemq; superstitionem à parente abolitam reduceret, captus ab-
 ducitur in Babylonem: & quamuis restitueretur diuina bonitate & miseri

Oſias 2. Paralip. 26.

Iotham 2. Paralip. 27.

Achaz 2. Paralip. 28.

Ezechias 4. Reg. 18.

Manasses 4. Reg. 21.

DE FELICITATE ET INFELICIT.

Ammon
4. Reg. 21.

Iosias 4.
Reg. 22.

cordia, moriens tamen afflicto lacerum; regnum reliquit filio suo Ammon
ni, qui et ipse infelicissimus propter rebellionem, duobus duntaxat annis
regnavit, tandem a seruis suis confossus miserè interijt. Surrogatus est mor
tuo patri in regno filius Iosias, puer adhuc, annos cum coronaretur natus
octo. Hic regum Iudaicorum corona et gloria extitit singularis. Regnavit
tranquillissime, et modis omnibus felicissime, annis triginta et uno. Cate
rum predicat scriptura ueracissima Iosie fidem et obedientiam, quam uer
bo dei religiosissime prestavit, quam et insignis illa felicitas est consecuta.
Nihil commouerunt ipsum monita consiliariorum patris sui Ammonis. Cum
semel audisset uerba libri legis reperti in templo ab Hilkia pontifice, totum
se deo et uerbo eius concredidit. Nec expectata aliorum regnorum uel
regum sententia aut reformatione, mature suis consulens, reformare cepit,
maxime anno uitæ 18. Et in ipsa reformatione solius scripturæ sanctæ sen
tentiam, non regum uel maiorum facta, uel longi temporis præscriptionem,
aut plurium suffragia sibi sequenda existimauit. Conuocatis enim suis, et his
proposito in medium libro legis dei, ad regulam uerbi dei omnia instituit.
Inde factum legimus, quod uetustissimis templis, à Solomone et Ieroboamo
collocatis, contra legem dei, antiquissimisque ritibus, minime sit parsum.
Breuiter, subuertit hic rex quicquid contra uerbum dei erectum stabat in
ecclesia et regno Iuda uniuerso. Ac ne quis calumniaretur ipsum nimis
fuisse uel audacem uel rigidum, scriptura hoc ipsi fert testimonium, Ante
eum non fuit talis rex, qui conuersus fuerit ad dominum in toto corde suo,
tota anima sua, totisque uiribus suis, iuxta uniuersam legem Moysi: nec ex
ortus est post eum talis. Ergo quod hic laudatissimus et felicissimus rex
tandem in acie uictus occubuisse legitur, sub felicitatem, non miseriam, esse
referendum. Nam ipse dominus ad Iosiam dixit, Colligam te ad patres tuos,
et sepelieris in pace, ne oculi tui in idum uideant, quod inducam huic loco.
Populum enim, ac ipsos etiam principes regni, sub sanctissimo rege hypochri
tas fuisse, illud maxime arguit, quod extincto patre, filij et proceres regni,
protinus uerbo dei repudiato omnem superstitionem et impietatem reuoca
runt. Proinde legimus integris uiginti duobus annis, quibus post mortem Ios
ie regnatum est adhuc a regibus Iuda, nullam pacem uel securitatem fuisse, sed
seditiones et caedes perpetuas. Regnavit post Iosiam patrem filius Iosias:

HERVUS

REGVM ET REGNORVM.

rerum post tres regni menses, captus abducitur in Aegyptum. Coronatur post fratrem abductum Ioachim, sed undecimo regni anno catenis uincitur & occiditur à Nabuchodonosore, sepeliturq; sepultura, ut Ieremias ait, Asini. Surrogatur filius Ioachimi Iechonias, sed post tres menses captus, unà cum proceribus & facultatibus totius regni, in Babylonē abducitur. Regnat post ipsum Zedechias Iosia filius: sed quia noluit obedire uerbis domini, per Ieremiam prædicatis, & uitam & regnum amittit, anno regni undecimo. Simul autem inflammatur templum, et diruitur urbs sedes regni uetustiss. populus uel trucidatur, uel abducitur in durissimam captiuitatē. Hæc hæctenus de regibus Iuda. Nam in Zedechia defecit & regnum & regia dignitas uel maieestas.

Ioachas,
Ioachim,
Iechonias,
Zedechias
4. Regum
23. 24. 25.

His si coniungamus fata regum Iſraelis, rursus confiteamur oportet, omnem felicitatem regum & regnorū existere ex obseruantia uerbi domini, infelicitatem miseriamq; ex contemptu & neglectu legis dei. Nam Iero boam, primus Iſraelitarum rex, præterito uerbo dei, nouos ritus uel nouum dei cultum instituit, nouaq; templi fundauit, sed ea re & se & domū suam & totum regnū pessundedit. Sequitur cum in regno & in religione rex Baasa, ipſus ergo cum suis perijt. Succedit Anri pater Achabi, qui cum au geret impietatem, horribiliter trucidatur cum filijs & cum tota sua familia, ita ut ne unus quidem euaderet gladium dei ultorem. Et quia Iehu fidelis & strenuus fuit in occidendis hisce tyrannis, in conficiendis item sacerdotibus Baalis, & in euertenda idololatria, audit sibi annunciari à domino, Quandoquidem zelo quodam fecisti quod fecisti, iuxta omnia quæ fuerunt in corde meo, ecce sedebunt filij tui super solium Iſraelis in quartā usq; generationem. Et certe legimus illustres fuisse principes qui ipsum in regno sequuti sunt filij & nepotes, Ioachas, Ioas, Ieroboā eius nominis secundus, & Zacharias. Reliqui reges, Sellum, Manahem, Pekaiab, Peka, et Osee, huiusmodi omnino regnum obtinuerunt, quale filij Iosia, id est se ditiosum, turbulentum, & calamitosissimum. Nam spreuerunt os domini. Ergo funditus excisi, & ab Assyrijs uel cæsi uel in captiuitatem subducti sunt. Regum Iſraeliticorum post Solomonē à diuiso regno numerantur decem & nouem, Iudaicorum decem & octo. Regnarunt illi annos circiter duccentos septuaginta duos; hi uero circiter treccetos nonaginta tres. Potue

Iſraelitarū
reges.

DE FELICITATE ET INFELICIT.

runt autem tot annis & in gēte dei famosissima, quæ ceu speculum quoda-
piam omnibus proponebatur populis, uerissimæ felicitatis uel infelicitatis
& regum & regnorum omnium in toto orbe terrarum cauisse, clarissi-
me plenissimeq; proponi, ut nihil necesse sit aliunde declarationem petere
illustriorem.

Reges
exteri.

Interim tamē non destituimur uel externis exemplis. Pharaones enim
& seipfos & regnum Aegypti uetustissimum, sola rebellione contra uera-
bum dei pertinaciter instituta, perdidērunt. Rursus sensit felicitatem ma-
ximam Darius Priscus, & Nabuchodonosor magnus, ex eo quod non spre-
uissent Danielis consilia. Baltasar rex Babylonius, contēptor dei & uerbi
diuini, interit una nocte cū omnibus suis, capta, incensa, direpta & diruta
urbe uetustissima & in toto orbe famosissima Babylone, regnoq; traslato
ad Medos et Persas. Nec infelices fuerunt reges Persarū, Cyrus et Darius,
Artaxerxes dictus, quod fauerent uerbo dei, & uerum dei cultum popu-
lumq; prouherent. Contra uero infelicissimus fuisse legitur Antiochus,
licet Epiphanes cognominatus, qui ueluti bello cū deo impiissime suscepto,

Reges Chri-
stum perfe-
quentes &
adorantes.

factos etiam codices exurebat. Præterea non minor est nobis copia exem-
plorum ex historijs eorum quoq; temporum quæ insequuta sunt ascensio-
nem Christi domini in cælos. Quotquot enim Imperatores Romani, Reges
& Principes euangelicam domini nostri Iesu Christi prædicationem &
ecclesiam Christi persequuti sunt, idololatriam autem & superstitionem
prouexerunt ac propugnarunt, ignominiosa morte interierūt. Testes sunt
Eusebius & Orosius historici clarissimi. Rursus commemorat beatus Au-
gustinus s. libro de ciuitate dei, uictorias, gloriam & felicitatē absolutissi-
mam cœlitus illis concessam regibus, qui uera fide Christum amplexi, ido-
lolatriam & superstitionem subuerterunt. Claret ergo felicitatem parari
studio & obedientia uerbi dei, infelices fore omnes reges & regna om-
nia, quæ relicto uerbo dei ad humanas cōuertuntur inuentiones. Idq; adeo
manifeste me declarasse hucusq; spero, ut auditores rem non tantum intel-
ligere & oculis coram cernere, sed ueluti ambabus manibus tenere ui-
deantur.

Quorsum uero hæc omnia tendunt? Ut R. T. M. pro indubitato, imò
pro compertissimo teneat, ueram felicitatem & parari & paratam retine-
ri

REGVM ET REGNORVM.

veri fidei studio uerbi dei, nimirum si & temetipsum totum, & regnum
 uniuersum Christo summo principi subijcias, omniaq; religionis & iusti-
 tia negotia in toto regno tuo ad regulam uerbi dei cōponas, si ab hac unica
 regula nussiam uel latum pilum discedas, Christi regis regum regnum pro-
 pages, Antichristi uero (uti feliciter cœpisti) subuertas atq; conculces. Non
 quod mea admonitione uel doctrina indigeat R. T. M. Habet in ani-
 mo haud dubie doctorem illum cœlestem, suggerentem omnia uera uera re-
 ligionis dogmata. Habet librum illum omnium sacerrimum Sacra Biblia,
 in quibus ut in regula uel canone perfectiss. totum pietatis ueraq; salutis
 nostrae negotiū absolutissime continetur ac traditur. Habet doctos, sapien-
 tes, pios, fideles in regno doctores & pastores multos. Habet proceres re-
 gni consiliariosq; plurimos, fidos, fortes, iuris diuini & humani consultis-
 simos, prudentissimos & ueritatis syncerae amantissimos, etiam apud exte-
 ras gentes laudatissimos. Quo nomine in primis felicem predicant pij om-
 nes R. T. M. Cæterum non spreuit beatissimus rex Ezechias (licet opera-
 ueretur clarissimorum uirorū Isaia & Michea) monitores fideles, uel ex
 gregarijs Leuiticis: neq; hi existimabant se regem admonendo oleū & ope-
 ram perdere. Ego itaq; regia tua pietate fretus, spero & hanc meam dis-
 fertationem breuem de ueris causis felicitatis uel infelicitatis regum re-
 gnorumq;, suam & locum & fructum habituram. Certè qui ante annos
 XII. felicitis memoriae parēti tuo Henrycho, eius noninis VIII. lib. de Au-
 thoritate scripturae sanctae, & Episcoporum institutione et functione, con-
 tra superstitionis tyrannidisq; Romanae antistites, inscripsi, ac expertus
 sum eum laborem in Anglia non nullum protulisse fructum salutarē: idem
 nunc quoq; ausus sum T. R. M. hos meos Sermones dedicare. Tracto in his
 Christianae religionis uerae non postremos locos, legem, peccatum, gratiā,
 euangelium & pœnitentiam. Nec hos irreligiose me existimo tractare.
 Vtor enim scripturarum collatione, qua nihil est in tractandis nostrae reli-
 gionis negotijs cum melius tum tutius. Et quia Christianae fidei uerus de-
 fensor es, proculdubio minime erit ingratum quod sub nomine patroci-
 niq; R. T. M. in publicū prodeunt Sermones Christiani. Volui his quoq;
 pietatis negotium in Anglia iam magno cum omnium bonorum gratula-
 tione renascens, pro mea uirili & fide iuuare. Copiosos ergo Sermones

DE FELICITATE ET INFELICIT.

scripsi, ac res ita tractavi ut ex uno parari possint plures. Vbi prudentia
pastorum nullo negotio quid ecclesie cuiq; potissimum conducatur & neces
sarium sit intelliget. Ac pastorum reuera est recte secare uerbum ueritatis,
& pabulum ut a dominico gregi commode administrare. His non ingratum
fuerit, spero, quod in his, iisdem sepe rebus, iisdem argumentis, adeoque &
iisdem uerbis utor, quibus alij ante me cum ueteres tum noui scriptores
(quos scripturas sequutos iudicauimus) usi sunt, denique quibus ipse quoque usus
sum in alijs meis libris antea a me editis. Nam ut doctrina sibi semper &
per omnia consentiens tutior est, ita semper laudari meruit a bonis omnia
bus. Si dominus uitam, otium, uiresq; concesserit, breui alios quoque Sermo
nes octo Decadis 4. residuos adijciam. Omnia autem haec profero saluo
semper & illibato orthodoxae ecclesiae iudicio. Dominus Iesus, rex regum
& dominus dominantium, ducat te spiritu suo, & tueatur ad gloriam no
minis sui & totius regni incolumitatem. Tiguri, Mense Martio Anno
domini 1550.

R. T. M.

deditus. H. Bullingerus, Tigurinae
ecclesiae in Heluetia minister.

SERMONVM DE

CAS TERTIA, AVTHORE

HEINRYCHO BVL

LINGERO.

De quarto secunde tabule præcepto, quod in decalogo octauum est, Non furtum facias. De proprietate rerum, iusteq; parandis opibus, contra furti species uarias. SERMO I.



AD VITAM familiamq; sustentandam alendamq; opus est homini facultatibus terrenis, proxime itaq; post mandata de uita conseruanda & matrimonio sancte colendo, quarto mandato præcipitur de facultatibus siue opibus, nimirum recte parandis, possidendis, usurpandis, administrandisq; ne eas paremus furto aut artibus malis, ne possideamus iniuste, neue usurpemus aut dispensem illegiume. Iustitia exigit ut rebus bene utamur, & ut suum cuiq; tribuamus: & cum leges diuinæ, iustitiæ sint leges, necessario præcipiunt, **NON FVRTVM FACIAS**. Habemus rursus uerba op

Præceptū dei.

pidi pauca, sed sensus eorum paretaissime. Prohibetur enim hoc mandato ipsum furtum, prohibentur omnes artes malæ, dolus malus, omnis impostura, adeoq; ipsa auaritia, prohibetur otium, prodigalitas seu profusio, & omnis iniustitia: præcipitur præterea iustitia, maxime in contractibus & commercijs. Certe ex acquisitione possessione & dispensatione bonorum temporalium mirificæ excitantur in mūdo apud homines turbæ: oportuit ergo deum in lege sua, qua hominum saluti commodo & tranquillitati consulit, modum statuere, & certam rationem bonorum terrenorū indicare: id quod hac lege præstitit: quæ quo rectius intelligatur, dicemus in præsentia, domino inspirante, de proprietate rerum, rebusq; iuste parandis, in qua quidem tractatione aperiet sese uniuersa furti consideratio per species eius uarias.

Proprietas enim & possessio rerū non prohibetur mandato hoc, *De proprietate rerū.* sed ne paremus opes ullas artibus iniustis, ne possideamus iniuste, aut dispensem inique: imò statuitur & confirmatur hoc præcepto rerum proprietas. Prohibet enim furta dominus, ergo statuit & con

firmat rerum proprietatem. Quid enim furari possis, si omnia sint communia? Tuum enim non alienum surripuisti, si alteri suam suffuratus fueris substantiam. Sed prohibet deus furti, ergo rerum proprietatem munit hac lege lata. Quoniam uero sunt non pauci ex furiosa Anabaptistarum turba, qui negant rerum proprietatem, apertis aliquot scripturæ testimonijs illam demonstrabo. De Abraham, qui in sacris appellatur pater fidei, prædicat Eliezer, & dicit, Locupletatus dominus herum meum insigniter, ut potens seu opulentus sit, deditq; illi greges & armenta, argentum & aurum, seruos & ancillas: ac dedit filio suo omnia quæ habet. En locuples fuit Abraham, & possedit proprietatis iure, quæ ipsi dedit dominus: & ista omnia hæreditatis titulo ut peculium filio reliquit. Ergo opes proprias possedit Isaac & Iacob. Deus quoq; per Mosen induxit Israelitas suum populum in terram promissam, in qua sorte tribus per Iosue distribuit terram, singulis suis assignatis possessionibus: sed & legibus cauit ne illæ confunderentur. In Solomone & Prophetis sunt præceptiones & sententiæ multæ huc pertinentes. Scio autem quid obijciant turbatores, Hæc testimonia è ueteri testamēto petita non constringere Christianos. Et quanquam demonstrare possem illos locos in tali nos causa constringere, malo tamen breuitatis gratia certa aliquot testimonia ex noui testamenti scriptis proferre. Laudat dominus Iesus in suis cultoribus opera misericordie, quod pascent esurientes, potant sitientes, induunt uestibus nudos, captos & ægrotantes inuisunt, & exules atq; uagos inducunt in ædes suas. Concedit ergo suis rerum proprietatem, ex qua præstent alijs beneficentiam, & indigentibus quidem. Sublata autem rerum proprietate, sublata erit & beneficentia eleemosynarum. Nam si omnia sunt cõmunia, nihil tu de tuis, sed omnia ex communibus bonis elargiris. Sed apostolus Paulus ad Corinth, iubet quemlibet apud se eleemosynam reponere, quam ipse accipiat ab eis, ubi Corinthum redierit. Præcipit item tantum quisq; conferat, quantum suggerit animi promptitudo, & quantum quisq; possidet, non quantum non possidet: neq; ita conferat ut accipientibus sit superfluitas, dantibus autem angustia & indigentia. Idem apostolus, Obscramus uos fratres, inquit, ut in hoc incumbatis, ut quæ sitis & agatis res proprias, & operemini proprijs manibus uestris, sicuti uobis præcepimus: & ut uos geratis honeste erga extraneos, & nulla re uobis sit opus. Huius generis alia ex alijs epistolis proferre possem: sed sufficiunt hæc abunde de testamento esse permissam.

Legimus sane in Actis apostolorum priscis & apostolicę ecclesię *Quomodo*
 indigenis omnia fuisse cōmunia: sed adiungitur in eodē libro quę *apostolorū*
 declarant qualis illa fuerit cōmunio. Nemo eorū quę possidebat, ait *atate omnia*
 Lucas, suū esse dicebat. En possidebant primi Christiani domos pro- *nia fuerint*
 prias, proprios agros & proprias opes alias: sed ita interim posside- *communia.*
 bant, quasi non proprię sed aliorū quoq; & ueluti cōmunes essent,
 ut nihilo minus proprietatis ius maneret apud possessores: sicubi ue-
 ro postulare necessitas, uendebant agros aut ædes, & inopię subue-
 niebant egentium. Si uendebant, certē propria erant quę uendebāt.
 Nullus enim uir bonus uendit aliena, sed propria aut ea quę tan-
 quam propria accepit procuranda. Pręterea S. Petrus totā hanc com-
 ponens controuersiam, ad Ananiā dicit, Nōne profus tibi mane-
 bat ager, & uenundatus adhuc in tua erat potestate? Quorsum ergo
 attinebat mentiri spiritui sancto, & fraudare de pretio agri, interim
 nihilo minus quasi totum conuuleris pretium profiteri? Potuisset A-
 naniās agrū non uendere, & cum uendiderat, nihilo minus retinere
 integrā pecuniā: non fuisset ea de causā ex sanctorum ecclesia exclu-
 sus uel exturbatus. Liberū ergo erat, ut hodie quoq; est, uendere uel
 non uendere possessiones, & in cōmune conferre sustentandis pau-
 peribus. Proinde locus ille in Actis apostolicis non tollit ius proprie-
 tatis, neq; precipit cōmunionē talē, qualē Anabaptistę uolūt statuere.
 Et quoniam intelligo quosdā ualde pertinaciter literę inhærere &
 urgere communionem illam, non pigebit & aliorum de hoc iudi-
 cium C. V. recitare, eorum inquam qui ex scripturarum collatione
 hoc negotium illustrissimum planē reddiderunt. Quod Acto 2. legi-
 tur, Omnes autem qui credebant erant coniuncti, non est intelligen-
 dum quod monachorum more desertis quisq; proprijs ædibus, in
 communi iisdem ædibus conuixerint, sed ut statim eodem loco sub-
 ditur, In templo erant quotidie perdurantes unanimiter: non quod
 in ædibus suis interea non comederint aut necessitati naturę consu-
 luerint, aut quod uniuersi suas uendiderint ædes, cum mox subijcia-
 tur, Frangentes panes per singulas domos. Si panes per singulas do-
 mos fregerunt, respondeant isti per quas domos Christiani Hieroso-
 lymis panes fregerint. Per infidelium ne? Non opinor. Ergo per fi-
 delium domos frangebant panem sumentes cibum. Quomodo igitur
 uniuersi domos suas uendiderunt aut reliquerūt, quomodo cœ-
 nobitarum more cohabitarunt? Nihil ergo est aliud quod Lucas di-
 cit, Quotquot crediderant erant coniuncti, quām erant frequentes
 in templo. Nihil ergo fuit illa communicatio bonorum inter Chri-
 stianos aliud quām quod ditiores domos, agros & prædia uende-

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

bant ut collaris in unum pecunijs succurreretur pauperioribus, ne famis improbitate adacti ad Iudaismū reuererentur. Quin plerisque Actorum locis legimus Christianos domos & propriarum facultatum sibi retinuisse administrationem, ut Acto. 9. legitur de Tabitha quæ plena fuerit operibus bonis, tunicas & uettes faciens uiduis & pauperibus. 12. cap. legimus Petrum apostolum eductum ē carcere uenisse ad domum Mariæ matris Ioannis cognomento Marci, ubi multi erant congregati orantes. Non dicit habitantes, sed orantes, ut intelligas in ea domo conuenisse ecclesiam ad orandum. Rursus cap. 9. manet Petrus apud Simonē coriariū dies multos, utiq; apud hominem Christianū ædes suas retinentem. Et cap. 11. discipuli prout cuiq; suppetebat, subsidium mittebant fratribus habitantibus in Iudæa. Ecce, Prout cuiq; ait, suppetebat. Quid autem cuiq; suppetere potuisset, si nihil posse dissentit. 16. cap. Lydia purpuraria cum esset baptizata dicebat, Si me fidelem domino indicatis, inroite in domum meam, & manere apud me. Cur non dicit, Vendite domum meam: sed, Inroite in domum meam: nisi quia iam domū suam possidebat fidelis facta, ut hanc & apostolis cōmunem faceret. Et cap. 20. gloriatur Paulus se non concupiuisse ullius aurum, argentū aut uestem pretiosam. Quam haberent autē ista rationē, si non liceret Christianis reuere rerum suarum possessionem? Et cap. 21. Philippus Cæsariæ domum & quatuor filias habet. Cur domum suam non uendidit? Et Philemon hospes Pauli, non solum domū, sed & seruum habet. Relinquitur ergo pro comperissimo, consiliū sancti spiritus minime fuisse, ut tale uix genus statuatur quale isti fingunt, sed ut quisq; domum suam bene gubernet, & fratrum necessitatibus pro sua uirtuti consulat. Huc pertinent loci quorū alij, 1. Timoth. 5. ad Titum 2. 1. Thess. 4. & 2. Thessal. 3. Et cum in omnibus propē epistolis patrenibus & liberis, cōiugibus, dominis & seruis præcipit quid agāt, qd aliud q̄ administrationē domesticā bene instituit? Hæc hæctenus.

Quid quod diuites fuisse dicuntur multi in euangelio & in scriptis apostolorū cultores dei? Ioseph ab Arimathæa, qui dominum crucifixum sepeliuit, & diues & discipulus Christi fuisse prædicatur. Diuites erant mulieres quæ dominum sequuntur à Galiliæa, domino & discipulis ex suis subministrabant facultatibus. Diues erat Eunuchus reginæ Candaces thesaurarius. Diues fuit Ioppenfis Tabitha, quam S. Petrus ē morte reuocauit in uitam, ac diuitias illas suas liberaliter sparserat in pauperes. Diues fuit Lydia purpuraria. Diuites suere innumeri alij uere pijs & fideles. Ergo quod dominus adoleſcens dicit, Si uis perfectus esse, uade uende quæ habes, & da pauperibus.

ribus, & habebis thesaurum in cælo, & ueni sequere me: non est generalis lex aut doctrina simplex ad omnes pertinens, sed demonstratio duntaxat, quod adolescens ille, ad quem hæc dixit, nondum usque adeo perfecte legem absoluisset, sicuti absoluisse se existimabat. Nam arbitrabatur sibi nihil deesse. Pluris faciebat adolescens diuitias suas, quàm deum & uocem dei mandantis. Abijt enim tristis, nec fecit quod imperauerat dominus: itaq; declarauit se nondum implese legem. Sed & ex alijs locis colligere possumus dominum cultores suos non deieçisse ad mendicitatem. Nec puduit Paulum apostolum leges ferre diuitibus præscribereq; quomodo se gerant, Diuitibus, inquit, in præsentis sæculo, præcipe ne elato sint animo, neq; spem ponant in diuitijs incertis, sed in deo uiuente, qui præbet nobis omnia assarim ad fruendum, ut benefaciant, ut diuites sint operibus bonis, ut faciles sint ad impariendum, libenter cõmunicantes, recondentes sibi ipsis fundamentum bonum in posterum, ut apprehendant uitam æternam. Huc iam pertinent admonitiones saluatoris dicentis, Non potestis deo seruire, & mammonæ. Item, Diuitiæ spinæ sunt, quæ præfocant semen uerbi dominici. Item, Amen dico uobis, diues difficile intrabit in regnum cælorum. Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem in regnũ dei ingredi. Et ut animi diuitum non sunt deijciendi aut adigendi ad desperationem, quasi diuites saluari non possint: ira rursus admonendi sunt periculorum, ne securi indormiant diuitijs & seducantur à sathana, abutanturq; diuitijs, quin illis potius recte utantur iuxta canonem apostolicum iam iam recensitum. Damnauit

Falsa doctrina de Diuitijs.

Gangrensis, sanè antiqua synodus, docet diuites fideles qui non omnibus renunciant quæ possident, spem apud dominum non habere. S. Augustinus in Catalogo hæreticorũ ponit & numerat Apostolicos. Hi arrogantiissime seipos hoc nomine ornantes, non recipiebant in communionem suam, ut ceteros coniugibus & res proprias possidentes. Addit, Ideo isti sunt hæretici, quoniam se ab ecclesia separantes, nullam spem putant eos habere, qui utitur his rebus quibus ipsi carent. Encratitis isti similes sunt. Nam & Apocriphæ appellantur. Et diuitiæ quidem, per se, non sunt malæ, imò sunt dona dei. Abusus reddit eas prauas. Sed de usu postea dicitur.

Sequitur iam consideratio de parandis facultatibus siue rebus ad uitam familiamq; sustentandam necessarijs. De acquirendis rebus

De iuste parandis facultatibus.

copiosissima est apud Iurisperitos disputatio. Tradunt enim res acquiri iure gentium & iure civili. Iure gentium, ut Occupatione, Captiuitate, Inuentione, Natiuitate, Alluione, Specificatione, Ac-

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

cessionem, Confusione, Aedificatione, Plantatione, Satione, Cultura, Traditione, Iure civili, ut Vscapione, Præscriptione, Donatione, Testamento, Legato, Fideicommissio, Successione, Arrogatione, Ad iestione. De quibus ordine differere nimis operosum & C. V. non admodum utile foret. Attemperabimus ergo hunc nostrum sermonem nostris moribus, proferemusq; nobis maxime necessaria. Ante omnia claudendus est oculus nequam, ne seducamur nimia cupiditate, Lucerna corporis, ait in euangelio dominus, est oculus. Si igitur oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit. Quod si oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Mens hominis fide imbuta & concupiscentijs non infecta & corrupta, lumen præfert omnibus actionibus hominis. Si uero mens fuerit corrupta, corruptæ erunt actiones hominis omnes. Compescenda est ergo fide & recta opinione nimia cupiditas auaritiæq; quæ existit ex dissidentia, & omnia consilia dicta & facta hominis contaminant atq; prophanant. Ut autem compescere ualeamus, cœlesti gratia opus est, quam pius quisq; pijs ambit precibus. Necessè est doctrinam de his saluatoris nostri, & doctrinam sanctorum apostolorum eius, semper habeamus ante oculos adeoq; pectori nostro tenemus insculptam. Neq; illa immensa est. Tres recitabimus charitati uestræ locos, duos quidem ex euangelio, & tertium ex Paulo: in quibus uelut in compendio absolutissimo habeatis comprehensa quæcunq; requiri possunt à ueris dei cultoribus. In euangelio secundum Matthæum dicit dominus, Ne reponatis uobis thesauros in terra, ubi erugo & tinea corrumpit, & ubi fures perfodiunt ac furantur: sed recondite uobis thesauros in cœlo, ubi neq; erugo neq; tinea corrumpit, & ubi fures non perfodiunt neq; furantur. Nam ubi fuerit thesaurus uester, ibi erit & cor uestrum. Nemo potest duobus dominis seruire. Aut enim unum odio habebit & alterum diliget aut uni adhærebit & alterum contemnet. Non potestis deo seruire & mammonæ. Propterea dico uobis, ne solliciti sitis pro uita uestra quid edatis & quid bibatis, neq; pro corpore uestro, quibus indumentum? Nonne uita pluris est quàm cibus, & corpus pluris quàm indumentum? Intuemini uolucres cœli: quia non serunt, neq; metunt, neq; conuehant in horrea, & pater uester cœlestis alit illas? Nonne uos longe præcellitis illas? Quis autem ex uobis sollicitè cogitando potest addere ad staturam suam cubitum unum? Ac de indumento quid estis solliciti? Considerate lilia agri quomodo crescant: non laborant neque nent; atamen dico uobis ne Solomonem quidem in uniuersa gloria sua sic amictum fuisse ut unum ex his, Quod si gra
men

men agri quod hodie cum sit, cras in clibanum mittitur, deus sic uestit, an non multo magis uos, o parum fidentes? Ne sitis igitur solliciti, dicentes, Quid edemus aut quid bibemus, aut quo operiemur? Nam ista omnia gentes exquirunt. Nouit enim pater uester celestis uos opus habere his omnibus. Quærite autem primū regnum dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Ne sitis igitur solliciti in crastinum. Nam crastinus dies curabit quæ sua sunt. Sufficit sua diei a siliçtio. Hæc dominus noster apud Math. in cap. 6.

Rursus in euangelio secundum Lucam in cap. 12. dicit idem dominus noster, Videte & caute ab auaritia: quia non in eo ut superfit cuiquam, uita eius est ex facultatibus ipsius: id est uita nõ opus habet superfluis: uel, nullius uita opus habet ut illi superfit aliquid. Dixit autem hanc illis similitudinem, Hominis cuiusdam diuitis uberes fructus ager attulit, & cogitabat apud se dicens, Quid faciam? quia non habeo ubi recondam fructus meos. Et dixit, Hoc faciam, destruaui horrea mea & maiora extruaui, & illuc congregabo omnes prouentus meos & bona mea: & dicam animæ meæ, Anima habes multa bona reposita in multos annos, requiesce, comede, bibe, gaude. Dixit autem illi deus, Stulte, hac nocte animam tuam repetunt abs te: quæ uero paraasti cui cedent? Sic qui recondit sibi ipsi nec est erga deum diues.

Præceptorem & magistrum in omnibus sequutus S. Paulus uas electionis clamat, Est quæstus magnus pietas cum animo sua sorte contento. Nihil enim intulimus in mundum, uidelicet nec efferre quicquam possumus: sed habentes alimenta & quibus regamur, his contenti erimus. Cæterum qui uolunt ditescere incidunt in temptationem & laqueum & cupiditates multas stultas ac noxias, quæ demergunt homines in exitium & interitum. Siquidem radix malorum omnium est auaritia siue studium pecuniæ: quam quidam dum appetunt, aberrauerunt a fide, & seipsos implicauerunt doloribus multis. Tu uero homo dei ista fuge, sectare autem iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem, &c. Quicumque ergo laboribus aut negotiatione uictum & necessaria uitæ suæ & suorum quærere instituit, hisce diuinis præceptis ceu theriaca ac pharmaco quodam animum suum præmuniat contra uenenas cupiditates & auaritiam pestilentiissimam.

Vbi uero animum antidoto euangelicæ & apostolicæ doctrinæ præmuniat, adijciat mox animum ad laborem & negotiationem. Deligat autem quisque negotiationem utilem & honestam, non uerosam, non ulli damnosam. Otium denique fugiat ut pestem. Au-

Labor cõmendatur, otium damnatur.

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

diamus rursus hac in causa uerba planè diuina apostoli, Præcipimus uobis fratres per nomen domini nostri Iesu Christi, ut subdugatis uos ab omni fratre, qui inordinate se gerit & non iuxta institutionem quam accepit à nobis. Etenim cum essemus apud uos, hoc præcipiebamus uobis, ut si quis nollet operari, is nec ederet. Audimus enim quosdam uersantes inter uos inordinate, nihil operis facientes, sed curiose agētes. Is autem qui sunt eiusmodi præcipimus et obsecramus per dominum nostrum Iesum Christum, ut cum quiete operantes suum ipsorum panem edant. Damnata sunt omnibus sæculis & apud omnes homines cordatos & otia & curiosa negotia. Hesiodus dixit,

Illi pariter indignantur & dii & homines, quisquis otiosus

Vixerit, fucis absq; aculeis similis studio,

Qui apum opus sine labore comedunt,

Sophocles item,

Nil boni, ait, parit otium inane.

Curiosa negotia. Deus enim otiantibus haud assistit. Porro curiosa negotia artes sunt male feriatorum & male ingeniosorum hominū, quibus proximis graues sunt & imponunt hominibus, exercentes quidem negotiationem aliquam, sed illegitimam & alijs inuilem, sibi uero utilissimā: cuius quidē generis usurarij monopolæ & propolæ aliq; sunt male feriatorum & male ingeniosorum hominū, quibus proximis graues sunt & imponunt hominibus, exercentes quidem negotiationem aliquam, sed illegitimam & alijs inuilem, sibi uero utilissimā: cuius quidē generis usurarij monopolæ & propolæ aliq;

Ex hæreditatibus diuites. negotioso otio se saginantes habent artes plurimas. Qui uero non laboribus suis uel negotiatione æqua sed per hæreditates acceptas diuites sunt, cogitent apud se quo pacto paratæ sint opes quæ iam ad ipsos per hæreditatem deuolutæ sunt: & si intelligunt se hæredes esse opum iniustarum, sint benefici, nec conduplicent malum, ut quod male partum est, iniquissime possideant & sceleratius multo concoquant. Ne fidant istis opibus, neque sint otiosi, agant semper aliquid honesti. Ferè tamen fit, ut male partum male dilabatur. Opimum ergo fuerit uel boni iusti & benefici hominis esse hæredem, uel laboribus proprijs & negotiatione iusta parare facultates, quibus tuam & familiæ uitam sustentent.

An contra-ctus & commercia licita sint. Video autem hic hæere multos, ad dubitareq; primo, an contractus & commercia licita sint, dein de quæ nam negotiatio ex omnibus maxime conueniat homini pio. His pauca hæc expendenda propono. Principio constat contractus ferè uoluntarios esse commerciaq; spontanea, ut quisque hic quod uelit quod conducatur & maxime deceat deliberare & eligere possit. Huius em̄ generis sunt commutatio rerum, fideiussio, locatio, conductio, depositio, mutuum, pactio, uenditio, emptio, & alia his similima. Hisce rebus, si cut ipsa experientia euincit, carere non possunt homines etiam sanctissimi,

Cillissimi, donec in hoc mundo uiuant. Nec legis dominū ullibi prohibuisse huiusmodi commercia & contractus, imò format illos, instituens rempub. Israelis, ut agnoscere oporteat illas esse ordinationes diuinas: abusus, dolus, impostura & confidentia in istis prohibentur uerbo dei. Ergo si quis ijs utatur moderate, neq; innitatur & inhæreat, non peccat. Audiamus denuo apostolum clamantem, Qui habent uxores, sint tanquam non habeant: & qui plorant, tanquam non plorent: & qui gaudent, tanquam non gaudeant: & qui emunt, tanquam nō possideant: & qui uiuant mundo hoc, tanquam non utantur. Præterit enim habitus huius mundi. Pari modo nulli legimus prohibita esse lucra iusta & æqua. Imò benedicit dominus laboribus & negotiationibus suorum, ut quemadmodum in uiribus ita pariter crescant & in opibus. Exemplum huius præbent Abraham, Isaac & Iacob. Et apostoli non iubent nos nullum sperare lucrum, sed nolunt nos turpis lucri esse cupidos.

*Lucrum
ex negotia
tione.*

Negotiationes quidem hominū sunt uariæ. Ac uarijs quidē multisq; indigent res hominū. Est negotium siue labor crassior, qui manibus roboreq; corporis magis quam arte, quamuis non sine ingenio, perficitur. Est & ingenij labor subtilior, qui tametsi extra corpus & uires hominis non fiat, ingenio tamen magis quam robore perficitur. Prioris generis sunt artificia omnia, siue artes ut uocant mechanicæ, quibus annueramus mercaturam, agriculturam & pecuariam. Posterioris generis sunt studia literarum, medicinæ, iuris prudentiæ, præsertim theologiæ, philosophiæ quoq; deniq; gubernatio. Ac patriarchæ quidem homines innocentiissimi & excellentissimi ferè fuerunt agricolæ, aut exercuerunt pecuariam. Exempla sunt plurima, Abelis, Noe, Abraham, Isaac, Iacobi, Iob, & aliorum, Leuitæ & prophætæ uixerunt ex literarū studio siue ministerio ecclesiastico. Mercatura nulli damnatur in sacris literis: damnantur autem mercatores deū non timentes & requirentes, homines uersipelles ac impostores. Nam Iacobus apostolus domini, Age nunc qui dicitis, inquit, Hodie & cras eamus in hanc ciuitatem & transigamus ibi annum unum, & mercemur & lucrum faciamus (qui ignoratis quid futurū sit postero die. Quæ est enim uita uestra? Vapor enim est qui ad exiguum tempus apparet, & deinde euanescit) pro eo quod dicere debueritis, Si dominus uoluerit, & si uiuerimus, faciamus hoc aut illud. Nec uituperatur in Actis apostolorum purpuraria illa quod uenderet purpuram. Nam in encomio probæ matris familiæ laudatur mater familiæ ex mercatura. Ex gubernatione uixerunt optimi quiq; reges, Ioseph Aegypti saluator, & Daniel satrapa Babylonie.

Negotiationes sunt uariæ.

Prouer. 35.

1. Cor. 12. & Mediæ. Nam ut multa sunt in corpore hominis membra, & uari-
 rius est usus membrorum, omnia tamen in summa concordia ten-
 dent ad conseruationem incolumitatis corporis: ita uaria ordinauit
 deus negotia & artificia, quæ tamen omnia seruire uult incolumi-
 tati reipublicæ.

*Quæ maxi-
 me negotia
 sio ample-
 etenda pio
 uiro.* Iam uero quæ ex his omnibus negotiationibus homini pio am-
 plectenda aut suscipienda sit, non est meum pronunciare. Expen-
 dat quisq; apud se quæ attulimus hucusq; deinde exploret seipsum,
 ad quas res, aut ad quæ negotia animus maxime propendat, ad
 quæ sit utilis & idoneus: inspiciat item diligenter quæ artes fini ma-
 xime simplices & secundû naturam, quæ item quàm minimum co-
 gnationis habeant cum dolo & impostura, aut quæ minimum ab-
 strahant à deo & iustitia. His expensis deligat quisq; quod putauit
 rit maxime conuenire & salutare esse cum animæ tum corpori suo.
 Non possumus omnes agros colere, nec congruunt omnibus lite-
 rarum studia, pauci gubernant rempublicam, nec artificijs exercen-
 dis omnes ubiq; idonei sunt. Habet suum quisq; genium, habet in-
 spirationem à domino, habet amicorû consilia & auxilia, habet oc-
 casiones uarias, habet regulam uerbi dei: his acquiescat, ut primas
 interim tribuat præceptionibus diuinis.

*Cauenda
 profusio.* Cæterum laboranti iam & negotianti post recitatos canones ne-
 cessarij sunt & sequentes. Principio enim canenda erit cuiq; profusio
 siue luxus in cibo, potu, uestibus, cultu corporis & ædificijs, fu-
 giendi sumptus inuiles ac uani. Nam dominus uult unumquem-
 liber suas retinere non prodigere res. Odit & execratur dominus lu-
 xum & inanes sumptus siue superbiam. Præterea qui sui profusus
 est, aliena ferè appetit; unde innumera exoriuntur mala, furra, infir-

*Laboran-
 dum fide-
 liter.* diæ, doli, imposturæ, adde & cædes ac seditiones. Deinde strenuus
 sit qui laborat aut negotiatur, sit per omnia uigilans & laborum to-
 lerans, non segnis, mollis, iners. Fideliter & diligenter agat omnia.
 Displicet deo ingnauia socordiæ. Displicet supina rei familiaris
 negligentia. Laudat scriptura fideles laboratores, & negotiatores
 probos & industrios. Audiamus quæso auream sapientissimi mor-
 talium Solomonis doctrinam ita dicentis, I piger ad formicam, in-
 spice uias eius, ut sapiens fias. Ea enim cum neq; principem, neque
 exactorem aut ducem habeat, tamen æstate cibum suum parat, &
 in messe alimentum suum comportat. Quandiu piger dormies? &
 quando à somno tuo surges? Paululum cõplicandæ manus ad dormiendum:
 paululum cõplicandæ manus ad dormiendum. Inre-
 rim uero ceu uiator ueniet egestas tua, & inopia tua ceu uir scuto
 munitus.

Beatus. Rursus clamat Dauid in Psalmis, Beati omnes qui timent dominum, qui ambulat in uis eius. Labores manuum tuarum manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Quid quod dominus deus Adamum in paradiso & felicissimo uicæ statu noluit otiosum uiuere? Nam cultum horti ipsi iniunxit, Otiosi ergo homines omnium mortalium in felicissimi sunt: ita & ignaui non aliud sunt, quam telluris inuile pondus. Postremo curet negotiator ne cui damnum det sua negotiatione. Regulam hic sibi præfigat in omnibus negotiis, Quod tibi uelis fieri, feceris alteri: & quod tibi nolis fieri, alteri ne feceris. Porro datur damnum dupliciter, nempe retinendo uel auferendo; uidelicet si retineas quod debes, & tuum non est: uel auferas quod alterius est, & quod tibi non debet. Verum de damno in retinendo aut auferendo dicam iam paulo fufius, ut ex his rectius intelligatur mandatum domini, Non furtum facias, & quæ nam sint furti species.

aiunt furtum esse fraudulosam contrectationem rei alienæ, mobilis & corporalis, quæ fit inuito dño, lucri faciendi gratia, uel ipsius rei, uel etiam usus eius, possessionisue. Proinde furiosum non dicitur committere furtum: quod in ipso nulla sit euidens doli machinatio. Negligentem illum furti argui posse tradunt, qui per errorem non malitiam alienam rem abstulit pro sua. Cæterum contrectare dicitur non is solus qui manibus rem apprehendit, sed qui quouis modo eam subtrahit iusti possessoris dominio. Inuito autem domino dici aiunt, non tantum si uolenter ipsi eripiantur, sed etiam nescienti: aut si scias, non possis tamen prohibere: aut cum possit, certas ob causas nolit. Nec temere adiungitur furtum fieri lucri gratia. Nam si quis ludens, aut aliam ob causam honestam aliquid auferat, minime furtum committit. Furti uero genera duo faciunt, Manifestum, utpote, in quo deprehenditur fur: & non manifestum, nempe si post furtum furti conuincatur. De his copiose differitur Digestorum lib. 47. tit. 2. &c. Nos redimus ad propositionem nostram explicandam.

Furtum.

Damnū das retinendo, quando in contrahendo non iusta ueris mensura, non pondere iusto. Huc pertinet collybus iniustus & fraudulentus. Collybus autem, ait Pollux, est permutatio pecuniæ. De his recitabimus modo præcepta & sententias domini dei nostri, In Leuitico legis, Ne feceritis quidpiam iniqui in iudicio, in dimensione, in pondere & mensura. Bilanx iusta, lapides iusti, epha (modium uel quartale mensura aridorum) & hin iustum, (liquidorum mensura sextarium uel cyathus) iustum sit uobis. Ego dominus deus uester qui eduxi uos e terra Aegypti. Et in Deuteronomio legimus, Ne sint tibi in sacco tuo diuersi lapides, magnus scilicet & paruus. Ne sint

*Damnū das
tur retinens
diuersis
modis.*

*Mensura
iusta.*

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

tibi in domo tua diuersa epha, magnū scilicet & parū (ut uidelicet in recipiendo aut emendo utaris magno, in erogando autē uel uendendo paruo) sed pōdus æquū & iustū sit tibi: & epha æquū & iustū sit tibi, ut prorogentur dies tui super terrā, quā dominus deus daturus est tibi. Nam abominatio domino deo tuo est, quicūq; ista facit, & quicūq; iniquitatem perperrat. Ad hæc pertinet hæc Solomonis sententia ex Prouerbijs, Diuerso pondere uti, aut diuersa mensura, ambo hæc detestatur & abominatur dominus. Quid aut̄ grauius & horribilius audiri, imō & cogitari poterat, quā hominē esse abominatiōē deo? Apud Micheam in 6. cap. minatur præterea dominus uarias & graues pœnas, quas irrogare uelit iniusto pondere & iniqua utentibus mensura. Quin ergo fugtamus iniquitatem & iniustitiam, ac eligamus potius felices q̄ infelices esse, audiamusq; ipsum dominū dicentem, Mensurā bonam & pressam & concussam & superfluentem dabunt in sinum uestrū. Eadem quippe mensura qua merimini, aliq̄ metiētur uobis. Persuasissimū ergo habeamus, fraude & furto partas res neq; diu florituras neq; futuras nobis saluantes.

*Alienatio
& fraus.*

Rursus retinendo dant alijs damnū quotquot hæreditates alijs debitas occupāt: qui frustrantur & fallunt in contractibus, in pactis aut conuentionibus: qui simulant se dare quod dolo malo aut mutant aut apud se retinent, corruptū autem aut uinosum dant. Ea res uera hæc deceptio & fraus est siue dolus. Constat autem alienarum hæreditatum possessores & breui uita, & nulla uir fortuna felici. De fraudulentis pronunciat Solomon, fraudulentos nullū inueniuros uerius quā lucrum uocari meretur.

Inuenta.

Huc pertinent res inuenta, quas tu repetenti negas, quasi non inuenieris uel tui sint iuris. Huc pertinet depositū & pignus retentum.

Deposita.

Deposuit apud te, qui peregre abiit, pocula argentea & auri pondo, quod sperauit ista apud te tuto latere: tu uero redeunti & reposcendi depositū negas, suffuratus es, præterea fidem amici sefellisti & con-

Pignus.

duplicasti peccatum. Oppignorauit uir pauper tibi rem sibi charam & pretiosam, quam cum repetit annumerata tibi pecunia tua quam mutuo à te acceperat, negas tu pignus, & confingis calumnias, uterisq; dolo malo ut pignore fraudes pauperē: suffuratus es pignus. Tūlit præterea dominus alias de pignore accipiendo leges populo suo huc quoq; pertinentes. In Deutero. enim dicit, Nemo pignoris loco accipiat inferiorem & superiorem molarem. Nam is uitam oppignorauit. Id enim perinde est ac si dixisset, Ne pignoris loco id acceperis à proximo tuo, quo sibi & suis uictū quærit ac parat. *Virum enim*

enim seu uictū illi sustulisses. Et mox, Cum mutuo dederis aliquid proximo tuo, ne ingrediaris in domum eius ut pignus inde tollas: sed sta foris, ut uir ille ad te pignus pferat. Prohibet truculentā & ne diuites sint crudeles in scrutandis pauperū domib. ne ue sint morosi in recipiendo pignore. Iterum uero addit dominus, Quod si uir huius modi pauper est, non dormies in pignore eius; omnino reddes illi pignus cum sol occidit, ut is dormiat in uestimento suo, benefq̄ & fausta tibi impreceur: & id erit tibi iustitia coram domino deo tuo.

Postremo grauissimum proximo damnum retinendo dant, qui *Merces de* tuncq; laboris mercedem detinent, *tenta labo* Detinetur ea dupliciter. Vel enim *ris,* nunquam soluis mercedem: Vel soluis grauarim, differs diu nimis, sed & de mercede aliquid detrahis. Cæterum uocabulum mercenariorum patet & ipsum latissime, & extendit se ad omnes quoq; artifices. Vulgus diuinum uitur ferē opera artificum, & mercedem consignare iubet in codices rationarios, interim cum istos egere intelligit, nihil tamen numerat, imō postulantes debitum sœuis dictis excipit & uacuos dimittit. Interea superbiunt stulti & impij diuites, & luxu prodigunt res suas (imō non iam suas sed alienas quoq;) turpissime. Sed audiamus iudicia & leges dei nostri super hac re pronunciatas. In Deut. sic legimus, Ne neges aut ui retineas mercedem mercenario pauperi & inopi, siue sit de fratribus tuis, siue peregrinis tuis qui sunt in terra tua atq; intra portas tuas. Die suo dabis ei mercedem suam, neq; sol occidat super eum: quoniam pauper est & ad mercedem auollit animum suum (id est spem uitæ collocat in eam, utpote uicturus ex ea) ne contra te ad dominum clamer, & cedat tibi in peccatum. Cum hac diuina lege congruunt hæc apostoli Iacobi uerba, Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones uestras, quæ fraude non reddita est à uobis, clamat, & clamores eorum in aures domini sabaoth introierunt. Quid horribilius audiri poterat: clamat merces detēta laboris, & clamat quidem in cælum: adde, & ingreditur clamor in aures dei iustissimi, seuerissimi, potentissimiq; Quid aliud iam expectent fraudatores illi quàm pœnam grauissimam? Rectissime ergo breuissimēq; hoc negotium concludens & omnibus optime consulens Tobias, Ne moretur, inquit, apud te ullius hominis, cuius opera usus fueris, merces: sed eam protinus illi depende. Etenim tibi quoq; deum colenti gratia referetur.

Sequitur membrum alterum, damnum uidelicet quod auferendo datur: id quod multiplex est. Primum autem locum habet ipsum *Dammum* *quod aufe* *rendo da* *tur.* furtum, (de quo & paulo ante diximus aliquid,) quod non in peccunia duntaxat ablata committitur, sed in mercibus quibusuis, in

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

Furtum.

agris, in terminis transponendis, & in iure cuiusq; quod transferatur, negatur, aufertur, aut malitiose contraq; & circa conscientiam & consentum alterius, hoc est iusti possessoris, differtur. Nam in lege Leuit. 19. ait dominus, Non furabimini, ne mentiamini, nemo dolo malo agat cum proximo suo. Et Paulus ad Ephesios ait, Deposito mendacio, loquamini ueritatem quisq; cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra. Qui furabatur non amplius furetur, magis autem laboret operando manibus quod bonum est, ut possit impartiri ei qui opus habuerit. Hæc extendere licet ad omnia penè hominis officia. Quicumq; enim debitum negat officium, nec facit quod facere iure deberet, in hoc mandatum delinquit: ueluti si pater suæ familiæ suum neget officium: rursus si familia rem familiarum dissipet, & patrem familiæ rite inuigilantem rei domesticæ deturpat, & prodigendo & suffurando perdat. Item si dominus aut herus (quanquam hæc referri possint ad titulum de dato damno retinendo) nimis sit rigidus colonis suis: aut si coloni otiosi deuorent substantiam domini, uel negligant agriculturam, & luxu prodigant res. Ita peccat seruus in hoc præceptum, si non omnibus modis omnes res heri sui curet & prouehat fidelissime. Pari modo & in suis officijs peccant ancillæ contra dominas. Certè apostolus Paulus ad hoc mandatum respiciens præcipit Tito & ait, Seruos hortare ut suis dominis pareant, in omnibus illis placeant, nec sint responsatores, aut suffurantes, sed fidem omnem præstent optimam, ut doctrinam seruatoris nostri dei ornent in omnibus. Paria inculcat idem apostolus ad Ephes. 6. Coloss. 3. 1. Timothi. 6. Hic enim locum habet doctrina de officijs dominorum & seruorum (quod uidelicet attinet rem familiarem) & si quid aliud est huius generis.

Rapina & Deceptio.

Huc pertinent Rapina & Fraus, quarum utraq; latissime patet. Fraus immensa est: nam iniquitas hominum abyssus est, artes hominum multiplices ac uariæ sunt, quas nemo facile enumerauerit omnes. Et Rapina uim habet non semper armatam, sed & ingenio & lingua instructam: nec agunt in syluis duntaxat & campis raptores, sed in medijs quoque urbibus. Eripis res suas proximo tuo, titulo aut sub specie iuris, nempe dum loquentia muneribus aut alijs artibus extorques apud iudices sententiam pro tua iniquitate, rapuisisti. Sunt qui donationis titulo integras hereditates iustis præcipiunt hæredibus. Hæc & similes artes uel imposturæ partim sub rapinam, partim sub fraudes, omnes autem sub furtum ueniunt.

Alea.

Alea quamuis habeat consensum mutuam ludentium, quia tamen quisq; alteri suas res eripere ardet, diuisoremq; fortunarum ca-

cam

eam fortunam, id est talos aut chartas lusorias, cōstituit, merito alea damnatur à theologis. Et Iustinianus Imperator, uti extat Cod. lib. 3. tit. ult. commodis subiectorum prospiciens, decreuit ut nulli liceat in publicis uel priuatis domibus ludere: quamuis enim alearum lusus antiqua res sit, prodijisse tamen in lachrymas: multos enim perdere omnem substantiam propriam, tandem & in blasphemias in deum prorumpere. Alioqui nemo ignorat ingenij & corporis exercitia, à ueneno lucri aliena, neq; implicita damno proximi & proprio, non esse illicita.

Usura est cum alteri cōcedis usum tui peculij, utpote agri, uel domus, uel pecuniæ, uel alterius alicuius rei, unde in annum percipis fructum aliquem. Habes enim uillam, prædium, agros, prata, pascuas, uineas, ædes, pecunias, quas elocas alteri, sub certa pactioe scœnoris ad te redeuntis. Hic contractus hæc pactio per se non est illicita aut scripturis sanctis damnata. Et Usuræ uocabulum inhonestum non est, abusus reddidit inhonestum, ut non immerito hodie omnibus sit abominandum. Damnatur enim usura in scripturis, quatenus coniungitur cum iniquitate & pernicie proximi. Quis enim prohibeat elocare usum agri, domus, pecuniæ, & inde æquum aliquem fructum percipere? Emptio enim, locatio, & similes cōtractus liciti sunt. Et ut dantis est benefacere: ita accipientis est beneficium non gratis usurpare, in dantis detrimentum. Beneficij merita alia est consideratio. De ea legis Lucæ 6. cap. Si mutuum dederitis his, à quibus speratis, &c. Et Iuris periti de his ita constituunt, nõ esse usuram, quando pacto de retrouendendo creditæ pecuniæ apponitur aliqua pensio extra sortem danda à debitore: quia mutuum esse definit, quod ita alterius usui subijcitur, ut debitore nolente, non liceat creditori illud reperere, donec ipse pensionem, ad quam se debitor astrinxit, soluat. Nam tale creditum transit in contractum emptionis. Dicunt ergo Usuram in solo mutuo (quod debet esse gratuitum) committi, non in reliquis contractibus. Sic in hisce commercijs uiriq; præfixa regula, Quod tibi uelis fieri, alteri feceris: & quod tibi nolis fieri, alteri ne feceris. Et illa apostoli, Nemo circumueniat in negotio fratrem suum. Scio quid adferatur de pecunia, hanc non ita ut agros & uineas manere, sed usu cōsumi, ergo nullo iure posse ullum à pecunijs fructum percipi. Sed si quis alteri det pecuniam, qui prædium aut uillam, agros aut uineas ea pecunia sibi comparer, negotietur deniq; & lucretur, non uideo cur uir bonus non fructum æquum de pecunia elocata uelut ex fundo accipere possit. Potuisset qui elocauit pecuniam, emere prædiũ, ex quo totus ad ipsam

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

ementem redijset fructus: iam uero alteri concedit pecuniæ usum ad luculentiam istius utilitatem. Paratis sibi accepta mutuo aut per contractum data pecunia peculium, ex cuius prouentu totam suam alit familiam, portionem interim conditam ei pendit, à quo accipit pecuniam, quam cum restituit integram, ius proprietatis redemit, ac se à pensione annua liberauit. In hac pactione nemo opinor dixerit usura opprimi pauperem, cum ipsa res potius clamet, pauperem usura tali iuari. Usura ergo prohibetur in uerbo domini quatenus mordet (ut scripturæ uerbo utar) proximum, quatenus ei nocet & ipsum perdit. Sic enim dicit dominus in Leuitico, Si ad inopiam fuerit redactus frater tuus, nutaueritq; manus eius tecum (id est si facultas eius apud te deficere incœperit) siue aduena fuerit, siue inquilinus, corrobora eum ut tecum uiuat. Ne acceperis ab eo fœnus, neq; plus æquo: sed time dominum ut tecum uiuere possit frater tuus. Ne des illi pecuniam tuam ad fœnus, neq; des illi alimentum tuum ad nimium siue excessum, siue superabundantiam. Ego dominus deus uester. Improbatur ergo dominus omnes auarorum & impostorum artes, quibus non tantum modum excedunt in fœnore exigendo, sed in hunc maxime finem pecunias & res suas elocant alijs, ut hac ueluti occasione rebus suis omnibus exuant. Artes usurariorum iniquissimas nemo opinor paucis exposuerit, cum in diem exoriantur nouæ. Recitabo ergo hic domini iudicium contra usurariorum aliquot in mutuando locando diuendendoq; sceleratissimas artes atq; sordes, ut quisq; deinde similiter iudicet de similibus. Ira loquitur propheta Amos capite 8. Audite istud uos qui anhelu absorbetis pauperes, & afflictos è terra exterminatis, dicentes, Post mensem uenum exponemus annonam, & exacta hebdomade aperiemus frumentum, epha diminuemus, siclo autè addemus, & bilancem dolo deprauabimus, ut comparemus nobis tenues argenteo, & inopem pro pari calceamentorum, deinde & quisquilias frumento distrahemus. Iurauit dominus per excellentiam ipsius Iacob, Non perpetuo oblivioni tradam omnia opera eorum. An non huius rei gratia terra contremiscat? an non omnis inhabitans eam lugeat? Quin uniuersa ea ut fluuius intumescet, &c.

Contra usurarios,

Proinde ne ira dei in regna & respublicas propter iniquas usuras & perdicos perdetesq; usurarios deseuiat, sancti magistratus erit cohercere usurarios equis legibus, constitueretq; pro temporum & locorum, personarum & rerum qualitate, quod æquum iustum & sanctum fuerit, ne in mutuando, elocando, emendo, & uendendo usurarij miserum opprimant populum, sed æquitas & iustitia seruetur

seruetur in omnibus. Habet huius sui officij elegans exemplum magistratus in Nehemia cohercente auaritiā crudelitatem & summam iniustitiam usurariorum & oppressorum miseræ plebeculæ Israeliticæ. Extrat fuse descriptum in historia Nehemiæ cap. 5. Iniquis ergo & iniustis negotiatoribus & usurarijs eorumq; auaritiæ nolo his parocinari: sed dico illos uictitare sanguine & ex uisceribus ciuium; & certe damnandos fore, nisi pœniteat eos sceleris. Obijcio illis hoc ueluti naturę decretum, Quod tibi nolis fieri, alteri ne feceris. Veniebant & publicani ad Ioannem ut baptizarentur ab ipso, & dicebant, Magister quid faciemus? At ille dixit eis, Nihil amplius quàm quod constitutum est uobis exigatis. Publicani uictitabant ex publicis illis uestigalibus, quæ redemerant certa & præsentī pecunia à Romanis. Publicanos autem hos non iubebat relinquere negotiationem, sed constituto pretio esse contentos. Ita usurarijs & negotiatoribus omnibus idem inculco, Nihil amplius quàm quod constitutum est uobis exigatis. Quod si certa constitutione aut ordinatione magistratus caretis, agere ualeat apud uos æquitas, humanitas & charitas, ualeat lex communis, Omnia quæ cunctis uolueritis ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis. Si oculus tuus simplex fuerit, ait dominus, totum corpus lucidum erit: quod si lumen quod est in te, tenebræ fuerint, ipsæ tenebræ quantæ?

Sacrilegium direptio est rerum sacrarum, deo inquam dicatarū. *Sacrilegiū.* Habet enim ecclesia dei opes uel facultates sacras, quibus partim doctrinam sinceram seu ministerium ecclesiæ sanctum, partim pauperes ecclesiæ fideles sustentet. Habet item opes ad facta rectaq; templi ædificiūq; sacerdotaliū, & xenodochiorū aut hospitalium: deniq; ad subuentionē cōmunem in publicis & grauib; calamitatibus. Sacri legi ergo sunt, qui facultates ecclesiasticas à legitimo & sacro usu ad prophanum & impium transferūt, illasq; prodigunt uenationibus, pompis, superstitionibus, scortatione, alea, poculis & luxu. Quibus rebus hodie grauirer peccatur cum ab episcopis tum magistratibus. Nec est quod ab usum illum scdissimū aliud consequatur quàm ingens aliquod infortunium, nec una aliqua aut modica calamitas. Nam ut in pauperibus ipse dei filius Christus dominus noster spoliatur atq; defraudatur: ita interit doctrina pietatis, pereunt studia honesta, ac destituuntur oues Christi bonis & fidelibus pastoribus, fiuntq; præda lupis & latronibus. Cæterum inter sacrilegos minime recensendi sunt proceres & antistites sancti religionis, quales fuerūt aliquot reges Iuda, & in primis Ezechias, ac aliquot ueteris ecclesiæ

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

episcopi uel pastores, qui granibus bellis atrenibus respub. uel regna, aut fame, uel alia calamitate publica premente, imò & confidente miseris mortales, thesauris illis sacris minime pepercerunt, sed euacuatīs scrinijs subuenerunt sacra pecunia oppressis. Fuissent autem enormes sacrilegi, si inanimatis uasis pepercissent, animata autē ab interitu non uindicassent. Elegans est hac de re locus apud D. Ambrosium Officiorū lib. 2. cap. 28. Sunt & exempla egregia in ecclesiastica historia. Inter sacrilegos cōmemorantur à theologis & *Simoniaci*, Chananēi inquam, id est mercatores rerum diuinarū & ecclesiasticarum. Talis enim refertur fuisse horum patriarcha Simon magus in Actis apostolorū. In iure ciuili qui ambitiose suffragia hominis clancularijs largitionibus emunt, ut ipsis publica munera & dignitates conferantur, incidunt in crimen ambitus, & centum aureis cum infamia puniebantur quondam. Sed quia hæc nihil ad sacrilegium, redimus in uiam. Sacrilegi sunt quicunq; bona ecclesiæ debita, decimas scilicet & census, uel non soluunt, uel maligne soluunt. Exiant minæ atroces prophetarū contra sacrilegos. Hægges testatur non aliam esse causam quare fruges male uel parte proueniant, quàm quod populus nō solueret quæ debebat templo. Apud Malachiam fertilitatē promittit populo si liberaliter soluat tributa & uestigalia ecclesiastica. Possunt autem ministri ecclesiarum ijs uestigalibus uti iure optimo, perinde ut alij utuntur prouentu agri à se culti. Id quod testatur dominus Numeri 18 cui succinit apostolus 1. Cor. 9. Sed et ipse dominus Iesus de stipendio suo elemosynas pauperibus distribuebat, uti uidere est apud Ioan. in cap. 13. Sacrilegium cōmittunt & mendici, nomine Christi abutentes, & egestatem prætextentes ignauia. Præcipit Timotheo apostolus ne ignauos huiusmodi hypocritas recipiat in curam ecclesiæ. Sacrilegium uero omnium maximum est, si quis gloriam dei transferat ad creaturas.

Peculatus. Peculatus furti genus est quod committitur in opibus publicis, aut pertinentibus ad principem. Parit hoc nouas subinde exactiōnes, ut maior sit occasio atq; cōpia expilandi improbis magnanibus. Propter hos fortè dixit Cato Romanus, Priuati fures in neruo & compede uitam agunt, publici uero in auro & purpura. Peculatores sunt præterea omnes qui tributa & uestigalia magistratui debita uel non pendunt uel pendunt maligne. Peculatores sunt omnes quorū quorū abutuntur opibus publicis.

Plagium. Plagiarij sunt qui quos liberos norunt uendunt, aut seruos alienos furto abducunt: genus furti appellant plagium. In hunc censum ueniunt qui seditione, persuasione, doctrinaq; seditiosa mancipia

sua

siue seruos & ancillas abstrahunt ab obedientia dominorum, liberos à reuerentia & obseruantia parentum. Cumq; imperatores mercenariæ militiæ inuitis parentibus cohortes militum, promissionibus dementatos & artibus irretitos, abducant, qui nunquam ad parentes redeunt, sed in bello pereunt, aliquem certe inter plagarios locum habent. Quondam fuit capitale plagium, sicuti claret ex 21. cap. Exodi, & lege Constantini, quæ habetur Cod. lib. 9. titulo 20.

Abigei sunt qui & abactores dicuntur, ac iumenta aliena abducunt. Quibus annumerantur qui mutuo acceptis abutuntur iumentis: qui item periclitantibus, cum possent, non subueniunt. Nam dominus in lege errantia reducere iussit, & suo restituere domino.

Hæc hætenus fratres dixi de uarijs furti speciebus, & iuste acquirendis opibus, adde & de rerum proprietate.

De legitimo usu facultatum terrenarum: hoc est, quomodo recte possideamus & iuste dispensemus opes iuste acquisitas: ubi & de Restitutione & Beneficentia disseritur. SERMO II.



S X P O S V I C. V. sermone proximo, quomodo iuste parentur opes, & quæ sint species furti modiq; iniquæ consequendi facultates uarij: superest iam ut adiuciam & doceam quis sit uerus usus opum iuste acquisitarum, quomodo legitime & iuste illas & possideamus, & dispensemus uel usurpemus. Iustitia enim non modo non fraudat neminem, sed quantum in ipsa est omnibus benefacere satagit. Neque enim satis fuerit homini pio nemini nocere, nisi benefaciat etiam quibus potest. Atque hic peccatur à pluribus, existimantibus se suo functos officio si lædant neminem, si sua quiete possideant, nulla interim cura habita quibus profint ac benefaciant. At peccat coram domino non minus qui iuste partis opibus non recte utitur, quam qui facultates sibi parat iniquitate & malis artibus. Dicam ergo, quantum dederit gratiæ dominus, quomodo pijs sancte opes suas possideant & dispensent.

In primis ut salutaris esse possit usus opum terrenarum diligenter dispiciunt sancti ne quid superfit in facultatibus alieni, hoc est, diligenter separant iusta ab iniustis, ac restitunt fideliter si quid deprehenderit in rebus suis iure ad alios pertinens. Credunt enim hac ratione relictas opes, etsi per restitutionem diminutas, & feliciores

magisq; diuturnas & fecundiores futuras. *Restitutio necessaria.*

Præcepta autem & omnino necessaria est Restitutio. Dominus

enim in lege illam uarijs modis & diligenter mandat, uti uidere licet Exodi 22. Quoties uero æquum & sanctum dei mandatum per auaritiam & iniquitatem hominum iacuit neglectum, excitauit dominus grandia mala contra cōtemptores, ac iniustas opes dissipauit bello aut infortunijs calamitatibusue uarijs. Clamat enim Isaias, & dicit, Dominus ueniet ad iudicandum senatores & magnates populi sui. Vos enim incendistis uineam meam: & spoliū pauperis est in domibus uestris. Amos in 3. cap. clamans ait, Congerunt thesauros in palatijs suis per uolentiam & uastationem siue rapinam. Propterea sic dicit dominus deus, Angustia inuadent te undiq; in terra: & hostis auferet à te robur seu facultates tuas, & diripientur palatia tua. Legimus ergo in euangelio Zachæum sua sponte quadruplicem, id est plenariam siue absolutam promisisse restitutionē, ac præstitisse haud dubie. Intelligebat enim ex spiritus sancti instinctu restitutionem in primis esse necessariam, neq; felicem se futurum, nisi facta restitutione integra. Recte ergo iudicauit S. Aurelius August. epistola 34. ad Macedonium scribens, Si res aliena, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem ueraciter agitur, non remittetur peccatum nisi restituatur ablatum, sed ut dixi, cum restitui potest.

Isaiæ 3.

Luca 19.

*Quando
facienda
restitutio.*

Quando uero facienda sit restitutio docet exemplum Zachæi, qui quam primum receptus esset in gratiam Christi, ac intellexisset ueritatis & iustitiæ negotium, promittit restitutionē, ac præstat eandem euestigio. Proinde restitutio non est procrastinanda. Non est quod quis peccatum conduplicet. Cui enim facultates suas tua eripuisti arte dolosa, aut uolentia praua, ille his quidem sua cum iactura diu nimis caruit hætenus, ut nihil sit necesse procrastinatione tua augere incommoditatem & detrimentum.

Cui fiat restitutio.

Si roges, Cui nam fiat restitutio? Respondeo ei cui abstulisti, si quidem scias cui abstuleris, aut quem defraudaueris. At eo modo, ais, meipsum reddam infamē. Id non iubeo. Verum si inuenisti uiam auferendi, cogita de cōmoda uia restituendi, per quam non incurras infamiam. Ora præterea dominum ut rationes certas & cōmodas tibi sufficiat. Si seriò de restitutione uera cogitas, inuenies haud dubie uiam minime dedecorosam. Si non agis seriò coram domino, mille occurrent excusationes, quarum tamen nulla tranquillam efficiet tuam conscientiam. Neq; uero deus irridetur. Nescio, inquis, cui abstulerim, ignoro ergo cui restituum. Si seriò nescis cui abstuleris, habes pauperes uel egenos, quibus largiaris. His iniuste opes, non superstitioni aut superstitionum ministris, erogandæ sunt.

Tantum

Tantum uero restituat quisq; quantum surripuit aut quantum restituere potest. Multi enim prodegerunt aliena ut restituere nihil possint. Agnoscant inierim peccatum, & pœniteat eos ex animo. Et si aliquando assequuntur opes, de suis sint tanto liberaliores quanto profusiores fuerunt in alienis. Si uero omnia tua, quæ iam possides, aliena & furto aut rapinis parca sunt, ut si iustam facias restitutionem nihil retineas prorsus, ac mendicandum sit protinus, profecto miser es & infelix nimium, insanus uero & furiosus si pergas superbire in alienis, si libidinem tuam expleueris in uisceribus et sanguine atq; sudore pauperum. Cur nõ potius deijcis te ad pauperes, ac iniuste acquisitis ita uteris ut elemosyna utantur egeni? Nam uis ex ijs quæ pauperum sunt. Depone ergo factum, depone luxu.

Cogita diligenter quis sis & unde uiuas. Interea conandum est perpetuo ut fiat restitutio, quatenus licet, ac semper dolendum si ad plenum fieri non potest. Si nõ graue sit tibi pauperiem experiri ad tempus, laborare aut honestum aliquod negotium fideliter exercere, atque ad eadẽ instituire ac uelut manu ducere liberos tuos, non deerit unde uiuas, tamen si restituas aliena omnia. Verum modica adeoq; nulla est fides in multis hominibus, inde est quod pauculis aut nullis persuadeatur uera restitutio. His & illud (priusquam transcam ad alia) adijciam, illos in primis de restitutione cogitare debere, qui pestilentibus colloquijs corruerunt mentes simplicium, qui obire stationibus læserunt famam alienam, qui item peruerfis consilijs potentiores concitarunt in imbelles. Hæc enim terrenas facultates multis modis superant. Hæc dixi hæctenus de Restitutione, de qua prolixas disputationes reliquerunt alij. Ego autem uideo animo pio restitutionis negotium esse breue & expositum. Nam cupit ex animo obedire diuinis legibus, ideoq; diuino auxilio inuocato faciliuam inuenit faciendi iustitiam. Qui autem uideri magis iusti, quam esse, cupiunt, atq; hunc mundum, magis quam decet, diligunt, in explicabile reddunt suis quæstionibus & casibus negotium restitutionis. Nihil ergo his amplius respõdebimus quam ut suam ipsorum conscientiam propriam interrogent quid ipsa eos iubeat. Cõscientiam autem uolo hac generali lege imbutam, Quod tibi uelis fieri, feceris alteri: & quod nolis tibi fieri, alteri ne feceris.

Post hæc iam liberius differemus de iuste possidendis usurpatis uel dispensandis iustis facultatibus terrenis. Principio nihil omnino fiducia in istis cuiquam est collocandum, utpote in rebus fluxis & perituris: non acquiescendum in eis, nec admirandæ sunt, curandumq; modis omnibus ne in idololatriam nos impellant, neue

DE PRÆCPTO DECALOGI VIII.

Pfal. 62.

Prohibetur profusio.

Facultas dona sunt dei pro quibus agende gratia.

cursum impediunt cœptum. Ad cœlos tendimus. Audienda est hęc rursum omnibus nobis uox diuina et cœlestis edita per Dauidem dicentem, Collocare spem in deum omni tempore, effundite ante conspectum eius cor uestrum, deus refugium nobis. Reuera filij hominum uani sunt, mendaces filij uiri, si simul ponantur in balance, ipsa uanitate leuius erunt. Ne collocetis spem in iniuria & rapina: nolite uos dedere uanitati: opes si affluunt nolite cor apponere. Eodem spiritu imbutus apostolus Paulus iubet nos mundo & rebus mundanis ita uti quasi non utamur. Idem appellat auaritiam idololatriam: & diuitibus mandat ne spem ponant in diuitijs incertis, sed in deo uiuente, qui suppeditat omnibus uiuentibus quantum necesse est. Ergo & dominus in euangelio uerat thesauros recondere in terra. Rursum non iubemur ab apostolis nostra prodigere luxuriose. Nam opibus à domino concessis minime abutendum est ad luxum & superbiam, Multi uero luxuriose res suas profundunt alea, sumptuosis ædificijs, peregrinis aut exoticis uestibus, poculis & exquisitis cibis. Horum finem & interitum uenuste, sed non sine horrore audientium proponit dominus in parabola diuitis illius epulonis, qui post mœsam lauitissimam & mollissimas uestes in alio sæculo apud inferos inedicibili siti torquetur & flammis perpetuis torretur. Recte itaque pie & moderate bona illa temporalia sunt usurpanda.

Agnosendum cuiq; bona illa terrestria dona esse benigni patris nostri cœlestis, non nostro merito aut nostris uiribus parata. Nā ex dei liberalitate habemus quę ad uitam sustendandam nobis sunt necessaria. Fortunat seu benedicit laboribus nostris dominus. Denique bona sunt dona dei, non mala: ac dat illa mundo ad uitam, non ad interitum: nostra culpa conuertuntur multis sepe in laqueū. Præterea requirit ipse dominus in uerbo suo ut grati simus deo pro datis muneribus, ut his utamur cum gratiarum actione, laudantes in omnibus nomen domini, atq; exulemus in ipso. Sic enim præcipit Moyses famulus dei in Deutero. Dominus deus tuus dabit tibi terram præstantissimam, in qua nulla re indigebis. Cum ergo comederis & satur factus fueris, age gratias domino deo tuo in terra illa bona, quam dedit tibi, Caue ne forte obliuiscaris domini dei tui, & non custodias præcepta iudicia & ritus eius quę ego præcipio tibi hodie: ne forte comedas & satur factus, domos pulchras extruas & inhabites: armenta tua & greges tui augethant tibi, aurum & argentum multum sit tibi, & quicquid deniq; habes augethant: & hinc eleuetur cor tuum, & obliuiscaris domini dei tui, qui eduxit te de terra

ra Aegypti, de domo seruiuitis. Ne dixeris in corde tuo, Virtus mea & robur manus meae parauit mihi hanc opulentiam, Memineris domini dei tui, quia ipse est qui dat tibi uirtutem, ut opes tibi pares, &c. Sed & Paulus apostolus omnes creaturas dei bonas esse dicit, ad bonum & conseruationem hominum conditas, hasq; iubet usurpare cum timore dei & gratiarum actione. Et iterum, Siue, inquit, editis siue bibitis, siue quid facitis, omnia in gloriam dei facite. Item, Sint mores uestri alieni ab auaritia, contenti his quae adsunt. Siquidem ipse dixit, Non te desero neq; derelinquo, ut fidentes dicamus, Dominus mihi auxiliator, non timebo quid faciat mihi homo.

Seruiant autem facultates terrenae necessitati nostrae. Necessitas postulat habitationem commodam, uictum quantum satis est, uestrumq; decentem, ac ut honeste possimus uersari inter homines nostrisq; a quales. Id quisque de sua ipsius persona primum, deinde & de familia eius intelligat. Nam parua familiâ prospiciendum est, ne quid, quod ad necessitatem pertinet, desit familiâ. Extant manifesta de hac re scripturae testimonia, Pauli in primis 1. Timoth. 5. capite. Et necessitas comprehendit omnia, quibus indiget corpus aut uita hominis, deniq; quae honestas aut decorum cuiusq; requirit aut flagitat. Et haecenus quidem & in hunc finem aliquid recondere licet in futurum. Pluribus opus est ei qui numerosam alit familiam, quam qui familiam habet paruam. Et alia decent eum qui publicam gerit personam, alia qui priuatus est. Cogitet autem quisque hic quid necessitas poscat, quid luxus & libido suggerat. Cogitet quisque quid se deceat, uel dedecet.

Et necessitatem quidem in praesenti non iam arte constringimus, ut omnem uoluptatem aut moderatam copiam tanquam libi non excludinem & luxuriam damnemus. Scio enim diuinitus concessam esse diuoluptati homini non modo necessarius usum, earum inquam rerum usum, quibus homines carere non possumus, sed etiam uoluptatem moderatam, quae delectat homines. Nemo ergo sibi in suaui sed iusto rerum terrenarum usu faciat conscientiam, quasi ea iucunditate qua fruuntur peccet contra dominum. Hic enim hilaritatem gaudia & iucundum rerum usum, modo nihil contra decorum aut ingrate & inique fiat, nusquam prohibuit. Ieremias enim propheta alludens ad promissiones legis diuinæ contentas Leuit. 26. & Deut. 28. sic dicit, Venient & iubilabunt in Zion, & affluent bonitate domini, in frumento, in musto, in oleo, & in fœtibus gregum & armentorum, eritq; anima ipsorum similis hortu irriguo, nec ultra debebunt. Tunc latrabitur uirgo in choro, iuuenes & senes pariter, Cœuertam enim

Facultates seruiant necessitati.

Necessitas non excludit uoluptatem concessam.

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

luctum eorum in gaudium: & consolabor eos & exhilarabo ipsos. Inebriabo etiam animam sacerdotum pinguedine, & populus meus bonis saturabitur, dicit dominus. Ierem. 31. Legimus enim & in historia sacra 3 Regum 4. capite. Sub Solomone crescebant & erant multi in Iuda & Izraele sicut arena maris, comedentes, bibentes & lætantes. Ita legimus 8. cap. eiusdem libri, Et fecit Solomon solennitatem omnibus Izrael cum eo, cœtus magnus qui confluerat ex omni populo ab Hemath usque ad torrentem Aegypti coram domino septenis diebus, id est quatuordecim diebus. Postea dimisit populum, ipsi quoque gratulantes regi abierunt in tentoria sua, lætantes & hilariter corde, propter uniuersa beneficia quæ contulerat dominus Dauidi & uniuerso populo Izraelis. Congruunt cum his quæ apud Nehemiam in cap. 8. sic leguntur: Dixit autem Esdras cum Leuitis ad uniuersum populum qui tristis erat, Dies hodiernus sanctus est domino deo uestro: ne ergo luctu uos ipsos conficiatis. Ite & comedite pinguia, & bibite dulcia, & mittite partes his qui non habent, &c. Et dominus quidem non requirit ab hominibus ne uoluptatibus, quibus nos ex gratia perfundit, permoueantur, tanquã stipites trunci & saxa. Nam sensum boni & mali, amari & dulcis indidit nobis omnibus. Idem pro æterna sua bonitate & sapientia rebus quoque conditis indidit natiuam quandam elegantiam, & eas ita ornauit delectabiles quoque fecit, ut desideremus illas, imò uim ipsis in seuit demulcendi nos. Dauid enim dicit, Et uinum (prouenire facit) quod exhilarat cor hominis, & oleum quod nitidam reddit faciem, & panem qui cordi uires subministrat. Arborum quoque succo abundant, in quibus aues nidificant & cantillant, &c. Sed & Iacob patriarcha dicitur bibisse ad ebrietatem: & de Ioseph ac fratribus eius dicit scriptura, Et bibentes cum eo, uino inebriati sunt. Id quod nemo intelligit de ebrietate luxuriosa, quam ubique condemnat scriptura sancta, sed de iucunda quadam expletione, quodque saturi iucunde sint exhilarati. Infana enim illa ebrietas perdit omnem sensum, nec uere hilares & iucundos reddit, sed morosos, difficiles, turbatos, turpes, apros & porcos. Simili genere dicendi usus beatus Hageus, dicit, Diligenter perpendite uias uestras, seminatis multum, & metitis atque inferis in horrea parum: comedistis, sed non ad satietatem: bibistis, sed non ad inebriationem: id est non ad iucundam expletionem, ut saturi hilaresque nihil amplius desideretis, atque ideo gratias agatis domino benefactori. Hæc aliquanto copiosius declaro propter Anabaptistas & Stoicos quosdam stupidos nouosque hypocritas monachos Carthusianos, qui ut ex hominibus truncos facere

Ebrii sancti quomodo?

facere conantur, ita etiam concessam uoluptatem damnant clamoribus tragicissimis. Abucuntur ad hoc institutum suum colorandum, & hominibus commendandum, pluribus scripturæ locis, Vx uobis qui saturi estis nunc, qui ridetis nunc, esurietis & flebitis aliquando. Hæc autem & similia scripturæ uerba prolata sunt diuinitus contra impios, contra ingratos & beneficijs dei abuentes. Adijcimus ergo his quæ hæctenus protulimus, diligenter pijs inuigilandum esse ne libidini laxent frena, & ne quid nimis. Mediocritas hic quoque, ut alibi probatur. Deinde seruiant opes seu facultates terrenæ honori & humanitati. Honorem enim & humanitatem debemus cognatis, affinibus, amicis, notis, indigenis & peregrinis. Nō enim nostris duntaxat, sed & alienis benefacere atq; hospiales erga peregrinos esse debemus, quatenus uidelicet permiserit nostra facultas. Nam si uix suppetant opes alendæ propriæ familiæ, nulla dei uel æqua lex præcipit te facultates tuas diuidere alienis. Satis fuerit tua cura prouidere ne tui aliquando alijs fiant onerosi. Ita qui nullis instructus est facultatibus, non cogitur expendere honoris & humanitatis causâ quod nō habet. Satis fuerit si hic forti animo miseram sortem suam ferat, caueatq; necubi propter inopiam peccet in iustitiâ et probitatē. Qui autem mediocres aut amplas diuitias consequuti sunt, humani & hospiales sint. Honorem & liberalitatem, non auaritiâ & fordiciem suis adhibeant consilij. Inuenias enim facultatibus utcunq; quidem instructos, sed ita congerendis deditos diuinijs, ut ne retinendum quidem honoris & humanitatis gratia uel indigenis uel peregrinis expendâr. Hi occultantur semper, faccis indormiunt, nusquã prodeunt, ne hospitalitatem aut humanitatem saltem per occasionē præstare cogantur alijs. Scriptura longe alia prædicat de sanctissimis & clarissimis patribus nostris. Loth sedebat in porta Sodomæ, ut hospites aliquot aucuparetur, quos domū abductos secum, humanissime exciperet, ac omnigenis beneficijs afficeret. Et si quos assequeretur, non officiose, hoc est, sicte inuitabar, sed urgebat serio modisq; omnibus. De patre nostro Abrahamo legis in Genesi, q; in ipso seruire diei sedens ad ostium sui tabernaculi, uiderit tres uiros peregre uenientes, quos ad primū protinus aspectum, licet ignoraret quinam essent, exceperit humanissime. Non enim expectauit donec ipsi accedentes supplicesq; facti aliquid postularent, sed occurrit eis ab ostio tabernaculi, priorq; ipsos compellans, & honoris gratia proq; more gentis reuerenter se coram eis inclinans, amicissimis uerbis ipsos inuitat, & ait, Quæso domine, si hanc à te gratiam impetrare possum, ne quæso prætercas seruum tuum. En dominum ap-

*Seruiant
opes hono-
ri & huma-
nitati.*

*Hospitali-
tas patrū.*

pellat uirum peregrinum & ignotum (quemadmodum & nobis Heluetijs in usu est excipere peregrinos, & dicere, *Sind mir Gott wol kommen/lieben herren vnd guten fründ*) & quamuis esset in ea gente, in qua habitabat, heros celeberrimus & laudatissimus, sui tamen ueluti oblitus, ait, Ne quaeso praeteras seruum tuum. *Seruum* se dicit esse peregrinorum. Addit & hoc, *Afferatur quaeso paucillum aquae, & lauentur pedes uestri, recumbite sub arbore, Ego uero afferam frustum panis, & reficite cor uestrum, deinde in instituto itinere pergite.* Omnia ferè humanitatis officia comprehendit in hisce uerbis pauculis. Neq; uero uerbis his duntaxat magnificus & liberalis fuit Abraham: sed cum impetrasset à peregrinis quod uerbis postulauit, festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, & dixit, *Accelera, commisce tres modios farinae purgatissimae, & fac panes.* Addit & aliud scriptura, Abraham uero currens ad armenta, & accepto uitulo pingui & bono, dedit puero: qui festinauit, & parauit eum, Butyrum quoq; tulit & lac, & uitulum quem paraauerat, & apposuit eis: & comedentibus illis, ipse sub arbore apud eos stabat, id est, ipsis ministrabat. Admiranda profecto haec sunt, & expendenda diligentius. Merito erat diues munificus, liberalis & humanissimus hic Abraham, qui norat diuitijs uti tam honeste & tanta cum laude. Nec ipse solus in familia sua liberalis erat, sed uxor & famuli eius omnes exercitissimi, & maxime spontanei & benigni erant in hoc exercitio sancto. Protinus ergo parata sunt omnia. In parandis quoq; rebus summa adhibetur diligentia, habetur item delectus: neq; enim prima quaeq; obuolentia recipiuntur, sed delectissima & opima eliguntur. Currit ipse heros in famulorum turba. Ipse delicias rusticas, superantes longe principum & regulorum omnes cupedias, infert hospitibus, butyrum scilicet & lac, quibus coniungit uitulinas carnes probe saginatas & paratas. Neq; his officijs & hac beneuolentia contentus est, nisi edenibus quoq; adster, id est, ministrum semensae praebet. Ministrat, inquam, mensae, qui habuit promissiones dei eximias, qui est pater omnium credentium, qui est proauus Christi, qui erat confederatus dei & regum potentissimorum, deniq; qui erat quasi princeps honoratissimus in illa terra: quiq; quatuor orientis reges potentissimos uicerat bello, & reges captos cum captiuis suis reduxerat. Hic, inquam, uir inclytus atq; clarissimus, omnibus opulentis exemplum praetulit honoris impendendi peregrinis, humanitatis item & hospitalitatis erga omnes exercendae. Accedit enim illis omnibus, quod conuiuio finito comitem se iuneris coniungit peregrinis, & hos aliquouersq; deducit. Pudeat ergo & pigeat tandem diuites

diuites iniquos suæ auaritiæ & sordiditatis. Quid quæso uoluptatis capiunt ex suis diuitijs? cui quæso profunt? quem honorant? aut quæ honorem, quàm uel laudem sibi parant apud homines? Quin relictis istis turpissimis nebulonibus, audiant potius, qui sapiunt, diuites, apostolum dicentem, Hospitalitatis ne sitis immemores. Per hanc enim quidam incientes exceperunt angelos hospitio. Ac reuera loquitur de Loth & Abrahamo. Neque dubium est, quin ipsos quoque angelos dei adeoque ipsum Christum excipiamus hospitio, quotiescunque humanitatis hospitalitatisque officia exhibemus hominibus pijs & claris.

Postremo seruiant opes diuitum non tantum honoratis hominibus, sed maxime indigis & pauperibus. Reperenda enim hoc loco uenit saluberrima Pauli doctrina, Diuitibus præcipe, ut benefaciât, ut diuites sint operibus bonis, ut faciles sint ad impartiendū, libenter comunicantes, recondentes sibiipsis bonum fundamentū in posterum, ut accipiant uitam æternā. Cum doctrina apostolica congruit prophetica per omnia. Isaias enim de Tyro, Negotiatio & merces eius sacrosanctæ erunt domino: non reponetur negotiatio eius, nec recondetur, sed erit eorum qui habitant ante dominum ad comedendum ad saturitatem, & ad operimentum senum. En docet & Isaias, quomodo thesaurum semper permanentem recondamus. Eadē leguntur & Math. cap. 6. quæ superius recitata sunt, Reuocet hic quisque in memoriam & alias salutare dominum dei sententias in scripturis propositas, quibus excitetur ad beneficentiam. Moses in lege dicit, Vide ne obfirmes cor tuum, neque contrahas manum tuam à fratre tuo pauere: sed liberaliter aperiās illi manū tuam. Omnino dabis ei, & non sit pectus tuum malignum cum das ei. Nam huius rei gratia dominus deus tuus locupletabit & fortunabit te in cunctis operibus tuis, & in cunctis ad quæ admoueris manum tuam. Quoniam nunquam deerunt pauperes in terra: proinde præcipio tibi, dicens, Liberaliter aperi manum tuam fratri tuo pauperi atque inopi in terra tua. Sic legimus in Psalmis, Vir bonus confert beneficia, & dat mutuo, suasque res obit exactissimo iudicio. Spargit dans pauperibus, iustitia eius manet in sæculū sæculi, cornu eius exaltabitur in gloria. Solomon quoque dicit, Beneficentia & fidelitas ne te destituant, liga eas ad collū tuum, & tabulis cordis tui inscribito. Assequeris gratiā, & bonā existimationē in oculis dei & hominum. Item, Honora domum de tua substantia, & de primitijs omnium frugū tuarum da pauperibus: & implebuntur horrea tua saturitate, & uino redundabunt torcularia tua. Et iterum, Qui obdurat aurem suam ad clamorē

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

rem pauperis, clamabit & ipse, & non exaudietur. Cum his per omnia congruunt sententiæ apostolicæ & euangelicæ, Omni poscenti abs te tribue. Item, Amen dico uobis, quatenus fecistis misericordiam cum his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Id quod reuera in signum est, & animo cuiusq; penitus recondendum. Sibi enim impensum reputat dominus Iesus, quod impendis cuiilibet pauperi: se neglectum & præteritum putat, si neglexeris præterierisq; pauperem aliquem. Certa & indubitata sunt hæc, Nam ipse dominus & iudex asserit se ita in fine mundi, & in ultimo illo iudicio pronunciaturum extremam sententiam, Venite benedicti patris mei possidere regnum, &c. Esuriui enim, & dedistis mihi cibum: sitiui, & dedistis mihi potum Et cætera quæ leguntur Mathæi 25. cap. Huc pertinet & illa S. Ioannis apostoli sententia, Qui habuerit substantiam mundi, & uiderit fratrem suum egentem, & clauerit uiscera sua ab eo, quomodo manet charitas dei in eo? Vnde haud dubie acceperere quod dixerunt ueteres, Si uideas interire pauperem fame, nec iuuisti, cum porueris, occidisti. Sciat itaq; et persuadeat animo suo qui facultates habet, ante omnia benefaciendum esse indigis.

Quibus benefaciendum.

Benefaciat autem opulentiis omnibus quibus benefacere potest. Dicit enim dominus, Omni peccati da. Et Tobias, Noli faciem tuam auertere ab ullo paupere. Id si per tenuitatem non potes, benefac maxime illis, quos maxime pietati studere, ac interim egere uideris. Paulus enim, Operemur bonum, ait, cum erga omnes, tum uero maxime erga domesticos fidei. Iuuemus ergo pupillos, orphanos, uiduas, senes, ægros, persecutione propter ueritatem pulsos, & calamitatibus afflictos oppressosq; Iuuemus studia bona & sancta, studentiosos item & ueros dei ministros pauperiæ laborantes. Iuuemus deniq; peregrinos, & quoscunq; iuuare possumus.

Quomodo benefaciendum.

Iuuemus autem consilio, consolatione, auxilio, pecunijs, cibo, potu, hospitio, uestibus, cõmendatione, & in omnibus in quibus illos uidemus nostra opera indigere. De qua redixi non nihil sermone 10. Decadis primæ. Iuuemus item prompte, animo propenso, hilaritq; mente, Hilarem enim datorem requirit deus. Et iuuemus quidem liberaliter. Tobias dicit, Quomodo potueris ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum fuerit, etiam de eo libenter impartire. Ita benedicet dominus tibi & tuis omnibus.

Quantum benefaciendum.

Dixi hæc hæstenus fratres, de legitimo usu bonorum terrenorū, ea recondat quisq; in animo, ac producat mox in opus sanctū: oret dominum ut in uijs suis nos dirigat, ne propter peritura illa bona amittamus æterna.

De ca

De calamitatibus miserisq; uarijs patienter perferendis: item de
spe & mulijuga fidelium consolatione. SERMO III.



ON inepte mihi uideor facturus, fratres honorandi, si
dissertationi de facultatibus hominum, earumq; usu &
abusu, subiungam modo disputationem de calamita-
tibus uarijs, quibus genus humanum, donec in hisce
terris uiuit, affligitur. Cum enim multi res temporales amittant, uel
eas colligere non possunt, ideoq; paupertate & inopia rerum om-
nium premantur, uile sanè, imò necessarium fuerit pio cuilibet cer-
tam ex uerbo dei rationem tenere calamitatum, & item consolatio-
nis in calamitatibus, ne absorptus nimijs doloribus desperationeq;
irretitus, mancipium se dedat diabolo. Seruit autem ista tractatio
uniuersæ uitæ hominis. Neq; enim de una aliqua duntaxat calami-
tate, utpote paupertate aut rerum inopia, sed generaliter de omni-
bus dicam afflictionibus. Certè cum homo ad laborè ærumnasq;
perinde ut auis ad uolandum, piscis ad natandum natus sit, nun-
quam erit uita hominis tranquilla & suauis, nisi certam teneat ca-
lamitatum rationem. Si uero hanc ex uerbo dei decerpam aut pe-
titam religiose teneat, non poterit non suauis esse uita etiam cum
uideatur alioqui esse amarissima. Affligitur quidem & premitur gra-
uiter animus hominis calamitatibus, sed idem rursus cognitione ca-
lamitatum uera & consolatione sancta, desumpta ex uerbo domi-
ni, ualidissime subleuatur.

Principio præstat ipsa genera seu species calamitatum potissimas *Genera seu*
oculis nostris propositas coram intueri. Innumerabilia quidè sunt *species ca-*
malæ, quæ miseros nos exercent, sed uulgatissima sunt pestis, morbi *lamitatum.*
uarij & innumeri, ipsa deniq; mors & mortis metus, ipsa morte du-
rior. Accedit his mors atq; sinistrum fatum præstantissimorum, uel
nobis charissimorum hominum, deprædatio, oppressio, infortunia
innumera, paupertas, inopia rerum omnium, desertio ab omnibus,
infamia, exilium, persecutio, carcer, tormenta & supplicia, eaq; ex-
quistra, horrenda, & uaria, cælum tempestuosum, sterilitas, fames,
gelu, pruina, grando, diluuium, terræ motus, absorptæ urbes, uastati
agri, incēdia, ruina, odia, factiones, simultates, proditiones, seditio-
nes, bella, strages, captiuitates, insolentia & crudelitas hostium, ty-
rannis: item orbitas, uel afflictiones, curæ & miseria ex incommo-
dis coniugibus, ex liberis uel miseris uel maliciosis, inobediens uarijs
& ingratis, cura deniq; & sollicitudo iugis & uaria de rebus uarijs
& misere extruciantibus nos. Verum nemo quantumuis cop. o. o.

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

recensuerit catalogo mala omnia, quibus obnoxium miserandum genus hominum in momenta excarnificatur. Enascuntur in diem mala noua, incognita nostris maioribus. Et hæc quidem est fors nostra, qui nouis subinde peccatis noua meremur supplicia, cum alioqui sat imò nimium erat miseriarum atterentium hominem.

Affliguntur boni & mali calamitatibus. His autem malis exercentur tam boni siue pii dei cultores, quam impij dei contemptores: imò affliguntur per omnem propè uitam sancti, prophani contra affluunt delicijs & uoluptatibus: unde graues exoriuntur apud pios tentationes & querelæ. Impij ex sua fortuna & uita uoluptuosa colligunt & cultum & mores ipsorum probari deo, confirmanturq; in suis erroribus. Quid quod pij propter miseras diutius perpeffas à pietate deficiūt ad impios, quod & illis uideatur horum sortem esse præstantiorem? Ac confert ista sigillatim cognoscere ex scripturis.

Affligi pios æque atq; impios, claret mox ab exordio rerum in exemplo Abelis & Caini. Sicut enim ille ab hoc misere cæsus est & sublatus è terra propter synceriores dei cultum: ita hic propter parricidium profugus, pavidus & trepidus in terra locum non habuit, in quo quiesceret. Calamitatibus multis & uarijs legitur oppressus fuisse Iacob Israel. Idem traditur in scripturis & de Aegyptijs, Izraelitas persequentibus. Afflictus est Saul: afflictus est etiam Dauid. Grauißimam crucem cum discipulis suis sustinuit dominus & saluator noster. Rursus horribili sed condigno excidio sublati sunt truculentissimi persecutores Christi & discipulorum Iudæi, Infanda mala pertulit sancta Christi ecclesia in decem illis cruēißimis Constantini magni imperium præcedētib; persecutionibus: sed com memorat Orosius illustris diligens & fidelis historicus meritas proctinus pœnas sumptas esse de persecutoribus, de quibus aliqua dicam suo loco. Vnde diuino & humano testimonio, adde & multiplici experientia comprobatum cernimus tam pios quàm impios calamitatibus affligi.

Affliguntur pij, in uoluptatibus uiuunt impij. Imò affliguntur ferè optimi quicq; immunes à calamitatibus in tranquillitate uoluptatibus & otio uiunt impij & pessimi. Adde quod persecutionem & iniurias sustinentibus bonis, exultant mali. Dominus enim in euangelio dicit discipulis suis, Amen amen dico uobis, plorabitis & lamentabimini uos, mundus contra gaudebit: uos autē mœrore afficiemini. Cæterum quales in animis sanctorum tentationes ob hæc suas tribulationes exoriantur, & quid colligant ex felicitate impiorum non prorsus alieni à deo et ipsi etiã hostes

hostes dei, passim in scripturis occurrit, in primis autem in admiranda illa disputatio *de* Iobi & amicorum eius. Conqueritur propheta celeberrimus Abacuk & ait, Usquequo domine clamabo, & non *Abac. 2.* exaudies? uociferabor ad te uim patiens, & non asseris? Quare cogor uidere iniquitatem prædam & iniustitiam contra me? Quare respicis contemptores, & taces conculcâte impio iustiorum se? Iustum impius circumuenit, & ideo iudicium peruersum exit. Apud Mala- *Malach. 3.* chiam uero clamant hypocritæ, Frustra seruitur deo; quæ enim utilitas, quod mandata eius obseruamus? & quod humiliati uel tristes coram deo exercituum ambulamus? Nunc ergo beatos & felices iudicamus arrogantes & contumaces. Etenim impietatem pertrantes feliciter agunt & ædificantur, & qui deum tentant, pergunt nec intereunt. Significantissime autem plenissimeque ista omnia comprehendens diuinus propheta Asaph doctissime canit, Pa- *Psal. 73.* rum absuit quin nutauerint pedes mei, & ferè effusi fuissent gressus mei. Nam urebat me æmulatio propter stultos, cum prosperitatem impiorum uiderem. Neque enim sunt illis nexus ad mortem: nullis inquam morbis diuexantur, quibus ueluti ad mortem pertrahunt, quin pingues sunt & præualidi. Nulla eos, ut reliquos mortales, premit molestia: malorum, quibus alij homines afficiuntur, immunes sunt. Hinc fit ut superbia eos totos possideat, & ceu ueste inuoluantur uolentia. Præ pinguedine oculi eis turgent, in imaginationibus cordis sui pergunt, dum eis uidelicet pro uoto omnia succedant. Proterunt os suum in cælum, & lingua eorum orbem peruagatur. Quin & dicere audent, Quomodo cognosceret omnia deus? est ne cognitio apud altissimum? Sic inquam impij sunt isti, & tamen felices in hoc sæculo, & multas assequuntur diuitias. Profecto frustra purum seruauit cor meum, frustra manus meas abluo in innocentia: plagasque perfero quotidie. Et cum ita mecum reputarem, parum absuit quin defecissem à generatione filiorum dei.

Et cum hæc ita se habeant, consequens est ut diligentissime excu- *Causæ eorum* tiamus causas calamitatum. Sic enim rectius de afflictionibus tum *laminationis* impiorum tum impiorum iudicabimus. Causæ malorum multæ sunt ac uariæ: generalis tamen ipsum reputatur peccatum. Nam ex inobedientia intravit peccatum in mundum, & per peccatum mors, a deoque morbi & mala orbis omnia. Vanissimi sunt quicumque hæc referunt ad constellationes nescio quas. Cæterum cupiditatibus & afflictionibus corruptis cumulamur in diem mala malis. Accedit ad ea suggestor & incensor sathanas. Adiuuant præterea homines pessimi & corruptissimi; uariisque oboriuntur quotidie instrumenta uti-

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

bulationum, quibus deus sapientissimus & iustissimus omnes fere homines exerceri torqueriq; permittit.

*Causse affli-
ctionum
in sanctis.
Ioan. 9.*

Sed non eadem semper inueniuntur afflictionum causse in pijs dei cultoribus quæ in impijs dei contemptoribus. Affliguntur sancti persæpe, ut per afflictionem suam dei gloria innotescat. Videntes enim discipuli domini cæcum illum euangelicum, qui fuerat à natiuitate cæcus, dicunt ad dominum, Rabbi quis peccauit, hic autem parentes eius, ut cæcus nasceretur? Respondit Iesus, Neq; hic peccauit, neq; parentes eius, sed ut manifestentur opera dei in illo. Ita cum dominus audiret ægrotare Lazarum, Infirmis hæc, inquit, non est ad mortem, sed pro gloria dei, ut glorificetur filius dei per eam. Quamquam si ad uiuum hanc rem rescemus, nemo inueniatur in mundo purus, ut si uolet obseruare iniquitates dominus, semper inueniat in nobis quod puniat. Sicuti copiosissime exponitur in libro Iob.

Ioan. 11.

*Liberamur
dei bonitate,
non nostro
consilio.*

Præterea affligi finit sponsam suam ecclesiam, sibi longè charissimam dominus, in hoc, ut declaret diuina potentia & op e, non consilio aut auxilio humano defendi, seruari & liberari electos. Paulus enim, Habemus thesaurum hunc, inquit, in testaceis uasculis, ut uirtutis eminentia sit dei, & nõ ex nobis, dum in omnibus premimur, & non anxij reddimur: laboramus, at non destituimur: persequutionem patimur, at non in ea deserimur: deijcitur, at nõ perimus: semper mortificationem domini Iesu in corpore circumferentes, ut & uita Iesu in corpore nostro manifestetur. Semper enim nos qui uiuimus, in mortem tradimur propter Iesum, ut & uita Iesu manifestetur in mortali carne nostra. Idem apostolus, Virtus, inquit, in infirmitate perficitur.

*Afflictiones
testimonia
doctrinae.*

Rursus sicut afflictiones sanctorum martyrum et fidelium Christi testimonia sunt doctrinae fidei, dicente in euangelio saluatore, Tradent uos in concilia, & in conciliabulis suis uirgis cædent uos: quin ad principes ac reges ducemini propter me, in testimonium ipsis & gentibus. Ita proponuntur nobis sancti auiti malis, exempla, ex quibus discamus uincere & calcare mundum, aspirare autem ad cœlestia.

*Afflictionibus
probanur.*

Deniq; cruce imposita suos probat dominus, atq; purgat cœcum igni, multas mali occasiones amputat, ut ad maiorem uberioresq; nos prouehat frugem. Imitatur ea in re domini sapientia aurifabros, qui aurum igni imponunt, ut purgent, non ut perdant: itē homines agricolas, qui segetem luxuriantem aliquando demetunt, & arbores non in alium finem putant, nisi ut uberiores proferant fructus.

fructus. Ac caro quidē nostra pacatis & trāquillis rebus ferē segnis, Iners, fœcōs, & ad res honestas planē torpida est: acquiescit in rebus terrenis, dedicat se uoluptatibus, obliuiscitur dei rerumq; cœlestium: talem uero afflictionibus & persecutionibus excitari exerceriq; non conducibile tantum, sed & pernecessarium est. Euenit hic electis quod ferro: quod si exerceamus, aueritur quidem nonnihil usu, quod si non usurpemus exerceamusue, plus arroditur rubigine. Ve-
 rissime ergo dixit S. Petrus, Charissimi, ne miremini dum per ignem *1. Pet. 4.* exploramini, quæ res ad experimentum uestri fit, perinde quasi nouum aliquid uobis obtingat: imō in hoc quod consortes estis afflictionum Christi, gaudete, ut in reuelatione quoque gloriæ eiusdem gaudeatis exulantes. Paulus enim ad Timotheum, Memen-
 to, inquit, Iesum Christum resurrexisse à mortuis, ex femine David, secundum euangelium meum, propter quod malis affligor quasi facinorosus usq; ad uincula: omnia tamen sustulero propter electos, ut & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu cum gloria æterna. Certus sermo, Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si sufferimus, & conregnabimus: si negamus, & ille negabit nos. Nam idem & ad Romanos scripsit, Quos præsciuit, eosdem & præ-
 finiuit cōformes imaginis filij sui, ut ipse sit primogenitus inter mul-
 eos fratres, Et quos prædestinauit, eosdem & uocauit: & quos uoca-
 uit, eosdem & iustificauit: & quos iustificauit, eosdem & glorifica-
 bit. Rursus in eadem epistola clamat idem apostolus, Gloriamur *Rom. 8.*
 etiam super afflictionibus, scientes quod afflictio patientiam pariat, patientia uero probationem, probatio autem spes: spes autem non pudescit, &c. Declarant hoc ipsum priuata sanctorum & publica *Rom. 5.*
 ecclesiæ totius exempla. Abraham, Isaac & Iacob non ita fidele & præsens dei auxilium sensissent, neq; tam firma spe obfirmati fuisse-
 sent, patientiæq; speciosissimos ædidissent fructus, nisi multis fuisse-
 sent exercitati periculis & calamitatibus uelut oppressi. Vnde & Da-
 uid clamauit, Bonum est mihi domine quod humiliaueris me. Op-
 primitur ecclesia Izraelitica in Aegypto, sed ut maiore cum gloria li-
 bereur & proficiscatur in terram promissam. Affligitur à Babylo-
 nijs & Assyrijs ecclesia Iudaica, adeoq; diruto templo, in captiuitate
 sem abducuntur cum pessimis optimi quicq;. Verum pij in ipsa capti-
 uitate mirificum dei auxilium sentiunt, adeoq; puriores fiunt per af-
 flictiones, ac innorescit nomen domini per Assyrios, Chaldæos, Me-
 dos & Persas quàm latissime, & maxima quidem cum gloria, sicut
 copiose exponitur in historia Danielis, Hesther & Esdræ.

Huc pertinet quod certa supplicia certis à domino peccatis con-

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

*Certa sup-
plicia cer-
tis peccatis
constituta.*

stituuntur, ut ferè per ea puniatur aliquis, per quæ peccando domi-
num offendit. Peccarat contra dominum parricidio & adulterio
Dauid: punitur ergo ipse quoq; domesticis probris, stupris, incestu,
& parricidijs nephandissimis, tandem & in exilium eijciur. Arro-
gantia & superbia peccauit Nabuchodonosor, ergo sibi ipsi abre-
ptus & conuersus in bestialem furorem inter bestias destinato tem-
pore agebat. Nam ut suo tempore restituitur Nabuchodonosor re-
gno suo: ita Dauid quoq; misericordiã domini experitur. Firmum
enim manet hoc uerbum domini, non soli Dauidi, sed cuilibet fide-
li, quod in sacris literis sic proditũ legimus, Si filij eius legem meam
deseruerint, & præcepta mea non custodierint, præuocationes eor-
um uirga uisrabo, & iniquitates eorum flagellis: at bonitatem
meam non auferam ab eo. Nõ prophanabo fœdus meum, & quod
semel egressum est ex ore meo, nunquam mutabo. Ergo ad uilita-
tem nostram affligimur à domino, dicẽte in theologia sua, edina per
Ioannem apostolum & euangelistam, Ego quoscunq; amo arguo
& castigo. Nam Solomon prior dixit, Castigationem domini caue
auerferis, fili mi, neq; fastidias aut moleste feras cũ te corripit. Quem
enim amat dominus, obiurgat, & tanquam pater in filio delectatur.

*Apoc. 3.
Prouer. 3.*

*Persecutio
nes eccle-
siae peccata
quoq; caus-
as habent.*

Proinde persecuutiones & supplicia saua ecclesie dei, uel singu-
lis illata martyribus, ut ferè fuerunt illata propter confessionem &
testimonium fidei ueritatisq; euangelicæ, ita plerunq; causas habu-
erunt delicta & peccata sanctorum, quæ in sanctis iustitia dei uisita-
uit utiq; in bonum & incolumitatem sanctorum. Nam de famo-
sa illa Imp. Diocletiani & Maximiani persecuutione, quæ tot no-
bis martyrum celeberrimorum chiliades, imò & myriades dedit,
hæc legimus apud Eusebium Cæsariensem, testem oculatum, non
auritum duntaxat, Vbi ex multa libertate multaq; indulgentia ui-
riati sunt mores & disciplina corrupta est, dum alter alteri inuide-
mus, & alter alteri derogamus, dumq; nos inuicem mordemus &
incusamus, & aduersus nos ipsos inuestina prælia commouemus,
dum simulatio in uultu, dolus in corde, fallacia profertur in uerbis,
& malorum per singula cumulus intumescit, aggreditur dominus
sensim refrenare lapsantes, & congregationibus adhuc manenti-
bus, indulget eos tantum, qui in militia erant gentilium, persecutio-
ne pulsari. Sed cum ne sic quidẽ populis ullus sensus redderetur, &
in malis suis persisteret, atque ipsi etiam duces populi & principes
diuini immemores mandati, aduersum se inuicem, contentionibus,
zelo, liuore, superbia, inimicitijs atque odijs inflammarentur, ita u-
tyrannidem potius quàm sacerdotium se tenere crederent, Christiana
na syna

nae synceritatis & puritatis obliu: tunc demum domus orationis & ecclesie dei uiui ad solum usque deductæ sunt, diuinæ autem scripturæ in medio platearum igni crematæ sunt. Hæc uerborum leguntur in 8. lib. Eccles. historie Eusebij.

Distinguo tamen hic inter peccata. Peccant enim sancti, sed ab-
stinent interim à sceleribus, licet in hæc quoque nonnunquam ru-
ant, ut claret in exemplo Dauidis. Fugiunt tamen ferè furta, parrici-
dia, stupra & alia his similia morte expianda piacula. Ac dum sup-
plicij afficiuntur à tyrannis sancti, non propter iustitiam aut reli-
gionem ueram neglectam, supplicij afficiuntur, sed propter spre-
tam superstitionem & ueræ religionis studium pertinacissimum.
Condonat ergo & abluat Christi sanguine peccata sanctorum mar-
tyrum dominus, & reputat mortem ipsorum, non ex peccatis com-
missis, sed ob religionis studium perperam. Punit item tyrános ob
caesos martyres, quod tyrannidem, non iustum dei iudicium in his
plectendis, sunt sequuti. Voluit quidem dominus castigare suos per
tyrannos: sed illi non ita reputarunt (ut est apud Isaiam in 10. cap.)
quin potius suos affectus sequuti, modum nec seruauerunt in suppli-
cij sumendis, nec iustitiam quaesierunt: puniuntur ergo à domino
quod innoxios trucidarunt. Nam quod dominus in suis persequu-
tus est, delicta utiq; atque peccata, tyranni nec persequuntur nec pu-
niunt: quod autem probat dominus, studium utiq; religionis ueræ,
fugam & execrationem idololatriæ, id inquam ferro & igni perse-
quuntur isti. Huc itaque pertinet illud S. Petri dictum, Ne quis ue-
strum affigatur ut homicida, aut fur, aut facinorosus, aut curiosus
alienarum rerum. Quod si quis ut Christianus affligitur, ne erube-
scat, imò glorificet deum in parte hac.

Interim non iubeo desperare facinorosos. Habent hi exemplum *Supplicium*
laronis cum Christo crucifixi, quod imitentur: agnoscant uidelicet *scelerato-*
culpam, credant in Christum, huic se commendent, & ferant tor-
menta patienter. Id si faciunt, dubium non est quin à Christo reci-
pianur in paradysum, in æternum apud Christum cum latrone
uicturi.

Et quanquã pius inter sceleratissimos trucidetur, non magis sup-
plicij societate contaminatur, q̃ Christus dominus cõtaminatus legi-
tur cū suspenderetur inter latrones. Licet enim pari implicentur sup-
plicio pij & impij: dispari tamen sine dissociantur, dum impius ab-
ripitur à morte corporea in tartarum, æternũ arsurus, pius uero eue-
ntigio migrat in cælum, uicturus cum Christo dño, cui sese credidit
atq; obtulit. De hac re, et de causis afflictionũ sanctorũ dei hominũ,

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

non grauabor C. V. recitare elegantem locum ex i. lib. S. Augustini de ciuitate dei, Quicumq; inquit, boni maliq; similiter afflicti sunt, non ideo ipsi distincti non sunt, quia distinctum nõ est quod utriq; perpeffi sunt. Nam sicut in uno igne aurum rutilat, & palea fumat, & sub eadẽ tribula stipulæ cõminuuntur, frumenta purgantur, nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodẽ præli pondere exprimitur. Ita una eadẽq; uis irruens bonos probat, purificat, eliquat. malos damnat, uasat, & exterminat. Vnde in eadẽ afflictione mali deũ detestantur atq; blasphemãt, boni autem precantur & laudant. Tantum interest non qualia sed qualis quisq; patiat. Nã pari motu exagitatũ & exhalat horribiliter cœnũ, & suauiter fragrat unguẽtum. Quid igitur in illa rerũ uasitate & Barbarorũ irruptione Christiani passi sunt, quod eis non magis fideliter ista considerantibus ad profectũ ualere? Primo quod ipsa peccata, quibus deus indignatus impleuit itãis calamitatibus mundũ, humiliter cogitantur, quãuis longe absint à facinorosis, flagitiosis atq; impijs, tamen non usque adeo se à delictis deputant alienos, ut nec temporalia pro eis mala perpeti se iudicent dignos. Excepto enim quod unusquisq; quamlibet laudabiliter uiuens, cedit in quibusdam carnali concupiscentiã, esse non ad facinorum immanitatem & gurgitem flagitiorum atq; impietatis abominationem, ad aliqua tamen peccata uel rara uel tanto crebriora quãio minora. Hoc ergo excepto, quis facile reperitur qui eosdẽ ipsos, propter quorũ horrendam superbiam, luxuriam & auaritiã, atq; execrabiles iniquitates & impietates deus, sicut minando prædixit, conterit terras, sic habeat, ut habendi sunt, sic cum eis uiuat, ut cum talibus uiuendum est? Plerũq; enim ab eis docendis, admonendis, aliquando etiam obiurgandis & corripiendis male dissimulatur. uel cum laboris piger, uel cum os eorum, cum quibus sumus, uerecundamur offendere, uel cum eorum inimicitias deuitemus, ne impediant & noceant in rebus temporalibus, siue quas adipisci adhuc appetit nostra cupiditas, siue quas amittere reformidat infirmitas: ita ut quãuis bonis uita malorũ displiceat, & ideo cũ eis non incidãt in illam damnationẽ, quæ post hanc uitã talibus præparatur: tamẽ quia propterea peccatis eorũ dãnabilibus parcunt, dum eos in suis licet leuibus & uenialibus metuunt, iure cum eis temporaliter flagellantur, quamuis in æternum minime puniantur. Iure istam uitã quando diuinitus affliguntur cũ eis amarã sentiunt, cuius amando dulcedinẽ, peccantibus eis amari esse noluerit. Non mihi itaq; uideatur hæc parua esse causa, quare cũ malis flagellentur & boni, quando deo placet perditos mores, etiam temporalium penarũ afflictione

afflictione punire. Flagellantur enim simul, non quia simul malam agunt uitam, sed quia simul amant temporalem uitam: nō quidem æqualiter, sed tamen simul, quam boni contemnere deberent, ut illi correpti atq; correcti consequerentur æternam, ad quam cōsequendam si nollent esse socij, ferrentur & diligerentur inimici: quia donec uiuunt, semper incertum est, utrum uoluntatem sint in melius mutaturi. Quare non utiq; parem, sed lōge grauiorem habent causam, quibus per prophetam dicitur, Ille quidem in suo peccato morietur, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Ad hoc enim speculatores, id est populorum præpositi, constituti sunt in ecclesijs, ut non parcant obiurgando peccata: nec ideo tamen ab huiusmodi culpa penitus alienus est, qui licet præpositus non sit, in eis tamen quibus uitæ huius necessitate coniungitur multa monenda & arguenda nouit & negligit, deuitans eorum offensionem, propter illa quibus in hac uita, non ut debuit, uitur, sed plus quàm debuit delectatur. Et reliqua. Hæc enim omnia hucusq; recitauimus ex S. Augustino.

Ad causas calamitatum prementium sanctos dei homines accedit insuper & illa, quod ipse dominus affligens amicos suos euidentissimum iusti sui iudicij in impios & contemptores dei argumentum edit. Nam S. Petrus, Tempus est, inquit, ut incipiat iudicium, afflictio inquam & tribulatio, à domo dei. Quod si primum incipit à nobis, quis erit finis eorum qui non credunt dei euangelio? Et si iustus uix saluatur, impius & peccator ubi comparebit? Huc pertinet & illa domini exeuntis ad locum supplicij memorabilis sententia, atq; dicentis, Si in humido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Si sancti arbores frugiferæ, speciosissimos honorum operum fructus proferentes, in hoc sæculo, deo permittente, usque deo misere diuexantur & torquentur, quid quæso dicemus de impijs, qui alienissimi sunt ab omni uirtute & opere bono? Cruciabuntur hand dubie modis pœnis aut supplicijs omnino infandis.

Quod enim causas attinet calamitatum, quibus impij diuexantur, non possunt esse ullæ aliæ quàm ipsa quæ quotidie patrant scelera, ideoq; puniuntur iusto dei iudicio, ut omnibus appareat deum odisse impietatem cum impijs. Ita afflictus legitur Pharaos. Saul incubuit proprio mucroni, ceciditq; in monte Gelboe cū multis Izraelitarum milibus, eo quod peccasset contra dominum, qui ipsum in argumentum sui iusti iudicij, deniq; reliquis ad terrorem perdere uoluit. Morbo horribili corripuntur & extinguuntur Antiochus Epiphanes, Herodes magnus, Herodes Agrippa, & Galerius Maximianus.

*Afflictio
piorum ar-
gumentum
iusti iudicij
dei in im-
pior.*

Luc. 23.

*Causæ
afflictio-
num in
impijs.*

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

nus Cæf. Quia peccauerunt in deum & fideles dei, quos hic ulcisci iustiq; sui iudicij argumenta proferre uoluit: adeoq; illos statuere exempla tyrannis, in quibus uideant quæ maneant persequutores piorum supplicia. Et quamuis bonus dominus creaturis suis omnia ad bonum instituat, & ferè calamitates omnes imittat ut à sceleribus retrahat: quia tamen hypocritæ & impij consilia dei aspernantur, neq; deum percutientem agnoscere, neq; ad deum conuerti sustinent, omnia ipsis cedunt ad interitum, quemadmodum diligentibus deum omnia cooperantur ad bonum, ideoq; pereunt in suis calamitatibus, adeoq; in præfenti hoc sæculo iram dei per supplicia horrenda perferenscere incipiunt, & eadem, imò longè maiora & acerbiora multò, simul atq; hinc migrarint, in futuro sæculo æternum perferunt.

- De infelicitate impiorum.* Quod si nulla hic sentiunt incommoda uel mala impij, grauius affligentur in futuro sæculo. Nouissima est parabola illa euangelica de diuite epulone, qui cum in hac uita uixisset in delicijs, in futura sui torquetur, & ignibus infernalibus torretur sæuissime. Est ergo felicitas impiorum in hac uita aliud nihil, quàm extrema miseria.
- Iacobi 5.* Nam S. Iacobus apostolus, In delicijs uixistis super terram, inquit, & lasciuiistis, enutristis corda uestra, ut in die mactationis, quod inquam cederet uobis sicuti saginatis pecudibus, quæ ad lanienam saginantur, Significantius enim Ieremias, Iustus es tu ô domine, inquit, ut maxime tecum exoptulem: exoptulabo tamè. Qui fit ut uia impiorum prosperetur, & feliciter agant omnes qui impudentissime præuaricantur? Plantaſti eos, radices agunt, proficiunt, quin & fructum ædunt. Et mox, Tu autem domine, extrahe eos sicut pecudem è grege ad lanienam, & consecra siue destina eos ad diem occisionis. Cum his faciunt illa quoq; quæ post felicitatem impiorum copiose et rotunde enumeratam, Asaph in hæc uerba subiungit, Certe istos tu constituisti in lubricum, deiciēs eos præcipites, ut profusus dissiliant. O quàm subita calamitate oppressi sunt: perierunt, terribus absorpti sunt. Non aliter quàm somniū quod disparuit quàm primum quis euigilauit. Domine, contemptissimas reddes in ciuitate eorum imagines. Nam & Dauid prior cecinit, Paululum ad huc, et nusquam erit impius: cumq; inspexeris locum eius, nusquam apparebit. Vidi impium potentem & uirentem ac sese diffundentem instar frondosæ lauri: & transiui, & ecce nusquam erat, quæsiuimus eum & nõ est inuentus. Ad eundem modum testatur & Malachias permultum interesse in die iudicij inter colentem deum & non colentem, inter iustum & impium. Venturam enim diem domini in qua

qua feroces et arrogantes omnes, omnes item qui iniquitate patrant, ceu stipula igni coactus immisso sint inflammandi, ut neque radix neque ramus eis relinquatur. Proinde qui sapiunt, nunquam post hac offenduntur impiorum felicitate, nunquam desiderabunt confortes fieri infelicissimae felicitatis: neque admodum horrebunt crucis & calamitatum miseriam, quam audiunt a clementissimo deo sanctis immitti, ut probentur & excoquantur a scoria carnis, & immundissimi huius mundi. Haec enim sufficiunt disputata de causis calamitatum.

Videamus iam honorandi fratres, quomodo pius et syncerus dei cultor se gerat in quibuslibet calamitatibus siue afflictionibus. Non desperet animi, imo omnem desperationem calcat, quia fortiter sibi in fide mala ferenda intelligit. Spe ergo patientia & precibus se armat. Sunt sane inter homines, qui simul atque affliguntur illud vulgare ingeminant, Optimum non nasci, aut quam citissime aboleri. Impia haec vox est & indigna Christiano homine. Longe impientiores isti sunt, qui sibi ipsi violentiam & armatam manum inferunt, ne diutius mala ferre, aut contumelia affici cogantur. Repudianda est rursus Stoicorum insulsa sententia de indolentia. De qua re recitabo C. V. elegantissimam eximij in ecclesia Christi doctoris disputationem, hisce proditam uerbis.

Quomodo
se gerant
pi in cala-
mitatibus.

Nimis ingrati sumus, nisi calamitates libenter atque hilariter a manu domini suscipimus. Neque uero ea a uobis requiritur hilaritas, quae omnem acerbis doloris sensum tollat. Alioqui nulla esset in cruce sanctorum patientia, nisi & dolore torquerentur, & angerebantur molestia. Si nulla esset in egestate asperitas, nullus in morbis cruciatus, nulla in ignominia punitio, nullus in morte horror, cuius foret uel fortitudinis uel moderationis ea suscipere deus habere? At cum unumquodque ipsorum ingenua sibi amaritudine nostros omnium animos naturaliter mordeat, in eo se profert fidelis hominis fortitudo, si eiusmodi amaritudinis sensu tentatus, utcumque grauius laborat, fortiter tamen obstando eluctatur. In eo se exerit patientia, si acriter extimulatus, timore tamen dei refrenatur ne in aliquem intemperiem erumpat. In eo elucet alacritas, si tristitia & moerore uulneratus, in spiritali dei consolatione acquiescit. Hunc conflictum quem aduersus naturalem doloris sensum sustinent fideles, dum patientiae ac moderationi student, eleganter descripsit Paulus his uerbis, In omnibus premimur, at non anxij reddimur: laboramus, at non desistimur: persecutionem patimur, at in ea non deserimur: deijcimur, at non perimus. Vides ut patienter ferre crucem, non sit

Contra in-
dolentiam
Stoicorum.

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

profus obstupescere, & omni doloris sensu priuari: quemadmodum Stoici magnanimum hominem stulte olim descriperunt, qui exuta humanitate, rebus aduersis perinde ac prosperis, tristibus perinde ut lætis afficeretur, imò qui instar lapidis nulla re afficeretur. Ex quid ista sublimi patientia profecerunt? Nempe simulachrum patientiæ depinxerunt, quod neq; repertum est unquam inter homines, neq; extare potest. Quin potius dum nimis exactam ac præcisam patientiam habere uolūt, eius uim sustulerunt è uita humana. Nunc quoq; sunt inter Christianos noui Stoici, quibus non modo gemere ac flere, sed tristari quoq; ac sollicitum esse, uiciosum est. Atq; hæc quidem paradoxa ferè ab otiosis hominibus procedūt, qui speculando magis quàm agendo se exercentes, nihil quàm talia paradoxa parere nobis queunt. At nihil nobis cum ferrea ista philosophia, quam magister ac dominus noster, non uerbo tantum, sed exemplo etiam suo damnauit. Nam & suis & aliorum malis ingemuit & illachrymauit, nec aliter discipulos suos instituit. Mundus, inquit, gaudebit, uos autem lugebitis & flebitis. Ac ne quis uitio id uerteret, proposito edicto beatos pronunciauit qui lugent. Nec mirum. Nam si improbantur omnes lachrymæ, quid de domino ipso iudicemus, cuius è corpore sanguinæ lachrymæ distillarunt? Si quælibet formido infidelitatis notatur, quo loco habebimus horrorem illum, quo non leuiter consternatum fuisse legimus? Si omnis tristitia displicet, quomodo placebit quod animã suam fatetur esse tristem usq; ad mortem? Hæc eò dicere uolui, ut pios animos à desperatione reuocarem, ne studio patientiæ ideo protinus renunciēt, quod naturalem doloris affectum exuere non possunt. Quod necesse est euenire ijs, qui ex patientia stuporē, ex homine fortè & constanti stipitem faciunt. Sanctis enim tolerantia laudem defert scriptura, dum ita malorum duritia afflictaur, ut non frangantur nec concidant: ita amaritudine punguntur, ut simul perfundantur spiritali gaudio: ita premuntur anxietate, ut dei consolatione exhilarari respirent. Interim uersatur in eorum cordibus illa repugnãtia, quod naturæ sensus, quod sibi sentit aduersum, refugit atq; horret: pietatis autem affectus ad obedientiam diuinæ uoluntatis etiam per has difficultates comendit. Hæc repugnãtiam expressit dominus cum ita loqueretur Petro, Cum esses iunior cingebas te, & ambulabas quo libebas: cum autem senueris, præcinger te alius, & ducet quo non uis. Non est sanè uerisimile Petrum cum necesse esset deum glorificare per mortem, in uitium ac restitatem eò pertractum esse. Alioqui parum haberet laudis eius martyrium. Verum ut unq; cordis summa

Dolent
sancti.

Ioan. 21.

Summa alacritate diuinæ ordinationi pareret, quia tamen humanitatem non exuerat, duplici uoluntate distringebatur. Nam dum cruentam illam mortem, quam erat obiturus per se reputabat, eius horrore percussus, libenter effugisset. Rursus dum succurrebat dei imperio se ad eam uocari, euicto & proculcato timore, libenter atque adeo hilariter eam subibat. Hoc ergo studendum est, si Christi discipuli esse uolumus, ut tanta dei obseruantia atque obedientia imbuantur animi nostri, quæ contrarias omnes affectiones domare ac subiugare eius ordinationi queat. Ita fiet ut quocumque uexemur crucis genere, in summis etiam animi angustijs patientiam constanter retineamus. Res enim ipsæ aduersæ habebunt suam asperitatem, qua mordeamur: sic morbo afflicti & ingemiscemus, & inquietabimur, et sanitatem expetimus: sic egestate pressi, & sollicitudinis et tristitiæ aculeis perstringemur: sic ignominia, contemptus, iniuriæ dolore feremur: sic in funeribus nostrorum debitas naturæ lachrymas exoluemus. Sed hæc semper erit clausula, Atqui dominus ita uoluit. Ergo eius uoluntatem sequamur. Hastenus ille.

Proinde calamitatibus appetiti & irreciti fideles in primis medentur sibi patientia. Ea est, auctore Lactantio, malorum quæ aut inferuntur aut accidunt cum æquanimitate perlatio. *Patients enim fidelis, fide ac spe deo & promissioni eius inhæret, suffert quæ accidunt aduersa, temperans animi dolorem & corporis tormenta sapientia cœlesti, ut nusquam superatus doloris magnitudine deficiat à deo & mandatis eius, faciens ea quæ prohibuit facere dominus. Vincit ergo seipsum & affectiones suas patients, uincit dolores & calamitates omnes, perstat in æquanimitate & pietate. Et quamuis sufferat omnia fidelis patientia, impia tamen nec approbat, nec falsa tolerat. Nam saluator noster unicum patientiæ exemplum, patientissime præbuit impijs manus suas adeoque totum corpus uinciendum: sed idem interim improbat ipsorum iniquitatem, dicens, Quasi ad latronem existis cum gladijs & fustibus, cum quotidie uobiscum fuerim in templo: sed hæc est hora illa uestra & potestas tenebrarum.*

Huc iam pertinet elegans descriptio aut prosopopœia Patientiæ per Florentem Tertullianum, his proposita uerbis, Age iam patientiæ effigiem habitumque comprehendamus, Vultus illi tranquillus et placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta: remissa æque in lætū modum supercilia, oculis humilitate non infelicitate deiectis. Os faciturnitatis honore signatum. Color qualis securis & innoxius. Motus frequens capitis in diabolium, & minax risus. Cæterum amictus circum pectora candidus & corpori impressus,

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

ut qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet enim in throno spiritus eius mitissimi & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, sed est teneræ serenitatis apertus & simplex, quem tertio uidit Helias. Nam ubi deus, ibidem & alumna eius, patientia scilicet.

Vires & effectus patientiæ. Iam & vires Patientiæ enumeratione quadam colligens beatus martyr Cyprianus in sermone de Bono patientiæ dicit, Patientia est quæ nos deo cõmendat & seruat. Ipsa est quæ iram temperat, quæ linguam frenat, mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis imperum frangit, tumoris uiolentiam comprimit, incedium simularitatis extinguit, coërcet potentiam diuitum, inopiam pauperum refouet, tuetur in uirginibus beatam integritatem, in uiduis laboriosam castitatem, in coniunctis & maritalis indiuiduam charitatem, facit humiles in prosperis, in aduersis fortes, contra iniurias & contumelias mites, docet delinquentibus cito ignoscere, si ipse delinquas, diu & multum rogare: tentationes expugnat, persecutiones tolerat, persecutiones & martyria consummat. Ipsa est quæ fidei nostræ fundamenta firmiter ponit: ipsa est quæ incrementa spei sublimiter prouehit: ipsa actum dirigit, ut tenere possimus uiam Christi, dum per eius tolerantiam gradimur: ipsa efficit ut perseueremus filij dei, dum patientiam patris imitamur. Hæc Cyprianus. His se

Luca 12.

Hebr. 10.

libet colophonis uice adijcias licet ex euangelio Christi breuem illam, sed euidentem sententiam, Per patientiam uestram possidete animas uestras: denique hæc apostoli uerba, Ne abieceritis fiduciam uestram, quæ magnam habet præmij retributionem. Nam patientia uobis est opus, ut ubi uoluntatem dei peregeritis, reportetis promissionem. Adhuc enim per pusillum temporis & qui uenturus est, ueniet, & non tardabit, Iustus autem ex fide uicturus est: & si se subduxerit, non probabitur animo meo. At nos non sumus, qui subducamus nos in perditionem, sed ad fidem pertinemus in acquisitionem animæ. Cæterum cum patientia non innascatur nobis, sed conferatur cœlitus, orandus est pater cœlestis, ut hanc nobis conferre dignetur, iuxta doctrinam apostoli Iacobi dicentis, Patientia perficit. Quod si cui uestrum deest sapientia, postulet ab eo qui dat, nempe deo, qui dat, inquam, omnibus simpliciter, nec exprobrat, ac dabitur ei. Sed postulet cum fiducia nihil hæsitans.

Iacob. 1.

De Spe fidelium.

Patientiam uero Christianam fulcit spes solida fidelium. Spem aiunt esse opinionem futurorum, cõmunem quidem tam ad bona quàm ad mala: sed reuera, Spes est expectatio certissima eorum quæ uere & diserte à deo promissa, fides credidit, Est ergo relatio quæ dicitur spei

spei ad fidē, & mutuus quidā inter utrāq; nexus. Fides credit deum
 esse ueracem, & intendit oculos in ipsum deum. Spes autē expectat
 ea quæ credidit fides. At quomodo expectes, nisi scias id quod expe-
 ctas à deo esse promissum, quod suo tempore accipias. Fides credit
 remissa esse nobis peccata, & paratā uitam æternā per Christū: spes
 autē expectat illa ut accipiat ea suo tempore quæ promisit deus, ut-
 cunq; interim iacteretur aduersis. Neq; enim mergitur spes & euanes- *Spes est ab*
 scit, licet non cernat quod sperat: imò non euanescit, tamen si contra- *sentium.*
 ria prorsus se obijciant, quasi nulla sint quæ expectat. Ideoq; Paulus
 dixit, Spe seruati sumus: porro spes si uideatur, non est spes. Quod
 enim quis cernit, cur idem speret? Si uero quod non uidemus, spera-
 mus, id certe per patientiam expectamus. Sperauit Abraham se ac-
 cepturum promissam, in qua tamen ne laium quidem pedem obti-
 nebat, & quam uidebat à potentissimis gentibus occupari, terrā. Spe-
 rauit Moses se liberaturum ex Aegypto, & repositurum Israelis po-
 pulum in terram promissam, quanquā non uideret rationes & mo-
 dum quomodo id perficeret. Sperauit Dauid se regnaturū super Iz-
 raelem, & tamen sensit iminentem sibi Saulem & Saulinos potentis-
 simos, adeo uero non semel periclitaretur de uita. Sperarūt apostoli &
 sancti dei martyres uitam se accepturos æternā, & deum nunquam
 ipsis defuturum: interim tamen sentiebant omnium hominum odia, eij- *Spes est re-*
 ciebantur in exilium, tandē & per uaria supplicia occidebantur. Sic *rum certis-*
 inquam spes absentium & non cōparentium spes est, & expectatio *sumarum.*
 quidem, sed expectatio certa, imò longe certissima: nec quarumli-
 ber rerum, sed quæ comprehendimus uera fide, adeoq; earū rerum
 quæ ab ipso deo uiuo, uero & æterno promissa sunt. Nam S. Petrus,
 Perfecite, inquit, sperate in eam quæ ad uos deferretur gratiam. Perfe-
 cte autem sperant, qui indubie & totos sese committunt diuinæ gra-
 tiæ, ac hæreditatem uitæ expectant sine dubitatione. Sed & Paulus
 apostolus spem appellat animæ, uelut ancoram tutam tum fir-
 mam. Ac quanto firmiter est diuina promissio, tanto certior & secu-
 rior est ipsa spes. Spes enim non est expectatio rei cuiuslibet, sed fi-
 dei, id est, quam fides credidit, & quam scimus uerbo dei nobis pro-
 miti. Ideoq; Paulus fidem per spem exponit, dum dicit, Fides est
 substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Fi-
 des ergo ueluti fundamentū est, cui innititur spes, adeoq; ipse deus
 & uerbum dei infallibile obiectum est spei nostræ. Ideoq; Paulus
 appellat deum spem nostram: ita & prophetæ. Huc pertinet Psal. 91.
 in quo fidelis clamat, Tu es domine spes mea, in ædificasti ha-
 bitationem tuam. Verum innumera inuenias in Psalmis exempla.

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

Nequit autem firma esse spes, ubi non est solida fides & diserta dei promissio. Ea cum sit rerum temporalium & æternarum, spes quoque est temporalium & æternarum.

Spes à deo est. Et ut fides diuinæ gratiæ donum est, non naturæ nostræ uis, ita spes cœlitus nobis donatur, & confirmatur per spiritum dei. In expectatione enim est gemitus & desiderium. Impetunt ratiōnes & urgent, quasi prorsus negetur quod differtur, aut ignoret res nostras deus, qui expectantes subinde, & quasi perpetuo negligere uidentur: multa ergo consolatione & confirmatione spiritus diuini opus habet spes nostra. Quæ si solida sit, sustentat & erigit animum cupidum quidem boni, sed interim tamen infirmitate grauatum. Et cum dominus differt promissa sua, ac uideatur plus æquo diutius nos negligere, aut afflictos alioqui satis, molestius onerare, spes accurrit, faciensque officium suum, iubet nos longanimes expectare dominum, qui ut non potest odisse cultorem suum, ita non fallit, non mentitur uel in minimo,

Non fallit licet aliquoties diu prorahat promissa dominus. qui est æterna ueritas & bonitas. Hic iam profunt scripturæ loci de spei certitudine, & quod non sunt confusi qui sperauerunt in deum, tametsi diutissime auxilium proraxerit. Promittit terram Chanaan dominus semini Abraham, sed eandem tradit possidendam demum post 430. annos, imò circumducit prius etiam per desertum uastissimum annis 40. Liberat ex Babylone, sed post annos 70. Exempla huius rei in scripturis innumera sunt. Quid quod filium unigenitum ab initio mundi promissum, exhibet tandem in fine sæculorum? Durandum est ergo sanctis, expectandum hoc potissimum nomine, quod fallere non potest ueritas, quod omnes expectantes ipsum seruati sunt. Clamat

Psal. 22. Dauid, In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt & liberasti eos. Ad te clamauerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi. Et iterum, Bonus est dominus, beatus uir qui sperat in eo. Item, Qui confidunt in domino ut mons Sion, non mouebuntur, sed permanebunt in æternum. Clamat enim Paulus in suis tentationibus, dicens ad Philip. Noui quod calamitas mea mihi cederet ad salutem, secundum expectationem & spem meam, quod nulla in re pudeam.

Generales consolationes. Hæc diximus huicsey de eo quomodo se gerant in calamitatibus uariis fideles. Non enim despondent animum, sed obfirmant sese firma spe, et mala quælibet patienter sufferunt expectantes in omnibus dominum, unicam omnium fidelium spem. His sub fine adiungimus generales aliquæ consolationes, quæ spe fidelium confirmant magis, patientiamque in malis proferendis commendent, ac in casibus quibus libera afflictos & pressos erigant.

A quo sit afflictio. Principio expendat afflictus malis ante omnia, à quo proficitur afflictio; Affligunt sane homines mali, affligit cæcæ demon & morbus,

morbus, affligit mundus: sed non sine deo, imò permittente deo. Iobum nõ potuit uexare sathanas, uel in fortunis, uel in ipso corpore, nisi permittente deo. Clamat item propheta David, Tu es qui extraxisti me ex utero matris meæ: in te confisus sum cum adhuc penderem ab uberibus matris meæ: in te coniectus sum à partu. Deus meus es tu: in manu tua sunt tempora mea. Et in euangelio dicit dominus, Nõne duo passeruli minuto asse ueneunt, & unus ex illis non cadet in terram sine patre uestro? Vestri uero etiam pili capitis omnes numerati sunt. Deus autem cuius imperio regitur omnia, pater est, non modo deus & dominus mortalium. Et uoluntas eius optima & salutaris est hominibus, ut iam non dicam ipsum omnia ordine & iustissime agere, quæ agit. Quod si bona est uoluntas dei erga nos, non potest non optimũ esse nobis, quod euenit, illo permittente aut uolente, qui nos amat. Atq; hic permultũ discrepant à filiis dei, filij huius sæculi. Hi enim in calamitatibus suis sese consolantes dicunt, Feras non culpes, quod mutare non potes. Deus ita uult, cui nemo potest resistere: feras ergo imperium domini, nisi malis malum necessarium conduplicare. Hi rogati quomodo ferant manum domini, & an deo sese subiiciant, respondent, Cogor quidem, Ich muß wol, cum resistere non possim. Si ergo possis, audio quid facturus sis. Illi autem patienter ferunt manum dei, non quod resistere nequeant & omnia in necessitatem reiiciant, sed quia credunt deum esse iustum & patrem benignissimũ: ideo enim agnoscunt deum iusto iudicio persequi mala, in maiora atrocioraq; meritis: agnoscunt præterea deum benignum patrem castigare ad emendationem & sanitatem: unde & pro castigatione magnas agunt gratias, penitusq; sibiipsis & suo arbitrio renunciantes, totos sese deo uiuos & mortuos permittunt. Hoc ipsum impetrare uolens apostolus à fidelibus dicit, Deus uobis tanquam filiis loquitur. Fili mi ne neglexeris correptionem domini, neq; deficias cum ab eo argueris. Quem enim diligit dominus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit. Si castigationem sustineris, ueluti filijs offert se deus. Quis enim est filius, quem non castigat pater? Quod si alieni estis à castigatione, cuius participes sunt omnes, igitur spurij estis, non filij. Itaq; cum carnis nostrę patres habuerimus castigatores, & reueriti sumus illos, an non multo magis subiiciemur patri spirituum, & uiuemus?

Deinde inspiciat calamitosus fidelis ipsas causas propter quas *Propter* affligitur. Vel enim propter studium iustitię & religionis diu exatur *quid affligit* et persecutionem sustinet ab hominibus. Vel propter peccata com- *garant.*

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

missa commertas luit pœnas. Qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, gaudeant & gratias agant deo cum apostolis, quod digni habiti sint, ut pro nomine Christi patiantur. Dixit enim in euangelio dominus, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam illorum est regnum cœlorum. Beati estis cum probra iecerint in uos homines, & insectati fuerint & dixerint omne malum uerbum aduersus uos, mentientes, propter me. Gaudete & exultate: quoniam merces uestra multa est in cœlis. Sic enim persecuti fuerunt prophetas, qui fuerunt ante uos. Si uero quis sustinet mala propter commissa peccata, agnoscat iustum dei in se iudicium, humiliet se sub potenti manu domini, confiteatur deo, ueniam supplicibus postulet precibus, patienterq; ferat quod merito suo maximo fert. Exempla sequatur Danielis & Daudis. Daniel confiteatur peccata sua domino, & ait, Peccauius, iniqui fuimus, impie egimus, neq; obediuimus seruis tuis prophetis, qui loquuti sunt nobiscum in nomine tuo. Tibi quidem domine iustitia, nobis autem pudor. Visitasti nos & afflixisti, sicut prædixisti per Moſen seruum tuum. Daud autem in exilium abiens, sacerdotibus arcam post regem portantibus, dicit, Reportate arcam dei in urbem. Si gratiam inuenero coram domino, me restituet, ostendetq; mihi & se & habitaculum suum. Quod si dixerit, Non te delector, neq; mihi gratus es: præsto sum, faciat mecum quod sibi bonum uisum fuerit. Et sanè satius multò, melius & conducibilius est in presenti sæculo puniri, & postquam hinc migrauerimus æternum uiuere, quàm hic malorum esse exortem, & in alio mundo in sempiternum æternis subijcti supplicij. Certe Paulus diserte dixit, Cum iudicamur, à domino corripimur, ne cum mundo condemnemur. Et finis quidem castigationum & calamitatum omnium, quibus exercentur sancti, alius non est, quàm ut calcato & spreto mundo, emendatiq; conuertantur ad dominum & salui fiant. Verum de fine afflictionum superius diximus.

Math. 5.

Danielis
9. cap.

2. Reg. 15.

1. Cor. 11.

Promissiones factæ
afflictis.

Præterea præfigunt sibi calamitatibus subiecti, disertas & copiosas dei promissiones, à quibus oculos non auertunt, ut neq; à sanctorum exemplis. Infinita sunt exempla diuini auxiliij & liberationis præsentissimæ. Promittit autem bonus dominus auxilium & liberationem, non illis modo qui affliguntur propter iustitiam, sed illis etiam qui propter peccata uisitantur à domino. Daud enim canit, Dominus sanat contritos corde, & obligat contritiones eorum. Dominus soluit compeditos: dominus illuminat cæcos: dominus erigit inclinatos. Non in perpetuum irascitur, neq; in æternum litigabit.

gabit. Non secundum peccata nostra facit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Et quàm longè distat ortus solis ab occasu, tam longè remouit à nobis scelera nostra. Huc pertinet integrum caput 30. Ieremiæ prophetæ. Et apostolus testatur & ait, Sicut abundanti afflictiones Christi in nobis, ita per Christum abundat & consolatio nostra. Neque desunt nobis exempla quæ de his testantur, & præsentissimam liberationem sanctorum, adde & peccatorum poenitentium in maximis ærumnis posteriorum, oculis proponunt. Liberantur forti manu dei ex diluuiio omnem carnem sub celo præfocante, & ex incendio Sodomitico sæuo & horrendo, patres nostri Noe & Loth cum suis familijs. Varijs impliciti tribulationibus Iacob & Ioseph, explicantur à benigno domino. Sicut & filij Israelis educuntur & liberantur ex seruitute Aegyptiaca planè ferrea. Peccat contra dominum populus Izraeliticus in deserto, sub iudicibus & regibus creberrime & enormiter, puniturq; grauiter à domino, sed celeriter rursus liberatur à domino, quoties peccata agnouit & se conuertit ad dominum. Peculiaris sed egregia liberationis exempla sunt in Dauide, Iosaphat, Ezechia, Manasse & multis alijs. Innumeræ extant in euangelio liberationes per Christum à peccatis, à morbis, à malis, à periculis, & ab ipso tacodæmone. In Actis apostolorum præclarissima leguntur liberationis exempla. Concluduntur apostoli in carcerem, sed educuntur ab angelo dei, & statuuntur in templum, in quo prædicent euangelium. Ita ex carcere liberatur Petrus apostolus, cum postridie Agrippa ipsum iugulare constituisset. Paulus apostolus innumeris oppressus malis, semper præsentissimum expertus est dominum. Hoc autem suæ tribulationis liberationisq; exemplum omnibus proponens fidelibus, ad Timotheum dicit, Tu nosti patientiam afflictionisq; quæ mihi acciderunt Antiochiæ, Iconij, Lystris, quas persecuciones sustinuerim. At ex his omnibus eripuit me dominus: sed & omnes qui uolunt pie uiuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Multo plura exempla idem apostolus congerit in 11. cap. ad Hebr. Hæc inquam omnia colligunt sancti, ac in tempore tentationis afflictionisq; hisce sese consolantur & erigunt. Ita enim docet nos Paulus cum dicit, Quæcûq; scripta sunt, in nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.

Neque hoc solum faciunt fideles, sed recordantur etiã mandatum Christi domini, quibus ille nobis patientiam præcipiens, crucem nobis imposuit omnibus. Dicit enim in euangelio, Si quis uult ferenda post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & se

Liberationis exempla.

Mandatum domini de cruce.

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

quatur me. Qui enim uoluerit animam suam seruare, perdet eam: rursus qui perdidit animam suam mea causa, inueniet eam. Quid enim prodest homini si totum mundū lucratus fuerit, animæ uero suæ iacturam fecerit? Aut quid dabit homo cuius permutatione redimat animam suam? Futurum est enim ut filius hominis ueniat in gloria patris sui, cum angelis suis: & tunc reddet unicuique iuxta facta sua. Et rursus alio in loco, Si quis uenit ad me, inquit, nec odit patrem suum & matrem suam, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, præterea autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et quisquis non baiulat crucem suam, & uenit post me, non potest meus esse discipulus. Post hæc uerba dominus parabolas profert, quibus docet explorare uires priusquam recipiamus professionem euangelicam. Ad præcepta certe præceptoris Christi respicienter fideles apostoli, Petrus & Paulus, omnes nos ad crucem patienter ferendam adhortantur. Ille enim, Christus afflictus est pro nobis, inquit, relinquens nobis exemplum, ut insequeremini uestigia ipsius. Hic uero dicebat, Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum dei.

Tempus afflictionis breue, præmiuum ampliss. et æternum.

Consolatur fideles uarijs calamitatibus oppressos, quod tempus afflictionis breue est, quod præmiū & gaudium ineffabilibus modis est præstantius quā sit tribulatio, adeo ut nulla sit inter ipsa collatio: denique quod bonus dñs non imponat grauiora onera, quā simus ferendo. Sed libet iam de singulis scripturarum audire testimonia. S. Petrus appellat afflictionis tempus breue tempus. Nam & Isaias uel ipse apud Isaiam dominus, prior dixit, I popule mi intra penetralia tua, & claudere post te ostia tua, lateas paululum uel ad momentum, donec prætereat indignatio mea. Paulus uero, Patres carnis uestre, inquit, ad paucos dies pro arbitratu suo uos erudierunt, pariter autem spirituum (breue tempus) ad commodum uestrum erudit, in hoc ut impartiat uobis suam sanctimoniam. Omnis autem castigatio in præsens quidem non uideatur esse gaudij, sed molestiæ. Ac postea fructum tranquillum iustitiæ reddit, qui per illam fuerint exercitati. Et idem apostolus, Cum Christo patimur, ait, ut & unā cum illo glorificemur. Nam reputo non esse pares afflictiones præsentis temporis ad gloriam quæ reuelabitur erga nos. Nam momentum leuius afflictionis nostræ miræ, supra modum æternum pondus gloriæ parit nobis, dum non spectamus ea quæ uidentur, sed ea quæ non uidentur. Nam quæ uidentur temporaria sunt, ac quæ non uidentur æterna. Rursus in epistola ad Corinthios dicit idem ille, Fidelis est deus, qui non sinet uos tentari supra id quod potestis,

potestis, imò faciet unà cum tentatione euentum, quo possitis sufferre. Quod si diutius æquo uideatur nobis dominus apprehendere tribulationem, cogitabimus nullos terminos esse diuinæ uoluntati præscribendos, sed permittendū ipsi, ut libere quantū & quandiu, et quibus modis uelit, affligat suæ manui subditos. Nouit ille qui est æterna sapientia, & qui amat homines impensissime, quando finē imponat malis, & liberet nos à malo. Nec desunt exempla quæ diutius afflictos consolantur. Laborabat profluuio sanguinis mulier illa euangelica ad desperationem usq; annos duodecim. Alia quædam decubuit contracta ad annos decem & octo. Ad probaticam piscinā iacebat miser quidam, qui morbo fuerat graui obnoxius annos triginta & octo. Spacium hoc erat sanè quàm molestissimū. Sed in tempore tamen illis omnibus succurrit, qui optime nouit quando maxime oportunū & utile homini sit auxiliū. Illius ergo bonæ, iustæ, & sapientissimæ uoluntati permitramus quando & quomodo nos liberet.

In primis uero illud cōsolatione & fiducia in tribulationibus resertissimū est, quod fideles & electos dei à deo non facile ulla uis aut malum ullū disingere potest. Clamat enim in euāgelio dominus, Oues meæ uocē meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitā æternā do eis, nec peribunt in æternū, neq; rapiet eas quisquā de manu mea. Pater meus qui dedit mihi, maior omnibus est: & nemo potest rapere de manu patris mei. Ego & pater unū sumus. Huc peruenit illud S. Pauli tripudiū ac celeusma, Quis nos separabit à dilectione dei? num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculū? num gladius? Quem admodum scriptū est, Propter te morti tradimur tota die: habiti sumus uelut oves destinatæ mactationi. Verum in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos. Nam mihi persuasum habeo quod neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neque potestates, neq; instantia, neq; futura, neq; altitudo, neque profunditas, neque ulla creatura alia, poterit nos separare à dilectione dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro.

Sentiunt sanè in tribulationibus suis sancti dolores & incōmoda multa, sed in ipsis incōmodis interim habent multo plura cōmoda: ergo imminuntur in uno quidē, at augetur in altero, ut ipsa crux nō sit perditio, sed exercitatio & salubris medicina. Vbi reuocandā iterū existimo in animū uere aurē S. Pauli sententiā, In oībus premimur, at non anxij reddimur: laboramus, at non destituimur: persecutionē patimur, at non in ea deserimur: deijcimur, at non perimus. Amituē ergo fideles in hoc sæculo facultates istas suas terrenas, sed nūquid

Pios nullæ afflictiones à deo disiungunt.

Rom. 8.

Incōmoda per opposita commoda sartiuntur.

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

ideo amittunt fidē: nunquid pietatē: nūquid interioris hominis bona, quæ ueræ sunt apud deū diuitiæ? Clamat apostolus, Est quæstus magnus pietas cum animo sua sorte cōrento. Nihil enim intulimus in mundū, uidelicet nec efferre quicquid possumus: sed habētes alimenta, & quibus regamur, his cōrenti erimus. Et certe bonus dñs qui cœlum & terrā, & omnia quæ in eis sunt cōdidit propter hominē, qui pullos coruorū pascit, ne quaquā animā enecabit iusti inedia aut fame. Præterea non amittit thesaurum suum in hoc sæculo, qui eo modo thesaurizat quo præcepit dominus, apud quē sciunt sibi repositū esse ditissimū thesaurū quicquid spoliatur facultatibus suis terrenis propter dominū. Sed & Iob insignis ille dei seruus clamat, & dicit, Nudus exi de utero matris meæ, nudus in terrā reuertar. Dñs dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit ita factū est. Sit nomen domini benedictū. Adhijciendū his abnegatione ueritatis & fuga afflictionū minime retineri opes & tranquillitatē, sed amitti magis, imò infames nos reddi apud omnes omnium sæculorum bonos homines. Videmus enim eos qui noluerūt fortunas suas periclitari propter Christum & ueritatē eius, sed elegerūt magis dissimulatione uel abnegatione ueri res suas uel retinere uel augere, retinuisse infamiā fœdissimam, auxillisq; tormēta horribiliter excruciantia conscientiā, ac amississe nihil minus opes, non iā in noīe Christi, sed in nomine diaboli. Qui uero unquā contecerunt & se & oēs fortunas suas in discrimē, & contempserunt fortiter omnia pericula, semper suauē & iucundā in animis suis consolationē senserunt. Cū apostolo enim clamant, Didicimus in ihs in quibus sumus esse cōrenti: nouimus & humiles esse: nouimus & excellere: ubiq; & in omnibus institui sumus, & saturari & esurire, & abundare, & penuriā pati. Omnia possumus per Christū, qui nos corroborat. Sciunt eundem apostolū dixisse, Directionem facultatū uestrarū cum gaudio accepistis, sciētes uos habere potiore substantiā in cœlis, ac permanentem. Nam & in euāgelio dixit dominus, Amē dico uobis, nullus est qui reliquit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrē, aut matrem, aut uxorē, aut liberos, aut agros mea causa et euāgelij, quin recipiet centupla nūc in tempore hoc cum persecutionibus, ac in sæculo uenturo uitā aeternā. Marci 10. cap. Ita quidē opprimuntur seruitute sancti, pii, & fideles in hoc sæculo: sed norunt ipsum quoq; dominū prius factū esse seruū propter homines, adeoq; seruos in mundo, per Christū factos esse liberos, adeoq; per seruitutē terrenā aditū sterni ad libertatem cœlestem. Enijciuntur fideles in exiliū. Cæterum dicebat prophanus ille, *Omne solum forti patria, Certe ubicunq; sumus in hoc sæculo, in exilio sumus.*

*Negatione
ueri non re
tineri res.*

sumus. Pater noster in cœlis est, patria ergo cœlū est. Cum ergo morimur, ex exilio liberamur, & imponimur patriæ cœlesti & uere felici. Eodem modo quos necat fame & inedia tyrannus, eos ceu moribus aliquis innumeris liberat malis. Quos autem non necat fames, sed excruciat, docet parcius uiuere, & productius ieiunare. Reuocāt hic ueterum sanctorum exempla fidentes esurientes, de quibus apostolus loquens, Oberarunt, inquit, in ouillis et caprinis pellibus, destituti, pressi, afflicti, quibus indignus erat mundus: in desertis errantes & montibus, in speluncis & cauernis terræ. Cōsiderant item Christiani longe meliorem fuisse sortem famescens Lazari, inter linguas canū ulcera lambentiū, excedentis, quam crapula distenti epulonis sepulti & demersi in inferos. Horrendum quidem & abominandum illud est, quod uis inferitur à barbaris militibus non matronis tantum, sed uirginibus etiam nondum uiri potentibus. Verum consolatur nos illud maxime in scelere maximo, & contumelia intolerabili, quod pudicitia animi uirtus est. Si enim bonum animi est, planè non amittitur etiam corpore oppresso: quemadmodum & si fides hominis non expugnata creditur, licet totum corpus hominis comburatur. Et sanè castitas propter corpus uiolatum non perditur, quia ea sancte utendi perseuerat uoluntas, & quantum in ipso est etiam facultas. Neque enim eo corpus sanctū est, quod eius membra sunt integra, uel eo quod nullo cōrectantur atactu: cum possint diuersis casibus etiā uulnerata uim perpeti: ac medici aliquando salutē opitulantes hæc tibi faciant, quæ horret aspectus. Quocirca proposito animi permanente, per quod etiā corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatē uolentia libidinis alienæ, quam seruat perseuerantia continentiae suæ. Interea dubium non est, iustissimum dominum grauius in beluas istas, & naturæ monstra, qui tam neophanda audent, animaduersurum.

Confirmantur sancti tribulationibus diuexati exemplis sanctorum innumeris, ex quibus colligunt sibi noui obuenire nihil, cū deus ab initio seruos suos & ecclesiam sibi charissimam multis exercuerit tribulationibus & afflictionibus. Ac plurimum hic referre, & ad consolandum afflictos animos cōducere puto, in numerato tenere optima & delectissima quidem exempla. Sunt ea priuata & publica plurima. Priuata sunt, ut multa ueterū transeam, patriarcharū posteriorum casus & peregrinationes. Euocatur enim diuina uoce pater noster Abraham ex Vra Chaldæorū in terrā Palestinorū, ex qua rursus factus eicitur in Aegyptū, ubi iterum difficillimā experitur fortunam. Reuersus autē in Palestinam, nunquā non habet ad ultimū usque diem

In cruce nihil euenit pijs noui.

Afflictionis exempla patriarum charum.

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

uitæ suæ quod animum conturbet atq; affligat. Isaacū quoq; fames exercuciat, quemadmodum & domestica infortunia eundem perpetuò exercuciarūt, Iacobum à domino Israelem cognominatū, si quis ærumnosissimum hominem appeller, nihil peccauerit. Nam in ipso matris utero, necdum editus in lucem, ceteramen inuicem fratre suo Esau: cuius manus parricidales uix euasit adolescens, dum in Syriā usq; exul profugit. Vbi iterum tanquam in exquisitissima afflictionum palestra seu officina exercitatur. Dum redit in patriam, malis & periculis maximis inuoluitur. Liberorum scelera infanda optimum senem tantum non enecant. In senectute, fame pressus, descendit in Aegyptum, ubi in uera fide & patientia sanctum deo tradit spiritum. De Mose maximo & fidelissimo dei seruo testatur scriptura, quod in aula regis educatus quidem, sed grandior factus, reuinit uocari filius filia Pharaonis, potius eligens simul affici malis cum populo dei, quàm temporarijs peccati commodis frui, maiores arbitratu diuitias probri Christi, quàm Aegyptiorum thesauros. Idem grauissimam sustinuit persecutionem, primum quidem à Pharaone & principibus eius, deinde à domesticis suis & suo populo, quem eduxerat ex Aegypto. David quoque unctus domini, diu Saulis furorem fugit, regnum adeptus difficillimis bellis grauissime oppressus laborauit, tandem post multos labores exanilatus à filio exuuis regno, multis simul malis immergitur, rursus tamen restituitur.

*Exempla
Christi &
Pauli.*

In nouo testamento excellentissima exempla sunt ipse dominus & saluator noster Christus, & singularis apostolus eius Paulus. Dominus ab ipsis incunabulis coactus est tyrannorū fugere insidias & parricidales manus, innumera quoq; mala in uita sua passus, postremo crucifigitur inter latrones. Et Paulus de seipso loquens, Si qui alij sunt ministri Christi, inquit, excellentius sum ego, in laboribus copiosus, in uerberibus supra modum, in carceribus abundantius, in moribus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas plagas una minus accepi, ter uirgis cæsus fui, semel fui lapidatus, ter naufragium feci, noctem ac diem in profundo egi, in itineribus sæpe, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis inter falsos fratres, in labore & molestia, in uigilijs sæpe, in fame & siti, in ieiunijs sæpe, in frigore & nuditate, præter ea quæ extrinsecus accidunt, incumbens mihi cura quotidiana omnium ecclesiarum. Hæc inquam priuata sunt exempla.

*Exempla
afflictionū
ueteris ecclesie.*

Publicū autē exemplū est ecclesia Israelitica afflicta in Aegypto, diu exata multis malis sub iudicibus & regibus, adde & abducta in captiuitatē

captiuitatem ab Assyrijs & Babylonijs. Eadem restituta per dei gratiam, uariam & difficilem experitur fortunam, idq; sub regno Persarum Græcorum & Romanorum. Quid uero dicam de ecclesia apostolica Christi, quæ ab ipsis incunabulis crucem experit, in ipsis afflictionibus floruit quàm felicissime, & laborat in iisdem grauius, uel hodie adhuc. Commemorât historiæ persecutiones decem, quibus ecclesia Christi ad imperium Cōstantini magni usq; ab s. Nerone anno, concussa, per 319. annos grauissime laborauit, concessis tamen nōnuquam interuallis quibusdam, satis quidem accisis, quibus respiraret ecclesia. Primus primam in Christianos mouit persecutionem fera illa bellua & monstrum libidinis Nero, in qua etiã clarissimos Christi apostolos Petrum & Paulum cecidisse ferunt. Secundam excitauit Fl. Domitianus, qui & Ioannem apostolum relegauit in Paphlagoniam. Tertius à Nerone grauius edidit in Christianos edicta Traianus, sub quo insignis Christi martyr & doctor Ignatius, unã cum alijs multis præclaris Christi seruis, dilaniandus bestijs obijcitur crudelissime. Quartam in ecclesiam persecutionem cōmouit per totam Galliam & Aſiam Verus Imperator, in qua beatus Polycarpus igni uiuus comburitur, sanctus autem Irenæus Lugdunensis episcopus gladio obruncatur. In quinta ecclesiæ persecutione Septimius Seuerus per diuersas prouincias quàm plurimos laurea martyrij coronat, inter quos numeratur & pater Origenis Leonidas. Iulius Maximinus sextus à Nerone tyrānidem exercuit in ecclesiam: in ea persecutione præ alijs petiti sunt ecclesiarum doctores atq; ministri. Interierunt in ea strage inter innumeros excellentissimos uiros Pamphilus & Maximus, par clarissimorum luminum. Porrò septimus à Nerone feralia disperſit edicta Decius Imperator: sub quo & S. Laurentius ecclesiæ diaconus ferrea in crate tostus est, & Apollonia uirgo laudatissima in extructum insiliit rogam. Nichilo mitior omnibus illis erat Licinius Valerianus octauam inferens ecclesiæ persecutionem. Sustulit ea multas Christianorum myriades, & præsertim famosissimos in toto orbe doctores, S. Cornelium & Cyprianum. Cæterum Val. Aurelianus nonam in ecclesiam persecutionem decreuit magis quàm sit exequutus. Fulmen enim ante ipsum magno pauore circumstantium ruit, ac non multo post in itinere cæsus, sauire desijt. At horribili hoc exemplo nihil commotus C. Aur. Val. Diocleianus, item Maximianus, Maxentius, & M. Iulius Licinius decimam cōmouerunt in ecclesiam Christi persecutionem, quæ cum decem durasset annos continuos, innumerasabilem Christianorum hominum turbam in toto orbe sustulit. Finis

*Decem ecclesie Christi
sunt persecu-
tiones.*

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

Anno do-
mini 306.

git illam graphice Eusebius Cæsariensis, utpote multorum agonum certaminumq; quæ narrat spectator, & pingit quidem in s. libro historiae ecclesiasticae. Cæsi sunt in illa laniena primi ecclesiae nostrae Tigurinae apostoli laudatissimi, martyres Christi præconesq; euangelici, beatus Felix, & soror eius germana S. Regula. Post illas persecutiones decem insequuta sunt multo plures & atrociores excitate à regibus, insuper & à barbaris hominibus in diuersis partibus mundi, insequuta sunt sanguinolenta flagra Saracenorum, Tartarorum, Turcarum deniq; præterea infestarunt ecclesiam dei horribiliter pseudopontifices, qui exterorum domesticorumq; armis plus hauserunt Christiani sanguinis quam ulla uox humana explicare possit. Nilul ergo noui nobis hodie obuenit, qui in ecclesia Christi uarias sustinemus persecutiones & afflictiones, confirmamur exemplis ueteribus & nouis ijsq; efficacissimis.

Prædictæ
afflictio-
nes.

Huc accedit quod prophetæ apostoliciq; & horum rex & dominus Iesus Christus ista pericula, illas calamitates & persecutiones prædixit omnes, nimirum ut animos nostros in singulas horas contra mala ista obfirmaremus, ne inopinato casu aut infortunio concussi à fide excideremus. Quia uos de mundo selegi, ait dominus ad discipulos, ideo odit uos mundus. Memento sermonis mei quæ dixi uobis, Non est seruus maior dño suo. Si me persequuti sunt, & uos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, & uestrum seruabunt: sed hæc omnia facient uobis propter nomen meum: quia non nouerunt eum qui me misit. Hæc loquutus sum uobis ne quid offendamini. Alienos à synagogis facient uos: imò ueniet tempus, ut quisquis interficiat uos, uideatur cultum præstare deo. Reliqua istis similia ex Prophetis & apostolis non recitabo, quod paucis recitari non possint. Deligat sibi quisq; maxime euentia & perspicua testimonia quæ ubiq; occurrunt.

Psal. 22.
69.

Isa. 49. 51

Dan. 7. 8.

11.

Zach. 13.

Repeditur
persecuto-
ribus perse-
cutio.

Et quamuis sancti non gaudent de interitu persecutorum, quos mallent conuerti & seruari, quam puniri in præsentis sæculo & in futuro æternum damnari: gaudent tamen cum uident dominum supplicium sumere de persecutoribus, hoc potissimum nomine, quod uident pios curæ esse deo. Colligunt item ex præsentis dei uindicta contra impios parata, afflictiones sanctis ut salutares, ita impijs esse perniciosas. Nam in direptione sua lacerantur, & dum ecclesiam uentis dei persequuntur, ignem excitant in se inextinguibilem. Sic enim legis apud Zachariam de ecclesia sua loquentem dominum, Ecce ego pono Hierusalem ut sit calyx soporis omnibus circumquaq; gentibus. Quin & in Iuda erunt qui obsideant Hierusalem.

Zach. 12.

Erity

Eritq; illo die ut ponam Hierusalem ceu lapidem grauem omnibus
 populis: quicunq; eum sustollere conantur, omnino lacerabuntur
 congregabunturq; contra eum omnes gētes terræ. Ad eundem mo-
 dum dicit apud Ieremiam dominus, loquens contra persecutores
 ecclesiæ, Sume calicem uini furoris huius de manu tua, & fac ex eo *Iere. 29.*
 bibant omnes gentes ad quas ego te mitto: & bibent commouitq; in
 sanient meru gladij quem in eos mittam. Ego enim incipio afflige-
 re in urbe que nomine meo appellatur, & uos impune abiretis? Nō
 impune fereis Hoc nimirum illud est, ad quod alludens beatus Pe-
 trus dixit, Tempus est ut iudicium dei à domo dei incipiat: quod si
 primū à nobis incipit, quis erit finis eorū qui non credunt euāgelio?
 Recensui paulō ante hæc decem ordine persecuciones quos Roma-
 norum Imperatores ecclesiæ Christi intulerunt: sed testantur historig
 nullā non insigni aliqua calamitate esse repēsam, Cui accedit quod
 iustissimus dominus post annos 342. (toridem enim anni numeran-
 ur ab ultimo Neronis anno ad secundum usq; annum Honorij &
 Theodosij Cæsarium) longe abundantius cæpit Romæ sanguina-
 riæ rependere. Nam intra annos 139. sexies capta, in manus deuenit *Vindicta*
 Barbarorum. Nam anno 412, qui erat 2. Imp. Honorij & Theod. *sumpta de*
 Visigorthi duce Alarycho ceperunt quidem urbem & diripuerunt, *sanguina-*
 sed clementer interim usi sunt uictoria. Deinde uero Vuandali duce *ria Roma.*
 Genserycho urbem irruerūt crudelissime, auarissimeq; diripuerūt.
 Post quos aduolantes Heruli, Athilani exercitus reliquix, duce O-
 dacre, urbem occuparunt regnumq; sibi usurparunt, imperio Ro-
 mano in occidente prorsus extincto atq; sublato Inde uero exactis
 annis circiter 14. adest cum Ostrogombis Theodorychus Veronen-
 sis, qui cæsis Herulis, urbe potitur. Restituitur uero hæc demum,
 Bellisarij incluyi ducis opera & fide, Iustiniano principi orientali,
 sed eandem mox capit Totilas princeps Gothicus, direptamq; ser-
 ro & igni uastat, publicis edificijs dirutis, & mœnis bona parte sub-
 uersis, adeoq; tota Roma sic uastata, ut aliquot diebus nullum ha-
 buerit inhabitatorem hominem. Incidit ea uastatio urbis in annum
 domini 548. Atq; ad hunc modum meritas pœnas dependit uindi-
 ci suæ ecclesiæ Christo Roma sanguinaria. Nec dum retuli que hæc
 præterea sustinuerit ab Hunis & Lōgobardis, Nā satis est indicasse
 quàm misere cesserint Romæ afflictiones illarū ecclesiæ, quæ inte-
 rim salua incolumis & uictrix mansit, regnabitq; cum Christo prin-
 cipe in sæcula sæculorum. Ad eundem modum deleri sunt etiam
 maximis prius cladibus acceptis, uarijs difficilibusq; casibus per to-
 tam ferè terram exagitati Saraceni. Sed & Turcæ suas quoque sens

DE PRÆCEPTO DECALOGI VIII.

tiunt calamitates quonidie, & sentient olim longe atrocissimas. Iam & pseudopontifices poculis ueneno temperatis sese muro confecerunt, iidem mirificis exagitantur terroribus. Nusquam ferè tui in uita sua, sed & in corona amicorum suorum malis septi, semper & æternum miseri sunt. Quibus accedit quod felicissimi illorum sædis compurescant uoluptatibus, quo non est aliud mortis genus uel probrosius uel difficilius. Qui his adhærent & horum instinctu persequuntur ecclesiam Christi, uel in sædis & ipsi uoluptatibus compurescant, uel morbis Antiochicis & Herodianis, lentatq; sed graui morte consumuntur, sed & bellis sese auerunt & conficiunt intestinis. Iustus ergo est dominus, & æqua atq; iusta sunt iudicia eius, qui amicorum suorum nunquam obliuiscitur, rursus hostes suos & suorum semper inuenit ac pro merito conficit.

Peroratio.

Hæc cum ita habeant fratres, sustineamus quæso patienter manum domini dei nostri, quoniam calamitatibus premimur tēamurq; à domino deo nostro, scientes benignum dominum percuere ut sanet, conturbareq; ut consoletur & in gaudia recipiat sempiterna. Hoc ut præstare possimus, qui alioqui sumus infirmi & imbecilles, oremus patrem nostrum qui in cælis est per Iesum Christum dominum nostrum, ne in tentationibus nostris desit nobis, sed dirigat nos in uia constantiæ, pacis & iustitiæ. Proponat hic sibi quisq; saluatoris & magistri dominicq; nostri exemplum, qui passionē suam auspicatur à precibus. Ascendens enim montem oliuarum, patri supplicat, & inrentissima quidem mentesupplicat. Idem preces suas iterat, precandoq; patrem urget: ita tamen, ut omnia eius uoluntati subijciat. Hoc ipsum faciamus & nos, quo præsens auxilium patris nostri & consolationem animorum experiamur efficacissimam, laudemusq; bonitatem illius in sæcula sæculorum, Amen.

De quinto & sexto secunda tabula præceptis, quæ in Decalogo sunt nonum & decimum, nempe, Ne loquaris contra proximum tuum falsum testimonium. Et, Ne concupiscas domum proximi tui, &c. SERMO IIII.



VENIMVS iam ad expositionem duorum ultimorū in Decalogo præceptorum. Nonum huiusmodi est, NE LOQVARI CONTRA PROXIMVM TVVM FALSVM TESTIMONIVM. Sancitur hoc fides in pactis & contractibus, hoc præterea moderatur linguam, cōmendat item virtutū pulcherrimā veritatem, modestiam quoq; & synceritatem in dictis & factis. Hactenus de lingua in præceptis dei nihil audivimus, nisi paucula quædā in præcepto tertio. Cæterū ex lingua exoriuntur cōmoda & incōmoda vitæ maxima. *Lingua.* Lingua enim pusillum membrū est, dicit Iacobus apostolus, & magna iactat. Ecce exiguus ignis quantā materiam incendit. Et lingua ignis est, mundus iniustitiæ. Sic lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totū corpus, & inflāmat rotam natiuitatis, & inflāmur à gehenna. Omnis enim natura & ferarū & uolucrum, serpentiūq; & marinarum domatur, & domita est à natura humana: linguā autem nullus hominū domare potest, incoercibile malū, plena ueneno mortifero. Per ipsam benedicimus deo & patri, & per ipsam maledicimus hominibus, qui ad similitudinē dei cōditi sunt. Ex eodem ore procedit benedictio & maledictio. Proinde recte necessario & utilissime informatur hoc nono præcepto lingua hominū. Summarim uero cōprehēdit & præcipit hoc mandatū, ut bene utamur lingua, neue uel priuatim uel publice noceamus fratris nostri vitæ, famæ aut fortunæ, sermone uel scriptis, uel picturis, uel dissimulatione aut etiā simulatione, adeoq; ne nutibus quidē. Prohibentur omnia ueritati & synceritati aduersa. Requiritur abs quolibet nostrū simplicitas, ingenuitas, candor & integritas. Breuiter mandatur nobis, ut omnes ueritatē inter nos mutuo colamus. Nam Exodi 23. legimus præcepisse dominū, A uerbo mendaci longissime absis. Et Leuit. 19. cap. Nō furabimini, ait dominus, ne mentiamini, nemo dolo malo agat cum proximo suo. Et beatus Iacobus apostolus, postq̄ linguæ mala attingeret, maxime quod ex eodē ore proficiscatur bonū & malum, subiungit, Non oportet fratres mei hæc ita fieri. Nūquid fons ex eodē fonte emittit dulcē & amarā aquam? Nunquid potest, fratres mei, si cus oleas gignere, aut uitis ficus? Sic nullus fons falsam & dulcē potest ædere aquā. Certe cum dominus homini linguā dederit, ut hæc

internuncia homo hominis mentē & animū cognoscat, ut deum benedicat, & omnibus proficit hominibus etiā sibi ipsi, decet omnino ut imago respondeat archetypo, atq; ex bono corde proferat homo sermonem bonū, alienū à fūco & pernīcie, à blasphemia & contumelia, deniq; ab omni perulania.

De testimonio dicēdo. Sed praestat per partes potissima huius generis & argumenti cognoscere penitus. Principio prohibetur hoc mandato, ne quis in foro aut iudicio requisitus falsum dicat testimoniū. Ergo non prohibetur simpliciter testificatio, sed falsa duntaxat, Ne dicas, ait, falsum testimoniū. Verum ergo testimoniū dicere licet, maxime si hoc à te requirat magistratus. Vnde significāter ex ueritate Hebraica legimus, Ne respondeas contra proximū tuum falso testimonio, Respondet autē rogatus. Et in testimonijs dicendis solus deus & ipsa ueritas est dicenti spectanda, ponendusq; affectus prauus, odiū, metus uel studium partiū: interim nihil uel celandū uel dissimulandū: nihil affingendū de uo: neq; corrupendus sensus: sicut fecerunt falsi illi testes in euangelio, illud apud iudices proferentes, Destruā templum hoc, & in triduo ipsum excitabo. Nam corruerunt sensum. Et in lege dicit dominus, Non assumes rumorē falsum, neq; pones manū tuā cum impio, ut sis testis iniquus. Nec eris post multos in malo in causa, ut declines post multos ad peruertendū, Ergo qui falsum dicit testimoniū peccat contra deum & cōtra proximū. Nam primum quidem sacrilegio ac periurio se cōmaculat, adeoq; sub nomine deī mentiēdo deum contumelia afficit, proximo deinde tantum nocet, quantum is damni à iudice accipit, in corpore, fortunis & uita. Cōstat enim iudicē falso cōmorū testimonio, reum multare in corpore, in fortunis, aut in ipsa uita: quod non faceret, nisi tuo huc pertraheretur testimonio. Proinde minime iniqua lex est, quā Moses hisce pdidis uerbis, Si mendax testis fuerit deprehensus, facieris ei quemadmodū ipse scelerare cogitauerat facere fratri suo: & auferes malum ē medio tui: ut reliqui id audiant & timeant, neq; audeāt amplius designare rem usque adeo sceleratā in te. Neq; hic ulla afficeris misericordia: animā pro anima, oculū pro oculo, dentē pro dente, manū pro manu, pedē, p. pede. Huc pertinet quod in Prouerbijs clamat Solomō, Testem fallacē odit deus. Et, Testis mendax non erit impunitus. Exemplum nobis suppeditant iniqui testes contra pudicissimam feminarum Susannam.

Calumnia. Deinde dānantur hac lege omnes sycophantiae aut calumniosae accusationes in foro, deniq; emptae falsaeq; iudicū sententiae. Proinde dānantur etiam illi quibus uenalis est lingua, hoc est, qui uel fructu
sio panis

Ro panis cōduci possunt, ut uel benedicant uel maledicāt innoxij. Cuius quidem generis maledicas & petulantes adde & assentari- ces linguas plurimas inuenire licet in infimo & supremo, sacro & prophano hominum ordine.

Præterea cōmendantur nobis cōtractus, passionēs & fœdera religiose custodienda seruandaq;: ex aduerso dānantur artes, doli mali, imposturæ & circūscriptiones. De quibus dictum est cum ageretur de Furto.

In primis uero prohibetur fidelibus Mendaciū, quo uidelicet non *Mendaciū* eendi uoluntate, aut ex leuitate uana, aut alioqui prauā affectione, *& eius ge-* falsum profertur. Numerant enim mendaciorū species uarias. S. Au- *nera.* gust. ad Consentium de Mendacio cap. 14. recenset genera 8. Ego pauca duntaxat ex multis cōmemorabo. Est mendaciū iocosum, ueluti cum dico me mentiri, & alij me mentiri sciunt, indeq; aliquid percipiunt utilitatis, aut uoluptatis potius. Id quanq̄ non sit grande peccatū, habet tamē leuitatis plurimū: quā apostolus improbat in fidelibus, sicut extat in 5. cap. epistolæ ad Ephes. Non arbitror autē huc referendos esse apologos, parabolas, & fictas narrationes: quas ut scriptura ubiq; adhibet rebus etiā grauissimis, ita plurimum habent gratiæ necessitatis & utilitatis. S. August. iocos collocat extra mendacia. Est præterea mendaciū officiosum, quo uidelicet falsum uel fingo, uel refero, officij causa, ut uidelicet ingens aliqd malū à proximi depellā ceruicibus. Huius generis plurima sunt in sacris literis exempla. Aegyptiæ obstetrices seruabāt uiuos Hebræorū recens natos filios, quos Pharaō trucidare præceperat: ac accusatæ corā rege legis uiolatæ, prætexerūt officioso certe & ingenioso mendacio miram quandā pariendi celeritatē, qua Hebræorū mulieres Aegyptias antecellant. Rahab mirifico sigmento illudit ciuibus suis Iericho- tinis, & mentiendo seruat populi dei exploratores. Sed & Michol uxor Dauidis, mendacio seruauit maritū, seruos autē patris sui Saulis frustratos & hiantes dimisit. Fingit & Ionathan plurima in mensa patris sui, dū Dauidi patrocinaretur, quem mox artibus & pijs dolis eripit ex cruentis manibus patris sui Saulis. Iudith quoq; uidua sanctissima mentiendo & dissimulando penetrat in tentoria Holopher- nis, quem fortiter obruncat, populūq; dei afflictissimum liberat.

Porro disputatū est à primarijs theologis, peccarint ne illi mentien- do quorum modo exempla adduximus. Ac Origenes & qui ipsum sunt secuti, permittebat sapienti bonoq; uiro mendaciū, modo ijs salutare foret quorū gratia fieret. Nec caruit suspicione Origenici dogmatis S. Hieronymus. Scripsit enim in epistolā Pauli ad Galat. &

Petrū & Paulum pro tempore usos esse simulatione. Verū S. Augustinus ea de re D. Hieronymū admonuit, negans in literis diuinis ullam mendacij suspicionē esse recipiendā, S. uero Hiero. suae sententiae admonet fuisse optimos quosq; ueteris ecclesiae interpretes. Scriptae sunt utroq; epistolae doctae & prolixae ab utroq; quae cum extent hodie, non est quod his inhaream diutius. Idem August. lib. contra Mendaciū ad Consentium cap. 15, Nihil, inquit, iudicandus est dicere qui dicit aliqua iusta esse mendacia, nisi aliqua iusta esse peccata, ac per hoc aliqua iusta esse quae iniusta sunt. Quo quid absurdius dici potest? Vnde enim est peccatū, nisi quia iustitiae contrariū est? Ea uero quae contra legē dei fiunt, iusta esse non possunt. Dicitū est autē deo, Lex tua ueritas: ac per hoc quod est cōtra ueritatē iustū esse non potest. Quis autē dubitet omne mendaciū esse cōtra ueritatem? Nul lum ergo iustū potest esse mendaciū. Et quae sequuntur. Rursum uisum est alijs uiris eruditiss. August. mendacio obstinatus fuisse infensum. Ergo nō desunt qui ueluti media ingrediētes uia, istos (quorum adduximus exempla) non omni quidē peccato liberent, sed leue interim fuisse existiment. Certe si qui hic sibi aliquid permiserint, caueant tamen diligentissime ne affectibus suis nimium permittentes officiosum parent mendaciū, quod reuera perniciosum est. Vltimum enim mēdaciū genus est perniciosum, quod uidelicet proficitur ex praua uoluntate, & tendit in detrimentū proximi tui, nihil male meriti. Hoc in scripturis passim damnatur: & excrescit quidē eius culpa iuxta detrimenti quantitatē. Nam perniciosissime mentiuntur theologo ac doctores ecclesiastici, utpote mendacijs suis siue doctrina corrupta perimentes animas hominū, sed & corpora & facultates sedutorū exponētes maledictioni dei & mille periculis. Huc pertinet & hypocrisis, quā miris modis persequitur & exagitat dominus Iesus in euangelio. Exerit autē se hypocrisis nō tantū in uerbis doloſis, sed etiā & amplius in conuersatione uitae tota, ut cū simulamus uel dissimulamus quae non sunt, atq; ita mentimur deo, & fucum facimus proximo nostro.

*Delationes
et petulantiae
ad maledicendum
lingua.*

Porro proscribuntur hac lege delationes, calūniae, obrectationes, susurri, & ex his enatae suspensiones. Damnantur itaq; petulantia & ad maledicendum apposita instructaue ingenia. Inuenias enim qui non reuerentur detrahere infimis & supremis, priuatis & publico munere insignibus personis: in quem usum spargunt famosos libellos, cōscribunt Pasquillos, adduntq; picturas infamatrices. Ac diserti quidē sibi esse uidentur cum amaris laudorijs oēs taxant, imo effrenis linguae petulantia, garrandijs temulentia, libertas quae dā si
ue pat

ue parthesia appellatur. Atqui peccat gravissime, qui ex maledictia voluptatem capiunt, hoc est qui circumferunt os plenum amaritudine maledictione & dolo: sicut & illi à peccato alieni non sunt, quibus uolupte est uenenatam audire maledicentiam. Extra calumnias *Iusta in-crepatio.* uero & extra peccatum ponimus accusationes iustas, siue scripto siue oratione uiua prolatas in medium, item obiurgationes & castigationes quæ fiunt sacris in contionibus. Nam qui uitia & errores sic castigant ac persequuntur, non alium finem habent propositum, quam gloriam dei & animarum salutem, quæ omnibus modis cupiunt promota, non autem releuatam bilem & satisfactum prauis affectibus. Cæterum maximum esse scelus calumniari & detrahere proximis, multis colligi potest argumentis. Vix enim aliud est uicium, quod ita nos deformer atque obrectatio. Conditi sanè sumus ad imaginem & similitudinem dei, ut simus filij dei: at ex filijs dei efficiunt nos calumnie filios diaboli. Ac omnes quidem abhorremus à diaboli nomine, si autem sis calumniator, certe hoc ipsum es, quod execeraris. Nam à calumniando nomen habet diabolus, quod nil aliud est, quam si dicas calumniator. Iam etià deus in Pro- uerbis dicitur odisse calumniatores, siue detractores. Item Proverb. 19. cap. legimus, Cogitatio stulti peccatum est, & abominatio hominum detractor. Est enim nomen bonum, eodem Solomone teste, thesaurus pretiosus. Ergo cum per calumnias & delationes hominis bona fama periclitatur, præstantissimum illud hominis periclitatur: ut reuera grauius uideatur peccare detractor quam fur: nisi quis præferat puidas opes nomini glorioso. Proinde mirum est qui fiat hodie quod furibus non paritur in furto deprehensis, delatoribus autem calumniatoribusq; nihil aut minimū mali irrogatur. Vtinam res aliquando rectius perpendant principes, ac mala quidem puniant omnia æquis pœnis, in primis autem supplicia digna sumant de sceleribus grandioribus. Deus certè ab uno quouis nostrum requirit, ut proximis nostris fidelem operam, quo ad licet, in asserenda ueritate, commodemus, ad tuendam & nominis & rerum proximi integritatem.

Videtur item hac lege proscripta esse Adulatio, quæ ex stulto, ut *Adulatio.* uere dicitur, reddit insanum, ex insano insanabilem. Itaq; Solomon pronunciat adulatorem publica dignum execratione: Qui dicit, inquit, impio iustus es, maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus. Et alibi, Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad intima cordis. Cum submiserit uocem, ne credideris ei: quoniã septem nequitie sunt in corde illius, Rectissime ergo pronunciatur

DE PRÆCEP. DECAL. IX. ET X.

in Ecclesiasta, Melius est audire increpationem sapientis, quam carmen uiri stulti, adulatoris nimirum. Ac cum tantum malum sit adulatione, amatur tamē ab omnibus ferē, adeo ut pestis illa inuasit adde et occuparit sacram in templo cathedram, aulas regum, curias senatorias & priuatorum quoq; ædes. Habet enim illa Syren cantionem carni nostræ suauissimam. Impense enim amamus nosipfos, stulti, non animaduertentes istas blandicias pellicere in amarum exitium. Doctores adulantes Ezechiel grauius increpat & ait, Væ illis qui dicunt populo pax pax, cum non sit pax: qui liniunt maceriam absq; temperamento, qui consuunt blandos puluillos sub omni axilla aut cubito, & ceruicalia blanda sub omni capite, ad capiendas animas. De huiusmodi doctoribus & hominibus adulatione magis mendacijsq; quam ueritate sincera gaudentibus, loquens apostolus quoq; Paulus dicit, Erit tempus cum sanam doctrinā non sustinebunt: sed iuxta concupiscentias suas coaceruabūt sibi doctores, ij quibus pruriunt aures, & à ueritate quidem aures auertent, ad fabulas uero conuertentur. Iam Dauid quoq; hanc deprecans pestem, uipote omnibus regibus & principibus, uel in eminentia constitutis perniciosissimā, Corripet me iustus, inquit, in misericordia, & increpabit me: oleum aut peccatoris nō impinguabit caput meū. Et iterum, Domine libera animam à labijs iniquis, & à lingua dolosa. Hæc hæctenus expositionis gratia in nonum præceptum domini protulimus.

Præceptū
dei X.

Sequitur præceptum X. quod ad uerbum sic habet, NON CONCVPISCES DOMVM PROXIMI TVI, NON CONCVPISCES VXOREM PROXIMI TVI, NEC SERVVM EIVS, NEG ANCILLAM EIVS, NEC BOVEM EIVS, NEC ASINVM EIVS, NEC QVICQVAM QVOD EST PROXIMI TVI. Quæ quidem uerba Deut. 5. cap. hoc ordine & modo exponuntur, Non concupisces uxorem proximi tui, non concupisces domum proximi tui, nec agrum eius, nec seruum eius, non ancillam eius, nec bouem eius, nō asinum eius, nec quicquam quod est proximi tui. Nec est ulla diuersitas, aut contrarietas in re ipsa, tamen in Exodo domus proximi, in Deuteronomio autem uxor proximi, primo ponatur loco. Facit autem hoc non nihil contra illos, qui ultimum hoc præceptum in duo dissecant, cum sit inseparabile: id quod ordo hic inuersus utrunq; indicat.

Concupiscentia.

Prohibetur autem ante omnia concupiscentia, nimirum mala, siue praua cupiditas. Concupiscentia enim medium est uocabulū.
Nam

Nā refertur ad bona & ad mala. David enim testatur se affici concupiscentia dei & legis eius. Concupiui, inquit, salutare tuum domine. Et, Concupiui mandata tua, Psal. 119. Sane discernere oportet inter affectionem à deo bene creatam, & inter illam quæ innata est nobis radix malorum ex propagine primorum parentum. Erat in Adamo ante lapsum appetitus cum delectatione non malus. Non esuriebat cum dolore (id quod peccati supplicium est) sed edebat cum appetitu delectabili. Delectabatur amœnitate paradysi, Amabat et concupiscebatur sancta quadam concupiscentia feminam, quæ ei adduxerat deus. Atq; hic appetitus non malus ab ipso deo creatore bono proficiscebatur. Ac sunt etiam hodie in hominibus naturales affectiones uel cupiditates, edendi uidelicet, bibendi, dormiendi, & aliæ his similes, ad conseruationem ac propagationem hominis pertinentes, quæ per se quidē sub censum peccati non ueniunt, nisi quatenus originali uitio deprauatæ legitimos transliant terminos. In præsentī uero negotio usurpatur pro mala, siue pro malorū concupiscentia. Ea in omnes ex Adamo transfusa, fructus est corruptæ naturæ nostræ, uel scetus peccati originalis. Hęc sedem habet in ipso corde hominis, & est fons & origo omnium quæ in homine sunt uel existunt, malorum siue scelerum. Dominus enim diserte in euangelio dicit, Quicquid ingreditur in os, in aluum abit, & in secessum eijcitur: at ea quæ proficiscuntur ex ore, ex ipso corde egrediuntur, & illa impurum reddunt hominem. Nam ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuitia: hæc sunt quæ impurum reddunt hominem. Nec obscurius beatus Iacobus apostolus dicit, Ne quis cum tentatur, dicat se tentari à deo. Nam unusquisq; tentatur dum à propria concupiscentia abstrahitur & inescatur: deinde concupiscentia posteaquam concepit, parit peccatum, peccatum uero perfectum progignit mortem.

Concupiscentia ergo est animi motus siue affectio, quæ ex ingenua corruptione in nobis inardescit contra deum & legem eius, nosq; sollicitat ad malum, etiamsi consensus aut opus ipsum non accedat subsequaturue. Nam si hæc accedat cupiditati, increfcit gradibus & ausibus peccatum. In peccato enim primo consideranda uenit ipsa imaginis uel ingenij dei in nobis obliteratio aut corruptio, uitium agnatum, & morbus ille latens in membris nostris, siue affectio praua. Deinde considerandum, quod hæc increfcit delectatione. Inde sequitur ferè consensus consiliumq; perficiendi sceleris: quod & non raro in opus erumpit: quod & ipsum grandescit per circumstantias accedentes. Veniunt autem singula illa sub peccati

cenſum, quanquam interim alia alijs fiant grauiora. De qua re copioſius dicitur ubi, deo uolente, uentum fuerit ad tractationem Peccati. Proinde affectio illa praua & illegitima, quæ eſt ex ingenita corruptione, ſed in natura noſtra laurat, exerit autem ſe in cordibus noſtris contra puritatem diuinæ maiestatis & legis, illud ipſum eſt peccatum, quod hac lege damnatur. Tameſi enim non deſint quibus uideantur huiusmodi animi motus, morbi, uitia, & affectiones non eſſe peccata, deus tamen illas lege hac prohibens, manifeſte condemnat. Quod ſi quis de noſtra expoſitione ambigit, Paulum audiatur apoſtolum dicentem, Peccatum non cognoui niſi per legem. Nam & concupiſcentiam non nouiſſem, niſi lex dixiſſet, Non concupiſces. Abſq; lege peccatum erat mortuum: ac ipſe quondam ſine lege uiuebam: ueniente autem mandato, peccatum reuixit, ego uero mortuus ſum. Et iterum, Affectus carnis mors eſt: affectus uero ſpiritus, uita & pax. Propterea quod affectus carnis inimicitia eſt aduerſus deum. Nam legi dei non ſubiicitur: ſiquidem ne poſteſt quidem. Qui uero in carne ſunt, deo placere non poſſunt. Damnat itaq; nos concupiſcentiæ affectus, ſiue nos iuſto dei iudicio condemnatur merito, propter concupiſcentiam in nobis latentem atque ſeſe exerentē in horas, ac ueluti in momēta ſingula. Exiſtūt ſane phantaſiæ uariæ & plurimæ cogitationes in animis hominum: dum tamen non tendunt uel in offenſionem dei, aut proximi, nec impuritatis aut philautiæ quicquam habent, non ueniunt ſub cenſum peccati: quod mox ab initio diximus.

Conuincitur homo peccati.

Et haſtenus quidem deus lege ſua prohibuit craſſiora quidem peccata, quæ ab hominibus committuntur contra deum, ſub finem uero peruenitur ad ipſam concupiſcentiam & corruptam hominis naturam, omnium malorum fontē, quem modo etiam ſopit & obſtruit: aut, ut rectius loquamur, infirmitatem generis humani omnium oculis exponit. Quis enim non concupiuit aliquando? imō quis non in ſingula prope momenta ſenit concupiſcentiæ ſtimulos? Quis obſecro non laborat ingenito omnibus morbo, ſiue la-be illa geniali? Deprehendi ergo in peccatis coram domino, non habemus quo extenuemus noſtram culpam, aut elabamur ex ſententia iudicis omnē carnem condemnantis. Damnat enim diſerte inſtus deus corruptionem natiuam prauamq; inclinationem, quæ eſt perpetua auerſio à deo & rebellio contra integritatem, quam à nobis exigit deus. Beati enim pronunciantur qui ſunt mundo corde præditi, quoniam ipſi deum uidebunt. Ergo quibus cor eſt cupiditibus implicatum, morbidum, imbutum ueneno & pollutum, non

non uidebunt deum. Huiusmodi autem sumus omnes quotquot censemur filij Adæ. Proinde ultima hæc lex omnes reuincit peccati & infirmitatis siue corruptionis humanæ, & quæ hanc sequitur condemnationis.

Deinde requirit deus lege sua non tantum corporis siue externâ puritatē uel mundiciã, sed animi quoq; spiritus & omnium affectuum: & præcipit ut in salutē & profectū proximi tendat quicquid cogitamus, cōsultamus, molimur & agimus. Referri ergo poterit hæc lex ad omnes ferē alias præcedentes. Nam ipse quoq; dominus Iesus exponens hanc legem, Non occides, addit, Quisquis irascitur fratri suo, obnoxius erit iudicio: & reliqua Math. 5. Rursus ibidem explicans hoc præceptum, Non committes adulterium, adijcit, Quicumq; aspexerit uxorem alterius, ad cōcupiscendum eam, iam adulterium commisit cum ea in corde suo.

*Quæ res
quiratur
ab homine
puritas.*

Ac diligentissime quidem recenset enumeratione quadam res, quas concupiscendo desideramus, & peccare solemus: rebus cōiungit personas. Res partim immobiles, partim mobiles sunt: id quod Helueticæ eloquimur, *Ser gûteren sind etliche ligende/etliche farende.* Immobiles sunt domus, uillæ, agri, uineta, tyluæ, prata, pascua, piscinæ, & alia huius generis. Mobiles sunt pecuniæ, iumenta, siue pecora, honores, officia, dignitates. Ad personas referuntur, uxor, liberi, serui, ancillæ. Hæc & similia quæ sunt in possessione proximi, nemo nostrum in detrimentum proximi concupiscat: aut si concupuerit, ne cōsentiat cōcupiscentiæ, aut delectationē capiat ex ipsa: ne consiliū capiat quomodo assequatur cupita, ne conceptū consiliū protinus producat in opus, eripiatq; proximo uel res uel personas. Huiusmodi uero iustitiã requirit à suis cultoribus deus, quæ ex ipso animo & propensa uoluntate nostra, non tantū opere externo, integra & absoluta sit. Unde in euangelio dicit dominus, Nisi abundauerit uestra iustitia plus quàm scribarum & pharisæorū, non introibitis in regnū dei. Cæterū quomodo compleantur mandata dei, & quod fides sit absoluta iustitia, explicabo sermone alio, & dixi quædam in sermone quem habui de Vera fide.

*Non concu
piscenda
quæ?*

Hucusq; per Sermones duodecim enarraui decē capita legis moralis, qua diximus tradi nobis uirtutum formas, adeoq; mores nostros informari quomodo hos componamus ad uoluntatem dei. Distinxit ipse omnium dominus deus hoc negotium in duas tabulas. Prima ostendit quid homines deo debeamus, & quomodo uere colamus deum. Secunda autē per sex præcepta exposuit, quid quisq; proximo suo debeat, & quomodo omnes commode tranquille & hu-

maniter uiuamus. Iubet ergo honorare parentes, & omnes eos qui sunt à deo parentum loco constituti. Prohibet homicidium, & omnē iniuriam quæ inferitur uitæ hominis corporisq;. Prohibet supra, ad-
ulteria & libidines nepharias, commendat coniugium & mundiciam uitæ temperantiãq;. Prohibet furta, dolos, imposturas. Prohibet mendacia, falsa testimonia, cupiditates prauas & noxias. Iubet nos ex animo amare proximos, & his benefacere semper. Domino & legislatori nostro sapientissimo sit laus & gratiarum actio in sempiternum.

De legibus dei Caeremonialibus, præcipue autem de sacerdotio, loco & tempore sacro. SERMO V.



IN partitione legum diuinarū proxime post legem moralem posuimus legem caeremonialem; unde moralis lege per partes explicata, dicendum erit porro, deo iuuantē, de lege caeremoniarum. Ac ne quid dissimulem, scribunt alij Caeremonia, alij Cerimonia: & de uocabulo non idem sentiunt omnes. Est enim qui ex Seruij Sulpitij sententia caeremonias à carendo dictas esse arbitretur. Festus autem, Caeremoniarum causam, inquit, alij ab oppido Care dictam existimant. Nam Lilius in 5. commemorat à Caerētibus sacra Romanorum in bello Gallico, Gallis inquam occupantibus Romam, esse asseruata. Unde uidetur in eius beneficij memoriam, omnem cultum dei, & omnes ritus sacros, caeremonias esse appellatos. Undecunq; uero deriuatum sit uocabulum, nos illud in præsentī usurpamus pro actione sacrae sacrorumq; ritu ecclesiastico.

*Caeremonia in gene
re quid?*

Sunt autem Caeremonia ritus sacri circa personas sacras, locum item & tempus cultumq; sacrum uersantes, qui quomodo legitime fiant, leges quæ uocantur caeremoniales exacte tradunt atq; describunt. Caeremonia ergo actiones uel ritus sunt, quos formant leges siue præscriptiones, appellatae leges caeremoniales. Porro instituit caeremonias uel Deus uel Homo. Et deus quidem instituit alias in testamento uel populo ueteri, alias sub Christi primum aduentum in populo noui testamenti. De noui testamenti Caeremonijs dicitur ubi uentum fuerit ad Ecclesiæ & Sacramentorum ecclesiæ tractationem. In præsentī differemus de Veteris populi uel testamenti Caeremonijs. Eæ sunt instituta uel actiones seu ritus sacrorū, populo Israelis, ab ipso deo traditi, ad tempus quidem correctionis, sed ad res præsentanda uelandaq; dei mysteria, deniq; ad cultum deo præstandum.

Caeremonia Iudaica quid?

Eæ sunt instituta uel actiones seu ritus sacrorū, populo Israelis, ab ipso deo traditi, ad tempus quidem correctionis, sed ad res præsentanda uelandaq; dei mysteria, deniq; ad cultum deo præstandum.

dum, & ut his populus dei retineretur in religione legitima & societate unius corporis ecclesiastici.

Porro homines instituerunt Cæremonias uarias & multiplices: *Cæremonia humana* quod fecerunt apud Ethnicos archisacerdotes & ministri idolorum, aliquando reges & principes. Apud Hebræos diuinas *na.* cæremonias Ieroboam rex Israeliticus in suam et suæ domus exitiū, suis, id est humanis & impijs, permutauit. Cæremoniarum ab hominibus institutarum in hoc postremo sæculo nostro nullus est neque modus neq; finis. Id quod multi uiri docti deplorarunt, & deplorant adhuc. Conqueritur Augustinus suo sæculo admodum auctas esse *Cæremonia diuina* cæremonias in ecclesia: quid putas hodie dicturum si reuiuisceret *na.* Verum de his dicemus aliàs. Quoniam uero uocabulum Cæremonia quibuslibet etiam ethnicis ritibus attribuitur, nos in descriptione nostra iam proposita discrete significamus, nos loqui non de quibuslibet cæremonijs, sed à deo traditis, nimirum populo Izraelis à Mose: non utiq; ex Mosis, sed dei, arbitrio, per illius autem ministerium: iuxta illud quod Mosis dictum legimus, Vide ut facias omnia secundum exemplar quod ostensum est tibi in monte. Nostræ ergo Cæremonia prima origine referuntur ad deum ipsum authorem uerissimum, ac ea de causa deo placuerunt, quia diuinæ fuerunt & fide exhiberi poterunt. Damnantur cõtra Cæremonia in cultu diuino inuentæ & institutæ ab hominibus. Locus illustris est Deut. 32. Sed & 4. Regum 17. dicitur, Ambulauerunt in institutis siue cæremonijs Izrael, quas illi fecerunt. Notissimum est quid euenerit domui Ieroboam, & ipsi Ieroboam, deniq; omnibus regibus Izrael ambulantibus in uia Ieroboam. Ita Cæremonia hæc nostræ, id est de quibus loquimur in præsentia, actiones sunt siue ritus, non prophani, sed rerum sacrarum: quas uidelicet instituit ipse deus, & exercet dei populus. Et fuerunt quidem traditæ non omnibus gentibus, sed populo Izraelis, & ad tempus quidem, ut apostolus dicit, *Cæremonia Iudæis* correctionis, utpote quæ humeris Iudæorum ad Messiam usq; exhibitæ tempora insiderent, inde autem deciderent aut deponerentur *ca.* atque disparerent. Certe hoc nomine appellata est lex apostolo Paulo pædagogia ad Christum. Iam & finis in quem institutæ sunt *Finis cæremoniarum.* cæremonia inspiciendus est. Pertinent cæremonia ad doctrinam pietatis & fidei maxime. Nam adiectæ sunt primæ tabulæ, ueluti subsidium quoddam & fulcrum. Tradunt enim cultum dei ueri eternum, quem uero deo pij exhibeant, ac per eas abstrahantur, non tam ab alienis dijs, quàm cultibus peregrinis: quibus plus nimium in Aegypto assueuerant: non habentes utiq; modo ullam occasio-

DE LEGIB. DEI CAEREMONIALIB.

Cultus
dei.

2. Cor. 10.

Quomodo
probenitur
& impro-
benitur cae-
remoniae.

Non inuti-
lis cognitio
caeremonia-
rum.

nem peregrinos cultus recipiendi, quando tam exquisitis instructi & quasi inuoluti erant sacris. Hanc causam concessarū caeremoniarum commemorat ipse Moses Deuteron. 12. Ergo caeremoniae & caeremoniarum exercitium diserte appellantur in diuinis legibus cultus dei. His enim coli uoluit deus: ac retinebant populum dei in uero cultu dei, & in uera religione & societate unius corporis ecclesiastici. Dispergitur enim ecclesia nouis aut peregrinis caeremonijs receptis: sicuti claret in rebus Solomonis & Ieroboami, Sed & Paulus apostolus dixit, Nonne qui edunt uictimas, participes sunt sacrarij, a deo? totius religionis? Ad haec uelata abscondebantur potissima Christi & ecclesiae mysteria in caeremonijs, fueruntque sacramenta Iudaici populi, quibus dominus sibi hūc obstringere firmiter uoluit, adde & refricare sua beneficia, denique exerceri pietatem & obedientiam, adeoq; fidem sui populi. Cumq; in eis fidem & fidelem obedientiam exigeret ante omnia, non placuerunt caeremoniae hae domino, quoties populus sensu mysteriorum destitueretur, fide careret, atque externum modo cultum exerceret. Nam apud Ieremiam clamat dominus, Holocausta uestra addite uictimis uestris, & comedite carnem: quoniam nihil locutus sum cum patribus uestris, neque praecipui eis cum educerem eos ex Aegypto de holocausto & sacrificio: sed hoc uerbum praecipui eis, dicens, Audite uocem meam, & ero uester deus, uos autem eritis populus meus. Alibi uero legitur sacrificia oblata, & cultum illum exhibitum à populo, fuisse deo gratissimum, odoristq; suauissimi. Vnde uero illa diuersitas, nisi ex animis colentium deum, cultumq; exhibentium? Placuerunt enim sacrificia, placuit cultus qui fiebat ex simplici obedientia ac fide: displicebat qui sine fide & syncera obedientia animi, forinsecus non intrinsecus, persoluebatur deo: quo nomine & Cain peccasse legitur: atque eo modo sacrificare non praeeperat. Rursus legitime & in fide Christi uenturi Messiae sacrificare & colere deum, instituto externo cultu, iusserat: non ut ex ipso opere parato sperarent iustitiam, sed ex eo qui in omnibus praefigurabatur caeremonijs. Hic erat Christus, qui mens & uita est omnium quae in lege tradita sunt caeremoniarum.

Sed praestat per partes non omnes quidem aut singulas, sed potissimas tamen inspicere expendereq; caeremonias. Nemini autem hic labor noster curiosus aut inuulis esse uideatur. Nam mire conferet ad sanam intelligentiam legis abrogatae. Praeterea quae à deo tradita sunt in scripturis sanctis, nulliatem habent luculentissimam.

tissimam, & auctoritatem diuinam: adeo ut stulti simul ac impij sint, aut ut mitius loquar, ignari rerum bonarum & temerarij, qui fastidiunt & cæremonias diuinitus traditas & ipsarum tractationem sobriam atq; piam. Inuenias non paucos quibus uilissimum excellentissimūq; uideatur Homerum & Maronē allegorice interpretari: in solis cæremonijs diuinis nulla stultis uidetur recondita uel utilitas uel sapientia: cum reuera nihil habeat orbis hictus, uilius, iucundius, elegātius, excellentius, & eruditius in hoc argumento, quā cæremonias sacras. Describuntur enim in his mysteria Christi & ecclēsiæ catholicæ, idēq; perspicue, eleganter & excellenter.

Atq; in his recensendis perstringēdisq; sequar maxime ordinem naturalem. Cæremoniæ pertinent ad cultum dei ecclesiasticum. Atqui necesse est ut sint personæ destinatæ in ecclesia, quæ magistri uel ministri potius publici sint cæremoniarum, & eas exercent in ecclesia secundum instituta domini. Necesse est ut sit locus quoq; certus & tempus certum, quo maxime exercentur cultus: sed & ritus sacros, hoc est ipsas cæremonias circumscriptas, numeratas aut designatas certasq; esse oportet, ut norint cultores dei, qualem deo cultum exhibeant. De personis, id est Sacerdotibus siue Leuitis, primo loco dicemus pauca, ubiq; auditorem relegantes ad lectionem sacri codicis, in quo descriptiones singulæ plenius & copiosius continentur.

Cæremoniarum
summa.

Sacerdotium.

Origo sacerdotij in ueteri populo ad ipsa se extendit rerum exordia. Tradunt enim primogenitos in qualibet familia fuisse sacerdotes. Certè cæsis Aegyptiorum primogenitis, Izraelitarum primogenitos lege sibi consecrat dominus. Ac semper fuit magna primogenitorum dignitas & excellentia uel in legibus ciuilibus. Tenuit primogenitus in domo paterna dominatum, adeoq; regnum inter fratres: primogenito cedebat hæreditas, reliquis dabantur munera: primogenitus sacerdotij præfulgebat dignitate. Ergo cum Cain atque Abel concertarent de primogenitura, non concertarunt de re leuicula, sed omnium præstantissima. Vnde cum uirgo mater dicitur à Luca primogenitum suum genuisse filium, nemo cogitet secundogenitum aut ipsam plurium liberorum fuisse matrem. Dignitas enim excellentiaq; notatur. Ad Christum enim dominum pertinet regnum sacerdotium & hæreditas. Huius liberalitate & munificencia adoptamur & nos in participatum, ut simus & nos reges sacerdotes & hæredes uitæ æternæ & omnium bonorum cælestium. Verum ut redeamus ad id quod instituumus, sacerdotij dignitas iure

Origo sacerdotij.

Christus primogenitus.

DE LEGIB. DEI CAEREMONIALIB.

primogenituræ Rubenis erat in populo Izraelis. Cæterum is nephando flagitio, incestu uidelicet admissio, ius suum amisit. Successit ergo Leui: sed & is dignitatem eam scelere perdidit, quod Sichimitis perfide cladem intulisset, atq; prophanasset sacramentum circumcisionis. Quoniam uero eadem tribus præclare se gessit, nõ modo in educendis filijs Izrael ex Aegypto, sed in puniendis idololatriis, uirtuti inquam cultoribus, sacerdotij functionem seu dignitatem ceu uirtutis præmium recepit, inq; locum primogenitorum uniuersi seminis Izrael Leuitæ sunt repositi. Sic enim legimus, Et ait Moses ad Leuitas, Cõsecrate hodie manus uestras domino, quicq; in filio suo & in fratre suo, ut detur uobis hodie benedictio. Et iterum, Et loquutus est dominus ad Mosen dicens, Ecce ego selegi Leuitas è medio filiorum Israel pro omni primogenito quod primum nascitur in filijs Israel: & Leuitæ erunt mei. Meum est enim omne primogenitum à die quo percussi omne primogenitum in terra Aegypti, consecraui mihi omne primogenitum in Israele, &c. Ex his constat Leuiticam tribum consecratam fuisse sacerdotio in ecclesia Israelis. Porro hæc dignitas seu hoc ministeriũ huic tribui singulariter confirmatum est mox à seditione Choritica, Dathanica, Abyramicaq; signum ædente domino in uirga Aaronis, quæ floruit inter undecim surculos, sola, in testimonium quod deus sacerdotio Leuiticam tribum & solam quidem illam destinasset. Ideo uero eadem illa uirga & in arcam reposita seu asseruata est in tabernaculo, ne post hac unquam alia tribus sacerdotium affectarent. Hæc fusius exponuntur Numeri 26, & 17. cap.

Ordo inter sacerdotum certus, Erat autem inter Leuitas ordo certus, erant gradus, erat distributio quædam in partes certas. Ducebantur enim Leuitæ in tres familias, nempe Cahatitas, Gersonitas & Meraritas: hæc rursus distribuebantur in ordines quatuor. Principio enim deligebantur ex familia Cahat principes, qui præsidebant: deinde qui reliqui erant inter Cahatitas, & duo alij ordines Gersonitæ & Meraritæ, uelut subditi præsidibus parebant. Omnibus enim præfulgebat Aaron summus pontifex cum Ithamar & Eleazar filijs. Ita enim legimus Numeri 3. Et dabis Leuitas Aaroni & filijs eius. Deditiij enim sunt ex filijs Izrael. Aaronem uero & filios eius præsticias, ut custodiant sacerdotium suum. Alienus si accesserit, interficiatur. Ea re præferrebat summus sacerdos Aaron typum Christi regi & pontifici uero optimo maximo, cui subiecti sunt Christiani omnes, quorum ipse summus pontifex & caput in cælis est.

Sciendum autem est non omnes Leuitas inseruisse tabernaculo, *Ex Leuit.* neque omnes ubiq; per uniuersam Izraelis terram docuisse. Certæ *tis ad mini* erant leges quinam uocandi ad ministerium sacrum ex Leuitis, qui *sterium deo* repellendi. Leges non uacat hic recensere omnes. Præcipuæ *ex libebantur* tant *Leuit. 21. & 22. cap. Numeri 8. cap.* designatur & ætas idonea *idonei.* ministerio, nempe à 25. anno ad 50. usq; annum. Præterea consecra-
bantur uocati & delecti ad ministerium sacerdotes. Ritus conse-
crandi copiosior operosiorq; est, quàm per compendium referre li-
ceat. Significabatur consecratione, donis uarijs instructos, & con-
uersatione sanctissima præditos esse oportere eos qui seruiunt eccle-
siæ in munere sacerdotali. Huc enim in primis pertinebat unctio sa-
cerdotalis, typus sancti spiritus, quo nisi imbutus sit minister eccle-
siasticus, munere sibi ipsi ad interitum fungitur. Porro sacerdotalis
consecratio describitur à Mose *Exodi 29. Leuit. 8. & Numeri 8. cap.*
Hoc loco commemorare oportet etiam cultum, siue uestitum sacer-
dotalement. Utebantur sacerdotes extra ministerium uestitu politico, ut
colligere ex Ezechiele possumus; sed in ministerio sacra cæremonia-
liq;. Eius descriptionem copiosam exhibet nobis Moses *Exodi 28.*
& *39. cap.*

Numerantur nouem uestium genera, alij octo duntaxat recen- *Vestis sa-*
sent, Iosephus decem. Ante omnia abluebantur aqua mûda sacram *cerdotalis.*
rem facturi sacerdotes, deinde uestibus sacris induebantur. Fuerunt
in his communes uestes sacerdotum atq; pontificis. Principio lineis
fœminalibus, quæ usq; ad genua & poplites ueniunt, uerenda celan- *Fœmina-*
tur, & superior pars supra coxendicem astringebatur, simile quip- *lia.*
piam habens cum superiore caligarum nostrarum parte, ut si quan-
do expediti mactarent uictimas, trahunt & portant onera, etiamsi
lapsi fuerint, non pateat quod opertum est. Deinde lineis fœmina- *Tunica*
libus inducebatur tunica stricta, duplici sindone, quam & ipse Io- *stricta,*
sephus byssinam uocat. Adhæret corpori plana et sine ruga uel pli-
ca, descenditq; ad crura usq;. Solebant quondam militantes habere
lineas, quas camisas uocant, sic aptas membris & astrictas corpori-
bus, ut expediti essent uel ad cursum uel ad prælia. Ergo & sacerdo-
tes parati ad ministerium dei utuntur hac tunica, ut pulchre tecti, in-
terim & expediti suum perficiant ministerium. Tertium genus ue-
stimenti zona, cingulum uel baltheus, astringebat tunicam illam, *Zona.*
Contexta erat purpura, cocco, bysso, hiacynthoq; in similitudinem
pellis colubri, dependebatq; ad crura usq;, sed in ministerio sacro re-
torquebatur in læuum humerum. Quartum genus uestimenti nu- *Tiara,*
meratur tiara, uel rotundum pileolum, quod caput obtexit ferme

DE LEGIB. DEI CAEREMONIALIB.

Ephod. ad aures usque, ea forma, quasi media sphaera sit diuisa, superiorq; pars imponatur capiti. Hinc fuit Ephod (cuius quidem in scripturis alibi, non in Exodo, ubi ex professo uestimenta sacerdotum describuntur, sit mentio) communis uestis omnibus sacerdotibus, Pallium fuisse putatur ex lino, quo & David indutus erat cum saltaret ante arcam. De Sacerdotibus à Saule cæsis per Doeg Aedomæum legimus, Et interfecit eo die 57. uiros ferentes Ephod lineum: non quod tum ferrent cum interficerentur, sed quod essent in ea ætate eorū ordine ut ferre possent, hoc est ut ministrarent in sacerdotio domini. Ergo in Osea legimus, Eris sine Ephod & Theraphim, nimirum sine sacerdotio & cultu. Nam Ephod cepit usurpari pro ipso sacerdotio, uestis siue signum pro re signata. Quod si quis hæc Osee de nobilitate Ephod, de quo mox dicemus, intellexerit, non refragabor. Nec multum uidetur distare Ephod lineum à ueste quam *Papistæ* hodie pallium, *camissam* uel uestem chori uocant. His autem quinque uestibus communiter utebantur pontifex ac sacerdotes. Reliquæ quatuor propriè pontificum sunt, quarum primum uocant *Megil*, ea fuit tunica talaris, uestis in qua sinuosa, tota hiacynthina, à collo demissa in solum, ad pedes, conclusa omni ex parte, nisi ubi exertum caput & brachia: inferne ex limbis eius dependebant sepruaginta duo tintinnabula seu nolæ, & totidem mala granata uel punica, ita collocata ut semper fuerit inter duo tintinnabula unum malum punicum, & inter duo mala punica unum tintinnabulum: causæq; redditur, ut cum ingreditur pontifex in sancta sanctorum, torus uocalis incedat, statim moriturus nisi sic fecerit. Sequitur Ephod pontificis, longe diuersum ab illo, de quo prius diximus. Hoc enim non erat lineum, sed contextum opere textorio polymito, ex auro purpura byssoq; etiam forma diuersum à priore. Pontificium enim hoc erat humerale uel pectorale, à collo ad coxendicem usq; per cubitum extensum: contextit enim ueluti thorax pectus, scapulas & infra axillas utrunq; latus: ea forma qua uidemus hodie thoraces mulierum, quos appellant Helueticæ *lybli*, præditos. Hoc supra talarem induebantur. In utroq; humero singuli hærebant *Onychini*, *schoham* dicti, gemmæ pretiosæ, nomina filiorū Israel habentes insculptæ: contra pectus nihil contextum erat, sed locus *Rationale*. Rationali apparatus. Nā Rationale, quod *Hosen* appellatur, octauum erat uestimenti genus, pectorale iudicij quoq; nuncupatum: id erat ex auro purpura & bysso textus pannus, palmi habens magnitudinem per quadrum, & duplex, & limbis ex quatuor partibus munitum ne facile rumpatur. Intexti erant ei lapides siue gemmæ, *miræ*

miræ magnitudinis (in hoc genere) & pretij, per quatuor ordines, ita ut in singulis uersibus terni lapides collocarentur: quibus etiam ut onychinis inscripta erant nomina filiorum Izrael. Radiabant uero miro quodam fulgore: neque enim alij lapides nisi splendentes pectorali inferebantur. Vnde *Vrim & Thümmim* non uideatur fuisse aliud quam hic lapidum ordo. Significat enim *Vrim & Thümmim* splendores & integritates. Nam ut gemmæ hæc fulgurabant, ita erant integerrimæ, nullumque in eis uitium apparebat. Ac arbitrantur sacerdotem summum nūquam in re graui dixisse ius, aut responsa oraculaque rogatū ædidisse, nisi cum pectorale hoc iudicij in pectore haberet positum. Connectebatur enim aureis annulis ipsi ephod uel humerali seu thoraci, insuper et catenulis aureis suspendebatur ex humeris, sub onychinis lapidibus demissis. Præstantissimum hoc in ornatu ac uestitu pontificis habebatur. Erat enim scrinium pectoris & thesaurus omnis iuris & scientiæ, omnis denique æquitatis & iudicij, unde ueluti responsa petebantur, quomodo se gererent in causis difficilibus Izraelitæ. Proinde alij uertentes *Vrim & Thümmim*, *Ἐπιστολὴ καὶ ἀνάθεμα*, id est, manifestatio, uel doctrina, inquit, & ueritas in pectore sacerdotis est. Ultimo loco ponitur lamina aurea, in qua erat lamina aurea, acuminata quidem illa, ea propemodum forma, quā uidemus hodie in infulis episcoporum. Inscriptum in ea continebatur, Sanctum domino, uel sanctitates domini. Solus enim sanctissimus et sanctificans est ipse Christus dominus: antichristus est qui hoc nominis sibi usurpat. Sunt qui putent laminæ inscriptum nomen domini inesabile. Constringebatur equidē hæc lamina ad pileolum illud lineum, commune omnium sacerdotum, in fronte per uittam hiacynthinam, adeoque pontificem ueluti coronabar. Hic, inquam, fuit uestitus sacerdotum sacer ac pontificis summi in primis.

Significationem illa habent pulcherrimam & multiplicem. Vt significatio uestitus sacerdotis & fidem ipse dominus per Moſen indicauit, instituta hæc esse ad gloriam & decorem: non tantum ad conciliandam ministris sacra peragentibus auctoritatem, sed etiam ad commendationem sacerdotum. Videntur enim hæc augustiora quæ tanto cum apparatu celebrantur. Ac utile & propemodum necessarium erat populum istum ad gentilium ritus recipiendos promptissimum, his in officio retinere. Præterea exhibent hæc quoque Christum uerum & summum sacerdotem nobis spectandum. Vestitus is erat ueste iustitiæ, temperantiæ & uirtutis, hancque uestem nobiscum habet commu-

DE LEGIB. DEI CÆREMONIALIB.

nem. Oportet enim omnes Christianos ipsum induere Christum. Excellit interim Christus tanquam pontifex summus, non modo quod ipse nos consecrat, & uirtutibus instruit: sed quod peculiaria habet utpote deus uerus & saluator mundi. Gestat nos in humeris suis & in pectore suo, ueluti gemmas pretiosas. Non enim uiles, sed pretiosi sumus in conspectu eius. E pectore pontificis nostri Christi resplendet & emicat lux sapientiæ æternæ. Nam in ipso ut in scrinio æternæ dei sapientiæ sunt reconditi omnes thesauri sapientiæ & scientiæ. Ipse est lux mundi, ueritas & integritas, ut totus mundus ab uno Christo iure poscat leges, iura, responsa, & quicquid ei opus est ad perfectionem & ueram beatitudinem. Ipse est sanctus sanctorum diuinæ maiestatis & sanctitatis: cuius capiti recte & iure optimo infidet corona gloriæ, utpote qui solus sanctificat, regnat gloriosus, & uiuit in sæcula. Iam etiam instituebantur hisce cæremonijs sacerdotes, ut uel ex uestitu intelligerent quid ab ipsis requiratur, & quales ipsos esse oporteat. Sint sacerdotes semper accincti ad officium, ambulent honeste coram deo & hominibus: sint temperati & alieni à luxu & libidine: sint lumbi eorum astricti baltheo iustitiæ & ueritatis: pectus, latera, & dorsum sint munita uerbo dei: sit caput ipsum rectum galea salutis: superimponatur capiti ipse Christus saluator: sit hic caput ministrorum & ministerij: in primis uero sit sacerdos uocalis in ecclesia. Nam si mutus sit, morietur: si autem strenue prædicarit nomen domini & legem eius, odorem excitat in ecclesia punitorum malorum fragrantia gratiosam. Ergo sub uestium inuolucro teguntur mores, uirtutes & uitia. Post sermonem nil magis commendat hominem quam uestis. Qualis animus talis ferè sermo & uestis: ergo uestis conuersationem significat. Vnde iubemur in sacris aliam induere uestem, cum postulat conuersationis immutatio: adeo ut bona pars doctrinæ sacerdotalis quid ipsos deceat in uestiu contineatur.

*Officium
sacerdotii.*

Doceant.

Verum tempus & res ipsa postulat ut discrete iam loquamur de officio sacerdotum. Id erat uarium & multiplex, obtinebar tamen primas in omnibus institutio siue doctrina. Nam præcipue ordinati sunt à deo sacerdotes, ut ecclesiam instruant in uera pietate, doceantq; legem & instituta domini. Nam in hæc uerba legimus dominum dixisse ad Aaronem, Vinum & siceram non bibes, tu & filij tui qui sunt tecum, cum ingressi fueritis tabernaculum testificationis, ne moriamini. Statutum sempiternum sit in generationes uestras: & ut discrimen faciatis inter sanctum & inter prophanum, inter immundum & mundum: utq; doceatis filios Izrael omnia statuta quæ

locus

locutus est dominus ad eos per ministeriū Moſis. Leuit. 10. Eandē legem repetit Ezechiel totidem propē uerbis in cap. 44. Ac illustrat eandē Malachias etiam in cap. 2. Errant ergo quibus perſuaſum eſt ſacerdotes Leuiticos duntaxat ad ſanctam eſſe conductos. Materiam quoq; quid doceant Leuitici ſacerdotes hic & ubiq; in legibus ſuppeditat dominus, non utiq; philoſophiam ethnicam, edicta & placita regum aut decreta ſeniorum, ſed ipſum uerbum dei traditum à deo, iam uero ut doctrina cōmode proponi poſſet populo, ſacerdotes populo quoq; indicebant Faſtos.

Post doctrinam non minimum officiorum erat Benedictio. Ea *Benedicāt.* non permittebatur eorum arbitrio, ſed aſtricta erat ad certā formā, eamq; ſolennē, huiusmodi uidelicet, Et locutus eſt dominus ad Moſen, dicens, Loquere ad Aaronem & ad filios eius, dicens, Sic benedicetis filiis Iſrael, & diceris eis, Benedicat tibi dñs, et cuſtodiat te: oſtendat tibi dominus faciem ſuam, & miſereatur tui: attollat dominus faciem ſuam ſuper te, & det tibi pacē. Hęc formula erat, qua utebantur haud dubie in cœtibus ſacris, maxime cū dimitteretur populus. Alii uero dicitur benedicere deus, hic Aaron & filij eius: cæterum quod externis ſenſibus ingerunt ſacerdotes, id interne operatur atq; præſtat dominus fidelibus, ut benedictio propriū dei opus maneat. Nam ſignificanter ſolenni formæ ſubiungitur, Inuocabuntq; nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicā eis. Proponunt ergo ſacerdotes nomen dōmini: cōmendant diuinam naturā: oſtendunt omne bonū profluere à deo, & quomodo id poſſimus conſequi per Chriſtū, qui eſt ſemen benedictū, benedicens inuocantibus nomen eius. Cōprehenduntur ſex capita in benedictione ſolenni, Primo dicitur, Benedicite deus, id eſt, cōferat tibi quæcunq; pertinent ad incolumitatē corporis & animæ. Secundo dicitur, Cuſtodiat te. Non enim ſatis eſt accipere bona corporis & animæ à deo, niſi etiam conſeruentur integra, nec eripiantur nobis iterum per iram dei, aut nos noſtra amittamus negligentia. Tertio dicitur, Oſtēdat tibi dominus faciem ſuam. Vel, Illuminet dominus uultū tuum ſuper te. Oſtendit nobis deus benignā faciem, cum redijt nobiſcū in gratiam, ac nobis beneuolus eſt. Ideo quarto loco ſequitur expoſitio planior, Et miſereatur tui: ſemper tibi ſit clemens & propitiuſ dominus in omnibus tuis inſtitutis, dictis & factis. Quinto ſequitur loco, Attollat dominus faciem ſuā ſuper te. Attollit uultū ſuum dominus, quando reſpicit nos, uigilat ſup nos, & dirigit uias noſtras. Ultimo loco ponitur Pax, quæ eſt ſalus & ſummū bonū, quanq̄ & bello opponatur: eſt et conſcientiarū pax, iuge conuiuiū. Hęc tanta bona imprecabatur po

DE LEGIB. DEI CAEREMONIALIB.

- Orare.** pulo sacerdotes, qui haud dubie & orare dominum docebant, & ad sedulas preces hortabantur. Extant uel hodie Psalmi compositi à sacerdotibus in gratiã populi. Postq̃ enim Dauid in templũ induisset musicã, cãtus quoq; & musicorũ instrumentorũ suauis tractatio siue modulatio, ipsa in quã Psalmodia cœpit numerari inter officia sacerdotum. De Musica sacra multis agit prior liber Paralipomenon in rebus Dauidis, ubi etiam traditur quod cantores ipse Dauid distribuerit in classes 24. idq; per sortes.
- 1. Par. 25.**
- Rem sacrã faciunt.** Præterea iussi sunt sacerdotes rem facere diuinã, administrare inquam sacramenta, ac sacrificare. Circũcidebant enim infantulos, pascha procurabant, & sacrificia uarij generis offerebant domino: de quibus mox dicemus suo loco. Ut autem cõmodius sacrificareur à sacerdotibus, Dauid instinctu sancti spiritus, diuisit duas Eleasaris & Ithamaris familias in uices 24. Per uices enim obibant ministerium sacrũ, sicuti copiose exponitur 1. Paralip. 24. Toto autem ministerij tempore in ipso templo perseuerabant, nuspiã egredientes templum. Erant enim habitationes in ipso templo extructæ, pro ministerantibus in uice sua. Reuertebantur domum ubi expleuissent ministerium suum. Huc pertinet quod sacerdotes asseruabant uasa sacra, quod ea purgabatur: alebant lumina, ignemq; sonebant perpetuum: breuiter curabant illa omnia quæ ad rem sacram pertinere uidebantur, oleum, thús & similia.
- Portent tabernaculũ & uasa domini.** Priusquam uero extrueretur Templum, & sedes in terra promissa fixas Israelitæ consecuti essent, sacerdotes tabernaculum curabant in portando erigendo ac deponendo. Numeri enim 3. cap. sic legimus, Leuitæ custodient omnia instrumenta tentorij constitutionis, & obseruationemq; filiorũ Israel, ut obeant ministerium tabernaculi. Nam Tabernaculũ ita constitutum erat, ut posset ad professionem in multas dissolui partes, Ergo cum Israelitæ iam uellent mouere castra, accessit Aaron cum filijs, & uelis ad hoc dispositis inuoluebat uasa sacra. Cahitæ portabãt arcam, mensam, aras & instrumenta ad ista pertinentia. Gersonitæ curarũt ligatilia, integumẽta, aulea, tapetia, uela & funes. Meraritæ portabãt duriora ex ligno & ære, columnas, uestes, palos, asseres. Quæ qui exactius intelligere cupit, legat 3. & 4. cap. libri Numerorum. Extructo templo ianitores ex Leuitis templiq; custodes ordinati sunt. Sed & Tubæ quibus cõuocabatur cœtus, erant in manibus sacerdotũ. De qua re legitur Num, cap. 100.
- Ianitores Tubæ.**
- Bello inter sint sacerdotes.** Adhibebantur etiam Bello sacerdotes: sicut uidere est Deut. 20. cap. Dominus enim noluit filere leges inter arma, imò uictorias maxime

me refert ad pietatem studiumq; religionis.

His accessit & aliud officium sacerdotale, nempe iudicare inter *Iudicent-*
causam & causam, inter mundū & immundū. Virumq; fufius de-
scribitur Deut. 17. & Leuit. 13. & 14. Nam exorta causa aliqua diffi-
ciliore, referebatur ea ad metropolim: & si quis de lepra fuisset su-
spectus, iudicabant de morbo, iuxta leges præscriptas, Leuitici sacer-
dotes. Et hæc tenus quidem in arctum constrinxi sacerdotale veteris
populi officium, potissimas tantum partes commemorās, iam ut sa-
cerdotes ecclesiæ Izraeliticæ inseruiebant, ita uiuebant ex ecclesiæ re-
ditibus, Certas enim habitationes & uestigalia certa his destinauit *Habitatio-*
in terra promissa dominus. Nam designauit urbes per totam terræ *nes et uesti-*
Izraeliticę orbem, quadraginta octo, ex quibus sex refugij habeban *galia sacer-*
tur oppida, Sed & suburbana siue prædia pro iumentis & familijs *douum.*
sacerdotum proxime ante ciuitatum mœnia, per mille cubita circun-
quaq; extendere ac designare iussit dominus. In his oppidis erant *Schola.*
scholæ, pulchre per totam terram sic distributæ, ut omnes ex uicinis
locis non iniquo itinere ad synagogas hæc peruenire possent. In
his non sacrificabatur. Nam in uno duntaxat loco sacrificabatur ex
præcepto: ac ter in anno ascendebant ad templum sacrificaturi: in
omnibus autē synagogis singulis sabbatis docebatur lex domini.
Porro uestigalia fuerunt amplā, Describuntur enim Numeri 18. &
Leuit. ultimo. Amplæ satis opes erāt sacerdotibus, ad alendas ipso-
rum familias, honesteq; uiuendum. Rursus non uacabant otio, ne-
que diffiuebant luxu, sed temperanter uiuentes, literis inuigilabant
& docebant fideliter. Hæc de Personis sacris huc usq;.

Et quoniam iuxta legem non licebat nisi in uno loco sacrificare, *De loco*
certus utiq; fuit locus populo designatus, in quo ceu in officina sa- *sacro.*
era, sacerdotes sacra facerent, ut iam ordo seriesq; rerum requirat ali-
quid dicere etiam de loco sacro. Is erat initio quidem Tabernacu-
lum Moysi, postea uero templum Solomonis. Lex de sacrificijs non
ubiq; nisi per dispensationem, sed in uno eoq; certo loco offerēdis,
erat apud Mosen Deutero, 12. Leuit. 17. cap. ac mysterium continet
Christi, qui non nisi semel, uno in loco, oblatu est, ad expiationem
peccatorum totius mūdi, De quo paulo post plura. Tabernaculum
autem siue Tentorium (constitutionis tentoriū appellatum, eo quod
diuinitus constitutum esset, & ad responsa ibi danda & ad cultum
dei legitimum perficiendum) populo fuit in deserto erranti templi
loco. Quia enim per annos 40. per desertum oberrabant, non con-
ueniebat eis fixum aliquod templum, sed portatile. Id in hunc mo-
dum erigebatur, & erat fermē huiusmodi. Principio insurgebantur

Tabernaculum quales fuerit. terræ foramina habentes argenteas bases, pro asseribus in parietem compingendis erigendisq; singulis uidelicet asseribus aut tabulis bases binæ. Nam singulæ tabulæ habebant inferius duos dentes, quibus inferebatur basibus. Tabulæ in utroq; tabernaculi laere uicentæ & ad occidentem in capite decem erant, omnes obductæ auro, altæ cubitos decem. Hæ inquam erectæ imponebantur aut insigebantur basibus: à tergo habebant circulos aut annulos aureos, per quos uectes ex ligno sitim (putatur ea esse spina alba) inferebantur, ut asseres inter sese astrictæ, sibi constarent, nec hiaret structura siue paries, tabulæue aut antorsum uel retrorsum inclinarent. Ab oriente claudebatur uelo sanctum. Porro contextæ erant cortinæ seu aulea decem opere phrygio, quæ ansulis seu fibulis inter sese conferebantur. Hæ autem ceu contignatio aut laquearium quoddam summitati tabularum erectarum imponebantur: quibus rursus inducebatur tectum triplicarum, quorum supremum erat taxinum, imbris arcendis idoneum. Habebat autem tabernaculum in longitudine cubitos triginta, in latitudine decem. Id quod colligi potest ex mensura asserum. Diuidebaturq; in partes tres. Prima appellabatur Sanctum sanctorum, et Adytum ædis, uel oraculum templi. Secunda Sanctum, longum cubitos uiginti, ut illud decem. Tertia uocabatur Atrium, cuius longitudo erat centum, latitudo quinquaginta cubitorum. Inclusum hoc erat columnis quinquaginta tribus, defixis in æneas bases, & altis quinque cubitis, ex quibus dependebat tæpeta reticulari ac perspicua: in ingressu suspensum erat ad columnas quatuor uelum uiginti cubitorum. Sanctum sanctorum dirimebatur à Sancto per uelum pretiosissimum in quatuor columnis argenteis suspensum: sed et Sanctum ab Atrio claudebatur uelo secundo, & ipso pretioso, quod quinque auro obductis columnis sustentabatur. In medio autem stabat erecta domus interior, ipsum inquam tabernaculum, distinctum ut modo diximus in Sanctum sanctorum & sanctum. In Sanctum sanctorum non ingrediebatur, nisi semel in anno summus Pontifex. In ipso reposita erat Arca fœderis domini inter cherubim: cui alij ex auctoritate apostolica coniungunt thuribulum aureum. Sunt alij tamen qui per *θυμιατόριον* nō thuribulum sed altare suffitus intelligunt. Hi si non falluntur, apparet altare aureum eo tempore, quo illa scribebat apostolus, intra uelum iterisse in adyto. Cæterum constat ex cap. Exodi 40. ab initio altare aureum (sicuti mox subiiciam) collocatum iterisse in sancto ante uelum. Nec diuersum uideretur colligi posse ex 1. cap. Euangelij secundum Lucam. Porro arca fœderis non apparebat ulli mortali, nisi

nisi soli sacerdoti semel in anno incensum inferenti oraculo. Nam recondebatur Velo primo, uectibus, quibus ferebatur, nō nihil prominentibus in sancto, obscurius tamen, forte impulsu ueli, in quo uectium extrema quasi ubera uel tubera exprimebant, quæ quidem in ipso sancto propius stanti cernebantur, remotius non item. Nam 3. Reg. 8. cap. ita legis, Fecerunt quoque ut prominere uectes, ita ut uideremur capita uectium de sancto ante adytum, foris autem non uidebantur. Sanctum patebat quotidie sacerdotibus per uices sacra facientibus, seu ministrantibus. In ipso posita erat ante uelum Mensa aurea panibus propositionis instructa, in parte inquam australi: ex opposito autem in latere meridionali conspiciebatur Candela brum aureum. Caterum in medio intra utraq; illa ante uelum & arcam stabat Altare aureū thymiamatis appellatum, quod sacris consecratum esset suffimentis adolendis. In Atrio autem non ita procul à uelo secundo sancti apparebat Ara holocaustorum, ac inter aram & uelum collocatum erat solium siue labrum, è quo se abluebant sacerdotes, rem facturi sacram. Ad aram omni ex parte prospectare poterat populus, qui contemplandorum sacrorum gratia aduenerat. Huiusmodi uero fuit locus sacrorū ipsum populi Izraelitici templū. De quo copiosiora & pleniora leget, qui uolet, Exodi 26, 27, 36, 38, 40. &c.

Quæ autē hæcenus protulimus de Tabernaculi structura, usum *Significatio tabernaculi.* splendidum & significationem minime obscuram habent. Utile fuit in primis ad unitatem fidei catholicæ tum alendam tum retinendam. Vno enim hoc tabernaculo ceu uinculo firmissimo, primum deo & eius cultui, deinde ipsi inter sese, ueluti in unum corpus Izraelitæ constringebantur. Nam ad hoc tabernaculum totus populus colligebatur tanquam ad unam parochiam, sub unius dei cultum. Cumq; degerent in tabernaculis filij Izraelis, uoluit etiam sibi dominus extrui tabernaculum, & hoc in medio ipsorum collocari, ut uel ita testaretur se in medio ipsorum habitaturum. Tabernaculum ergo ueluti palatium dei ac regis supremi in medio populi stabat, præsentia diuinæ testimonium, & ut omnibus timorem reuerentiamq; incuteret præsentia numinis. Homines in tabernacula seu domos nostras recondimus res nostras, ac domi nostræ quærere uolumus. Reposuit ergo dominus in tabernaculo res sacras ueluti thesaurum suum, ac se in tabernaculo requiri uoluit, promittens ibi se exaudiurum preces & uota fidelium supplicum. Præterea reconduntur in his mysteria Ecclesiæ & Christi. Paulus enim appellat nos templum dei et corpora nostra tabernacula. In nobis enim uult

DE LEGIB. DEI CAEREMONIALIB.

habitare dominus. Tabulae tabernaculi sunt ueluti tigna, irabes & columnae ædis sacrae. Habet & ecclesia columnas, doctores & uiros alios heroico uel principali spiritu præditos: ac singuli quidem fideles tabulae sunt deauratae, si custodiant fidei sinceritatem, manentque in fidei unitate. Vestibus coniungebantur tabulae: doctrina enim solida in officio & concordia reuere oportet fideles. Cortinae quamuis multae essent, coniungebantur tamen aureis fibulis ceu in unam texturam: ergo & diuersa ecclesiae membra per charitatem colligi ac connecti oportet, ut sint unum inter se ac operimentum quoddam iustitiae in ecclesia. Tectum, ecclesiae fides est, poenitentiaque uel studium innocentiae. Basis est ipse Christus. Nam fundamentum aliud poni non potest, quam quod positum est, Christus Iesus. Porro uelum expansum ante sanctum sanctorum, significabat nondum manifestatam esse, ut inquit sacer apostolus Paulus, sanctorum uiam adhuc priore tabernaculo consistente. Ergo dum aduenisset Christus & morte sua impleser omnia, uelut quod tunc in templo pendeat, à summo imum usque scissum est, ut hinc omnes intelligerent uiam apertam esse in sancta sanctorum, in ipsum inquam caelum, & omnibus in lege satisfactum. Dependebant & alia in tabernaculo uela, nimirum purissimae carnis Christi umbracula. Dependebant illa in ingressu sancti & arrii. At uia & ostium est Christus dominus, per cuius incarnationem & mortem aditus nobis patet in regnum dei. Quid quod Christus ipse nostrum est tabernaculum, in quo habitamus & uiuimus, deumque colimus ac deo placemus: ipse cortina & integumentum, contignatio & ornamentum ecclesiae: ipse tectum firmissimum & tutissimum protegit nos contra omnes iniurias hominum & diaboli, ipse est uertus ecclesiae, membra connectens & in unitate fidei ac omnis boni conseruans, ipse est columna & basis suae ecclesiae, caput & uirtus, breuiter omnia uitae & salutis ueræ solus. In his ergo habuerunt ueteres potissima Christi & ecclesiae mysteria abscondita, quibus quidem Christus nunc non aliter proponitur contemplandus, quam olim ab ipso mundi exordio patribus est expositus, nempe uerus deus & homo, rex & pontifex summus & unicus, uerus mundi saluator, in quo solo fideles habent omnia salutis.

Porro Tabernaculum hoc iubente domino erectum est in Silo, quamprimum ingressi essent terram promissam, & floruit ad tempora usque Heli, sicuti clare legitur Iosue 18. & 1. Samuelis 1. & 3. cap. Sub Heli autem capta est Arca domini à Palestinis & abducta in urbes Palestinorum, mox tamen restituta, collocabatur in Bethsemes, inde

inde in Kiriathiearim, in domo Abinadab in gibeā, in excelso in
 quam, siue in colle. Nam domus eius erat extructa in ædificato loco. *Historia*
 Legimus enim 2. Samuelis 6. cap. Dauid abiit unā cum populo, ut *arca domi-*
 transferret ex Baale Iuda (dicitur autem Iosue 15. Baalam, alio nomi-
 ne appellatam Kiriathiearim) arcam domini. Et mox, Et tulerunt
 eam de domo Abinadab, quæ erat in gibeā, id est, in colle. Locus
 enim in urbe eminentior erat, in quo habitabat Abinadab. Alij Ga-
 baa putantes proprium esse urbis nomen, dixerunt arcam transla-
 tam à Palestina in Gabaa. Cæterum arca ex domo Abinadab, trans-
 lata est in domum Obededom, inde in ciuitatem Dauidis, hoc est, in
 Sion. Ita enim exponitur ciuitas Dauidis 3. Regum 8. cap. In Sion
 extruxit tetenditq; Dauid arcæ domini tabernaculum nouum, in
 quod arcam collocauit, constitutis ibi sacerdotibus qui ministrarent
 domino. Id quod clare describitur 1. Paralip. 6. cap. Interea Taber- *Historia*
 naculum constitutionis non neglexit Dauid. Hoc enim post tem- *Taberna-*
 pora Heli & captā arcam à Palestinis uarie translaturum uidetur. Silo- *culi domi-*
 certe, in qua primo collocata fuit, desolata est, quod Psal. 78. & Iere- *ni.*
 mix 7. cap. indicatur. Proinde regnante Saule erectum apparet in
 Gilgal, ubi is gratulatoria obtulisse sacrificia coram domino dicitur
 1. Samuelis 11. In eodem libro 21. cap. apparet Tabernaculum ali-
 quando stetit in Nobe (urbe non ita procul distita à Hierosoly-
 ma. Isaia 10. cap.) ubi ab Achimelech sacerdote Dauid donatur pa-
 nibus propositionis recentibus ex aurea mensa desumptis. Dauidis
 tempore ac regno erectum stetit in Gabaa Beniamitarum oppi-
 do. Sic enim legimus 1. Paralip. 21. Tabernaculum domini quod fe-
 cerat Moses in deserto, & altare holocausti, erant tunc (cum angelus
 stricto gladio Dauidi appareret) in colle uel excelso Gabaa. Eo lo-
 ci erat & Solomonis regno, & hoc excelsum petijt Solomon cum
 ante extructum templum supplicaret domino. In hæc enim uerba
 legimus scriptum 2. Paralip. 1. cap. Abierunt Solomon & omnis
 cæterus cum eo in excelsum quod erat in Gabaa. Nam illic erat ten-
 torium constitutionis dei, quod fecerat Moses seruus domini in de-
 serto. Cæterum arcam dei adduxerat Dauid de Kiriathiearim, ad lo-
 cum quem ei parauerat Dauid. Nam ei tetenderat tabernaculum
 Hierosolymis. Porro altare æneum, quod fecerat Bezaleel filius V-
 ri, erat ibi ante tabernaculum domini, quod quæsiuit Solomon &
 cæterus. Ergo cum legimus 3. Regum 3. cap. Solomon dilexit domi-
 num, ambulans in institutis Dauid patris sui, duntaxat in excelsis
 sacrificabat & adolebat: non in uituperium quidem, sed in laudem
 Solomonis profertur, nempe quod non promiscue in locis omni-

DE LEGIB. DEI CAEREMONIALIB.

bus sacrificarit, sed in excelsis, nimirum in unica illa ara consecrata & destinata à domino, cuius iam iam mentionem fecimus. Alijs uisum est Solomonem istis uerbis non simpliciter taxatum, quod sacrificasset in ara holocausti (id enim maxime licebat) sed quod hætenus distulisset templi ædificium. Verum consequentia & præcedentia sensum priorem admodum adiuuant. Idem ille Solomon extructo templo, & arcam illam ueterem & tabernaculi omnia, tanquam thesaurum aliquem, ex Gabaon in ipsum templum, ab ipso extructū, per sacerdotes, in ferri & reponi curauit. Sic attestante scriptura sacra, & dicente, Et adduxerunt arcam domini & tentorium constitutionis, & omnia uasa sacra quæ erant in tentorio: adduxerunt, inquam, illa in templum sacerdotes & Leuitæ. Hæc leguntur 3. Regū 8. & 2. Paralip. 5. cap. Ita uero tabernaculum domini, quod stetit annis 478. abrogatum quidem, templum uero in eius locum est repositum.

*De templo
Solomonis.*

Templum porro domini paratum quidem à Dauide, sed extructum à Solomone, non est quod pluribus describam, quod id in 3. libro Regū. & in 2. lib. Paralip. operose & graphice depictum exhibetur. Locus templi indicatus refertur Dauidi ab ipso dei angelis 2. Paralip. 21. ac ipsum Dauidem primum ibi sacrificasse, his in super uerbis additis, Hæc est domus domini dei, & hæc ara ad holocaustū Israelis. Quasi dixerit, Hæc area templo designata est, in hac ædificabitur domus dei, imò in hac immolabitur unica illa & æternum efficax hostia, ipse incarnatus dei filius. Consentiant enim omnes sacerorum interpretes, hunc locum Hierosolymis fuisse in monte Moria, ubi quondam Abraham filium suum Isaac immolare uoluit: & in hunc quidem locum fatalem impostum esse templum: nec procul hinc adeoq; in eodem montis iugo esse montem Golgotha, siue Caluarie: illum inquam locum & montem sacerrimum, in quo sacra euangelia commemorant Christum esse immolatum pro peccatis totius mundi, quem sacrificia & templi & ueterum omnia præfigurauerunt. Vfus & finis templi non fuit alius quam Tabernaculi.

*Peccatum
sacrifican-
tium in ex-
celsis.*

Grauiissime ergo peccarunt cum Ieroboam reges Israelis, qui deserto templo sacrificarunt Deo in excelsis, in suis cathedralibus ecclesijs, nēpe in Bethel, & in Dan, deniq; in alijs locis ædijs & amœnis. Grauiissime peccauit cum regibus suis populus Iuda, qui uel in excelsis immolauit deo, uel non in uniuersum excelsa excidit Dominus enim uno in loco, quem ipse designarat, coli uoluit. Extat ægerata lex Deut. 12. & textitur significantissime Leuit. 17. cap. in hæc uerba, Quicūq; è domo Israel maclauerit bouē, aut ouem, aut capram
in ca

in castris aut extra castra (uidelicet in sacrificium domini. Alioqui enim licebat mactare extra sacrificium quouis in loco) & ad ostium tentorii constitutionis non adduxerit, ut sacrificet sacrificium domino ante tabernaculum domini, sanguis imputabitur illi uiro ac si fuisset sanguinem. Proinde quando filij Izrael uolunt sacrificare, adducant sacrificia ad dominum ante ostium tentorii constitutionis ad sacerdotem ut is offerat. Nec ultra sacrificent sacrificia sua satyris uel deamonibus, post quos scortati sunt. Ritus hic erit perpetuus eis & posteris. Qui autem hoc non fecerit, is excindatur de populis suis. Tria in his ueniunt obseruanda. Primum, quod non licebat sacrificare nisi ante aram holocaustorum uno in loco. Secundum, quod ideo hoc præcipiebatur ut omnes intelligerent sacrificium deo fieri, cuius erat tabernaculum. Tertium, quod extra hunc locum offerre, *Isaia 66.* contra præceptum dei, erat diabolo immolare: quod iudicandus ut homicida: & quod excommunicatus erat ab ipso domino deo, exclusus utiq; ex consortio dei & sanctorum. Quod uero Samuel, Heltas & nonnulli alij alibi sacrificarunt deo concedente, ob certas causas dispensationis erat. Proinde qui in excelsis, etiam deo ipsi, non tantum alienis dijs immolarunt, peccauerunt primo in obedientia. Improbat deus, imò execratur cultum quem ipsi nobis extra uerbum eius constringentes instituiimus: placet ei fidelis obedientia: deinde quod unitatem corporis ecclesiastici dilacerauerunt: hinc quod mysterium Christi olim in monte Golgotha offerendi ueluti asperrantes, conculcarunt, & non omnia sua ad Christum tanquam ad unicum scopum sacrorum retulerunt: præterea quod suis sacrificijs tanquam operibus operatis consili sunt, & quod neglecto dei cultu ipsi sibi cultum peculiarem confinxerunt. Stetit Templum à prima sui fundatione Solomonis ad excidium primum, sub Zedechia rege annis 440. Reparatum uero ad secundum excidium sub Vespasiano stetit annis 582. Alij aliam supputationem ineunt. Hæc pauca ex multis de Templo hætenus.

Restat ut nonnihil porro attingamus instrumenta Tabernaculi aut Templi sacra, ipsaq; ueluti per iransennam inspiciamus. Primas in his tenet Arca fœderis, à Tabulis fœderis in ea collocatis sic dicta. Appellabatur etiam Arca domini dei exercituum, habitantis super ipsam, inter cherubim, adeoq; ipse dominus exercituum nuncupabatur sedens inter cherubim, eo quod inde æderet responsa, & illam reposuisset in medio populi signum suæ præsentis inter ipsos. De materia & forma Arcæ hic nihil dicam. Hæc enim suis coloribus

DE LEGIB. DEI CAEREMONIALIB.

Significatio & mysterium arcae.

Quae recitata in Arca faderis.

*1. Ioan. 2.
Rom. 3.*

uiuide exhibentur depicta Exodi 25. cap. De significatione, mysterio & usu arcae dicam pauca. Homines in arcas aut cistas nostras reponimus nostros thesauros. Proinde intelligimus in Arca repositum esse thesaurum ecclesiae, adeoq; uniuersa fidelium bona. Non ergo quaerenda haec erunt in hominibus, in Noë, Abraham, Isaac, Iacob, Mose, Dauide, S. Maria, Ioanne, Petro aut Paulo, multo minus in cista Chananaica ac Romanensi indulgentiaria, sed in eo, in quo habitat omnis plenitudo, & in quo sunt omnes thesauri sapientiae & scientiae dei reconditi, qui non in terris spectatur, sed in ipso sancto sanctorum, in ipso inquam caelo uersatur. Is est Iesus Christus: cuius diuinitas significatur per aurum purissimum, humanitas autem per lignum sitim, id est cedri, uel potius spinæ albæ. Assumpsit enim carnem peccatrici similem, ueram quidem illam nostram, sed non peccatricem: nulla in eo peccati spina existente. Ex hac arca depromunt pijs quæcunq; ipsis bona sunt necessaria. In Arca enim reposita leguntur hæc, Tabulæ testimonij, Vrna mannae, & Virga Aaronis florens. Nam in Christo repositos audiuius thesauros ecclesiae. Christus est sapientia nostra, lex & uerbum patris, legis consummatio, impletio, iustus, & iustitia nostra. In Christo est alimentum caeleste. Ipse enim panis de caelo descendit uiuus, ut quicumq; de ipso edat, uiuat æternum. In Christo refluuit sacerdotium. Visum quidem illud mortuo Christo in cruce excisum esse, sed resurgens accepit sacerdotium æternum. Nunc enim consistens ad dexteram patris in caelo, intercedit pro nobis. Sed & corona circumdabatur arca, quia Christus dominus rex est, qui nos fideles suos liberat ab omni malo, et filios dei efficit. Ad Arcam legitur applicitum uel impositum Propitiatorium, siue illud operculum arcae, siue sedes quaedam fuerit arcae superimposita. Significabatur illo, interpretibus apostolis Ioanne & Paulo, Christus, qui est thronus gratiae, & propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed pro peccatis totius mundi. Ex propitiatorio item debebantur oracula. Vfus enim propitiatorii ostenditur in historia sacra. Nam Moses tabernaculum ingressus, accepit responsa, eaq; retulit ad populum. Et Christus is est, per quem loquitur nobis pater caelestis, & quem nobis unice audiendum proposuit, dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo placata est anima mea: ipsum audite. In propitiatorium duo Cherubim aspiciunt, & se mutuo quoque contemplantur. Vnde nimis sumus. Petrus dixit, etiam angelos desiderare in ipsum saluatorem mundi.

mundi, qui per euangelium annunciat, prospicere. Idem angeli, ipsi domino nostro seruiunt, semperq; ei, ut domino uniuersorum, assistunt. Porro Arcam domini nulli portant nisi sacerdotes domini. Nam soli inuncti per spiritum sanctum & uera fide prædium Christum recipiunt, & donorum eius participes fiunt. Nec dissimulandum quod 1. Sam. 4. & 5. cap. traditur Izraelitas dum Arca abuterentur, iamq; in alium usum, quam data erat, raperent, & plus ei tribuerent quam tribuere docuit scriptura, cecidisse uictos à Palestinis, sed & arcam esse in captiuitatem abductam: nimirum ut discerent omnes Sacramentis aut mysterijs dei non plus tribuere, quam conuenit, neq; in alium finem usurpare aut applicare quam instituit dominus. Nō enim in hoc erat instituta, ut haberetur pro deo, licet nomen dei gereret, non ut gratiam & auxilium ab ipsa peteret, sicut fecisse leguntur, sed ut esset testimonium, deum utpote confederatum adesse medium in populo, si modo hic seruaret tabulas fœderis arcæ inclusas, soliq; deo adhæreret, à quo omne bonum expectaret per Christum, qui per arcam præfigurabatur.

*Abusus
usus arcæ
uerus.*

Egredientibus ex adyto uel sancto sanctorum in sanctum, primum occurrit Mensa aurea, quæ quali fuerit forma & materia exponitur Exodi 25. cap. Mensæ imponitur cibus & alimentum hominis, ex mensa reficiuntur homines, in mensa curas deponunt & fiunt hilares. Ergo non alia esse potest mensa, quam Christus dominus & doctrina Christiana. Christus enim est alimentum uitale, gaudium & exultatio hominum fidelium. Aurea est foris, lignea intus tota, quia cibus noster deus est & homo. Proponitur mensa in ecclesia: non ergo quærenda est Athenis aut apud Sophistas, aut apud gymmosophistas, aut in synagoga. Mensæ imponuntur panes recentes duodecim, diuisi in partes duas. Nam panis uitæ alit utrunq; populum Iudæorum & Gentium, & recens quidem suauis & exaturans. Iam etiam panis hic sanctus est, non prophanus, quo soli uescuntur sacerdotes. Quia soli fideles eo digni sunt, soliq; eo participant. Panes autem appellantur propositionis siue facierum, eo quod hunc uitalem cibum oporteat nobis uersari ob oculos. Et ut perpetuo oportet panes hos expositos esse coram domino in conspectu hominum: ita nō decet abditam & reclusam esse doctrinam Christianam. Vasculum thuris imponebatur panibus. Quoniam isti qui uescuntur pane cœlesti, preces & gratiarum actiones sine intermissione deo offerunt. Leuit. 24. multis describitur, quomodo panes facierum parentur.

*Mensa
aurea.*

*Panes pro
positionis.*

DE LEGIB. DEI CAEREMONIALIB.

Candelabrum aureum.

Candelabrum aureum in sancto ex latere seu opposito mensae ante uelum apparet. Descriptionem eius habemus Exodi 25. cap. Lucernae in domibus nostris ponuntur ut luceant omnibus in domo uersantibus. Et Christus dominus datus est mundo lux, ut qui eum sequutus fuerit, in seipso habeat lumen uitae. Illuminat ecclesiam Christus, Ex Christo candelabra & luminaria prodeunt, quae ex ipso lumen habent. Dominus ad apostolos dixit, Vos estis lux mundi. Stipes ergo candelabri Christus est: ex stipite prodeunt candelabra in suprema parte habentes lumina. Quicquid enim luminis est in ministris ecclesiae, id totum est ex fonte luminis Christo. Porro aurea sunt candelabri omnia. Christus enim deus lux & sapientia patris est: ministros quoque Christi decet esse synceros & repurgatos ab affectibus carnis: quo & mysterium pertinet emunctoriorum.

Ara thymiamatis.

In medio inter mensam & candelabrum stabat ante uelum in sancto aurea ara, quae thymiamatis appellatur, uel incensi, ac diligenter describitur Exodi 30. cap. Usus arae huius erat duplex. Principio enim quotidie offerebatur in ipsa incensum siue suffimentum: quod nephas erat ulli creaturae aut deo apparare uel offerre. Id fiebat bis in die, mane & uesperis. In hoc ministerio dum esset Zacharias pater diui Baptistae, uiso angelo, propter incredulitatem obmutuit ad certum tempus. Deinde semel in anno offerebatur singulari quodam modo incensum, nempe in festo Expiationis, sicuti describitur Leuit. 16. cap. Per incensum uero thymiamata uel suffimenta intelligendae sunt sanctorum preces, teste Dauide, dicente, Dirigatur oratio mea tanquam incensum, in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium uesperinum. Erat autem altare illud unicum planè. Si quis plura construxisset, extremae fuisset damnatus impietatis. Per aram illam unicam figuratur Christus dominus deus & homo, mediator & intercessor inter deum & hominem, per quem sancti omnes uniuersas suas preces domino deo patri offerunt. Proinde plures sibi exciunt aras qui sibi deligunt creaturas pro intercessoribus, per quorum interuentum aliquid à deo patre impetrent. Diserte profecto dicitur in fine 30. cap. Quicumque tale sibi fecerit incensum ut id olfaciat, peribit anima eius. Per Christum ergo solum omnes preces suas deo patri offerit fidelis dei ecclesia. Ara illa nostra aurea corona est redimita. Nam Christus dominus noster uerus est rex & pontifex. Orandum autem est mane & uesperis, id est perpetuo & iugiter. Orandum semper per Christum. Quid quod unus est Christus, per quem deo placuerunt preces & eorum qui mane, ab initio inquam mundi, & qui uesperis, id est in fine mundi deo supplicant.

pliant. Grauiſſime ergo peccarunt contra dominum, qui incenſa In excelsis
obruerunt paſſim in excelsis. Nam ut deo inobedientes imò rebel- adolere.
les apparuerunt, deniq; ſuas inuentiones dei legibus prætulērunt,
adeoq; dei leges neglexerūt, ita myſterium unici interceſſoris Chri-
ſti ſpreuerunt, dum ab unica illa ara receſſerunt.

In Atrio altera ſtabat Ara, quæ dicebatur ænea & holocauſtorū: Ara holo-
quæ depingitur graphice Exodi 27. cap. quæ & ipſa unica & ſola cauſtorū.
erat. Non enim licebat alibi, niſi per ſingularem quandam diſpens-
ſationem, quàm in loco ſancto ad hanc aram ſacrificare cuiquam
religioſo. Proinde cum Rubenitæ unā cum ſuis ſocijs extruxiſſent
aram in ripa Iordanis, idq; delatum eſſet fama ad alias tribus Iſrae-
lis, decernunt hę publico bello id ſcleris eſſe perſequendum. Vnde
rurſus æſtimare licet peccatum eorum qui offerebant, hac præterita
ara, in excelsis. De quo ſupra quoq; dictum eſt. Altare uero noſtrum
unicum illud & catholicum Chriſtus eſt: qui ſeiſpſum obtulit hoſtiā
uiuentem deo. Nec eſt ullum in toto mundo ſacrificium, quod pec-
cata expiet niſi hoc unicum. Nec placent deo patri fidelium ſacriſti-
cia, niſi in ara Chriſto oblata per fidem. Sanctificat enim nos Chri-
ſtus, ſanctificati per ipſum offerimus deo gratam hoſtiā. Hęc
ſumpta ſunt ex apoſtoli doctrina ad Hebræos decimoteruo, & ad
Romanos duodecimo cap.

Vltimum uero inter uafa ſacra ſolium ſiue labrum æneum erat, Labrum
collocatum inter uelum ſancti & aram holocauſtorū in atrio. De-
ſcribitur Exodi cap. 30. Conuinebat aquam qua ſe abluebant ſacer-
dotes miniſtraturi coram domino. Significabatur & hoc Chriſtus,
qui eſt abluio fidelium. Significabatur item non illotis manibus
& pedibus ſacra eſſe tractanda. Abluunt ſeſe qui per ſpiritu ſanctū
purificantur, & per gratiam dei idonei efficiuntur ad obeunda ſa-
era munia. Morti autem obnoxius eſt, qui non fuerit particeps gra-
tiæ uitalis. Commemorantur præter illa & alia inſtrumenta Ta-
bernaculi ſacra; ſed illa ſerè potiſſima ſunt. Nolui uel ſingula ope-
roſius excutere, uel minutias perſequi, ne moleſtiam adferrem chæ-
ritati ueſtræ nimis proluxa tractatione. Porro eadem in templo fue-
runt uafa ſiue inſtrumenta ſacra quæ reperiebantur in Tabernacu-
lo, niſi quod in Templo Solomonis maior apparatus & ſplendor
in omnibus conſpicitur. non alia de cauſſa haud dubie, quàm quod
myſteria Chriſti & eccleſiæ ſubinde magis ac magis, illuſtrius in-
quam, ſeſe proferrent. Chriſtus uerus Solomon rex pacis & felicita-
tis, ipſa inquam æterna felicitas, eccleſiam in hoc mundo exciuit,
quæ ſinibus mundi terminatur. De quo multis agunt prophætæ,

DE LEGIB. DEI CAEREMONIALIB.

Zacharias in primis, & clarissimus prophetarum Nathan 2. Samuelis cap. 7. Hæc de Loco sancto.

*Tempus
sacrum.*

Post Locum sacrum in sacris cæremonijs sacrum Tempus occurrit tractandum. Ut enim religioni externæ locus certus est datus, ita eidem tempus fixum est designatum. Et feriæ quidem sacræ referuntur ad actiones sacras. Actiones autem aliæ sunt manuaræ & quasi prophanæ, pro uictu & amictu necessarijsq; uitæ parandis inuentæ. Aliæ sunt sacræ adeoq; religiosæ, pro exercitio religionis externæ susceptæ. Non insumendum est omne tempus labori manuum: nec rursus omne tempus externæ religioni potest impendi. At actiones illæ nõ sunt sine tempore. Omnis enim actio tempore continetur. Proinde distinxit deus ipsum tempus ad actiones, ita ut uoluerit alios quidem dies prophanos manuarijs artibus, alios autem sacros exercitio religionis externæ inseruire. Non quod prophani dies, in quibus laboratur manibus, non sint sancti & dicati deo. Hic enim omne tempus & singulos sibi uendicat dies, quippe qui omni tempore coli postulat: sed quod feriæ singulariter & magis quàm dies prophani externo dei cultui sunt destinatæ.

*Quid Pe-
sus dies?*

Est ergo festus seu sanctus dies, qui ex institutione dei sacer est domino, susceptus ad cultum dei externum religiose exercendum. Ideo sancti dies & legitimæ feriæ non sunt, quæ non uni & soli deo Iehouah celebrantur: neq; legitimæ sunt, in quibus non exercetur legitimus dei cultus. Eas ob causas non raro in prophetis reijciuntur sabbata seu feriæ populi Izraelitici: nimirum quod sine fide ac illegitime celebrarentur.

*Ad quid in
stituti dies
festi.*

Omnes autem dies festi commune habuerunt uocabulum, appellati sabbata, item festa, feriæ, dies stati & sancti, panegyres & cætus. Omnibus commune erat festis, quod deo soli erant instituta, non creaturis, non uentri, aut Veneri. Commune erat omnibus, quod in salutem utilitatem & recreationem hominum erant inuenta. Feriæ enim non sunt onus, sed oneris leuamen. Sunt quidem utilia opera prophana, sed otium quoque necessarium est: sine quo labor non est durabilis. Vult ergo dominus concedere homini recreationem, adeoq; iubet in diebus festis suos lætari, lætari autem in sanctitate & modestia, ut sit honesta recreatio nõ probrosa libido. Rursus otium per se bonum non est, sed respectu alterius bonum est. Iubet deus cessare à laboribus, sed in hoc, ut interim aliud agant homines, ut desinant laborare corpore, animo laborare incipiant, tuncq; sacris inuigilare. Opus itaq; hic erit cætu sacro, lectione sacra, precibus publicis, sacrificijs, (etenim quod singulis ferijs offerre oporteat

præ

præscriptum legitur Numeri 28. & 29. cap. sacramentorum celebra-
 tione, & si quid aliud est quod in ferijs facere iussit dominus. Vnum
 enim illud hic requiritur in primis, id uidelicet, quod Maria inuenit
 desidens ad pedes Iesu, & audiens uerbum ipsius, Habent & illud
 commune festa omnia, quod maximarum rerum continent & refri-
 cant memorias: quanquam singula singulas suppeditent. *Sabbatū.*
 tum suggerere beneficium conditi orbis à deo, in gratiam & uti-
 litatem hominum. Præterea signum erat, Mose teste Exodi 31, sancti-
 ficationis ueræ, quam suis cultoribus confert solus deus sanctus.
 Alia festa alia dei beneficia reuocabant in memoriam suasque pecu-
 liares (ut suo loco dicitur) habebant significaciones.

Porrò modus erat & numerus feriarum certus, ac distinctæ qui *Modus et*
 dem habebantur: primum in septimanas, quarum singulae habebant *numerus*
 sabbatarum, diem inquam septimam: deinde in menses. Nam prima *certus in*
 cuiusque mensis consecrata erat domino, eas ferias appellarunt Neo *Ferijs.*
 menias siue Nouilunia, uel Calendas: & postremo in annuas fe-
 rias, & erant anniuersaria & stata festa: quorum tria commemoran-
 tur, Pæsa, Pentecoste & Septimi mensis. Præter hæc fuerunt & Con-
 ceptiuæ ferie, nimirum non præceptæ à deo, sed receptæ ab ecclesia
 ad gloriam dei, & ad retinendam maximorum beneficiorum dei
 memoriam. Festum enim fortium quod appellarunt Purim, à tota
 receptum fuit ecclesia, ex relatione Mardochei: sicut uidere est Esther
 9. cap. Festum Enceniorum instituit Iudas Machabæus cum totius
 ecclesie consensu, in memoriam reparati templi liberationisque ex
 tyrannide Antiochi regis, sicut legitur 1. Machab. 4. cap. Et Chri-
 stus dominus honestat Encenia illa sermonibus sacris. Fuerunt in *Ieiunia.*
 populo dei etiam instituta Ieiunia, ut quinto mense, quo inflamma-
 ta est urbs: & septimo mense, quo cæsus est Godolias: & decimo men-
 se, quo cincta fuit obsidione urbs. De quibus Zacharias disseruit ca-
 pite 7. & 8. Iam institutum fuit tempore Esther Ieiunium in mense
 Adar, in memoriam calamitatis Iudæorum, illarum autem intentarum ab
 Amano.

De Sabbato & eius significacione dixi modo ac quondam dum *Sabbatū.*
 exponerem Decalogum. Id obseruatum est quasi naturali & diuina
 lege à condito orbe. Est autem caput feriarum omnium. Neque enim
 institutum est primum per Mosen, exhibito cœlitus Decalogo. Nam
 religio sabbati fuit recepta à sanctis mox à mundo condito. Ideoque in
 Decalogo legimus dixisse dominum, Memento ut diem sabbati san-
 ctifices. Sed & ante legem latam manifeste fit sabbati mentio. Exo-
 di 16. & Genesis 2. cap.

DE LEGIB. DEI CÆREMONIALIB.

*Neome-
nia.*

Secundum genus sabbati siue feriarum sunt Calendæ uel Neomeniæ, id est, nouilunia: ea celebrabantur in capite singulorū mensium. Eius mentio fit Numeri 10. & 28. 1. Samuelis 20. Psal. 81. Ezech. 4. 6. & 2. Paralip. 2. Dicitur ea celebritas in memoriam creatæ lucis esse instituta, admonuisse cultores, ne menses uel Iano uel Marti, aut alij alicui diuo uel planetæ, sed uni soli deo conditori omnium & temporum gubernatori seu moderatori subijcerent. Præterea significationem habuit reparationis uel renouationis animi fidelis, per illuminationem cœlestem: ut Nouilunium Christiani uere celebremus, cum ex tenebris in lucem à filio dei producti ambulamus ut decet filios lucis, omnibus tenebrarum operibus reiectis.

*Conuentus
& celebri-
tates an-
nuæ tres.*

Tertium feriarum genus comprehendit festa anniuersaria, quorum tria numerantur Pascha, Pentecoste, & Festum mensis septimi. Cæterum uoluit dominus in hisce tribus festis in loco sancto, nempe ad Tabernaculum, & hoc translato ad Templum generales celebrari synodos ac panegyres. Sic enim ait Moses in Deuteronomio, Ter in anno apparebit omnis mas coram domino deo tuo, in loco, quem elegerit, nempe in festo azymorum, in festo hebdomadam, & in festo tabernaculorum: nec apparebit in conspectu domini uacuus. Quisq; iuxta donum manus suæ, & iuxta benedictionem domini dei tui, quod dedit tibi: id est, Quisq; quod potest & pro modo facultatum suarum quas concesserit dominus, domino offeret. Distribuit autem ferias illas statas siue solennes in tres menses, peregrinationi seu profectiōni conuenientes. Verno tempore celebrabatur pascha, cum iam aristæ seu spicæ erupissent. Circa messem, festū peragebant Pentecostes, ruris laboribus operibusue primis confectis. Porro collectis fructibus omnibus, proficiscebantur ad Festum tabernaculorum. Et proficiscebantur quidem qui uenire poterant. Putant quidam cum ijs dispensatum esse, qui semel in anno apparuissent coram domino, ita ut duobus alijs festis domi manere licuerit. Ego uero arbitror homines religiosos raro huiusmodi usos esse dispensationibus. Pollicetur alicubi dominus se interea limites & facultates peregrinantium defensurum atq; custodiurum. Certe ex historijs constat hisce diebus festis conciones fuisse longae frequentissimas.

Pascha.

Pascha multas habuit appellationes, præcipue tamen dictū est festum azymorum. Toris enim diebus septem infermetaris uescebantur panibus. Cæremonia eius festi cum sacrificijs offerendis fuisse describitur Exodi 12. & Leuit. 23. Exhibebatur in eo Epulum agni, nec alibi quàm uel apud tabernaculū uel templum. Lex extat Deut. 16.

Memo

Memoriã memorabilis illius ex Aegypto liberationis populi Israe-
litici Izraelitis & omnibus pijs refreſcibat. Voluit ſibi in eo feſto pri-
mas offerri fruges, ut ita beneficium mannae exhibitae repararet. Ha-
buit præterea feſtum illud ſignificationem tranſitus & liberationis,
quæ eſuſo ſanguine, perfecta eſt per Chriſtum. Vnde apoſtolus di-
xit, Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. 1. Cor. 5. Verum de Pa-
ſcha dicam plura conſequenti mox ſermone.

Pentecoſte dicebatur etiam feſtum hebdomadam, ſiue ſeptimana *Pentecoſte.*
rum, & nouarum frugum. Proponebantur enim eo feſto panes pro-
poſitionum ex nouis conſecti frugibus. Numerabant autem à pro-
xima poſt paſcha die ſeptimanas ſeptem, dies inquam quinquagin-
ta, ac celebrabant die quinquageſima memoriã reuelatae ac pro-
mulgatae cœlitus ab ipſo deo diuinæ legis. Nam quinquageſima
die exitus ex Aegypto legimus deum ipſum in monte Sinai fuiſſe
concionatum, tuliffeq; ac promulgaffe legem. Erat itaq; Pentecoſte
memoraculũ illustratæ eccleſiæ. Erat item tyꝑus eius diei, quo Chri-
ſtus dominus finis legis ſpiritum ſanctum miſit in diſcipulos, uni-
uerſamq; illuminauit eccleſiam. Cæremonias huius feſti deſcribit
Moſes Leuit. 23.

Feſtum tabernaculorum peragebant menſe ſeptimo, ita præcipi- *Feſtũ men-*
ente in Deuteronomio Moſe, Cum collegeris de area tua, & de tor- *ſis 7. ſeu*
culari tuo, celebrabis 7. diebus feſtum tabernaculorũ: lætaberisq; in *Taberna-*
die feſto tuo: tu & filius tuus & filia tua, ſeruus tuus atq; ancilla tua: *culorum.*
Leuita, peregrinus, pupillus, atq; uidua, qui ſunt intra portas tuas.
Septem diebus ages feſtum diem domino deo tuo, in loco quem ele-
gerit dominus: quoniaſ felicem rerum ſucceſſum dedit tibi domi-
nus deus tuus in cunctis prouentibus tuis, et in omni opere manũ
tuarum. Omnino igitur ſis lætus. Ad hæc extat formula celebra-
tione huius feſti legitime in Nehemia cap. 8. unde plura peti poſſunt. Fuit
autem feſtum hoc Tabernaculorum ſiue menſis ſeptimi quadripar-
tium. Nam primo die menſis fuit feſtum Tubarum ſiue clangoris: *Feſtum tu-*
id quod grauiã illa bella reuocabat in memoriã, quæ populus deo *barum.*
auſpice ac duce geſſerat feliciffime, primo quidem contra Amalechi-
tas, deinde uero contra omnes hoſtes ethnicoſ. Significabatur item
uitam hominis ſuper terram eſſe militiam perpetuã. Decima die *Feſtum ex-*
eiufdem menſis peragebatur feſtum expiationis. Præibat formula *piationis.*
ſollenni ſacerdos, peccata deo conſitens, conſitentẽq; publice quiſq;
& plebe ſequebatur, & priuatim apud ſe recitabat: mente colloquens
cum domino. Addebatur hircus emiſſarius, & ſacrificiũ illud, quod
uſe deſcribitur Leuit. 16. cap. Ita uero peccatorũ fiebat expiatio: quæ

DE LEGIB. DEI CAEREMONIALIB.

typus erat futuræ per Christum expiationis, qui semel oblatus, unica hostia sui corporis, omnia abstulit peccata totius mundi. Continebat præterea doctrinã de pœnitentiã uera. Die decimaquinta incipiebat festum tabernaculorũ. Septẽ enim integris diebus, nempe à 15. ad 22. degebat populus in tabernaculis. Finis huius cæremoniæ indicatur ab ipsa scriptura, ut posteri scirent dominum maiores ipso- rum collocasse in tabernaculis. Repetebatur ergo memoria benefici- ej in deserto exhibiti. Seruati enim sunt in deserto per annos 40. integros, ut nec uictus nec amictus defuerit. Significabatur & illud, hanc huius sæculi uitam esse scenam, neq; nos hic habere manentẽ locum, sed futurum inquirere; sicuti & apostolus docuit 2. Cor. 5. & ad Hebræos 13. cap. Quartum huius septimi mensis festum cele- brabatur in octaua, nempe 22. appellabaturq; Concio siue Cœtus. In eo congregabatur census, oblatio & uetigal sacrum, ad sarta tes- taq; templi, ad sumptus sacrificiorum sustinendos, deniq; ad confer- uationem ministerij. In hoc festo arbitrantur cantatum Psalmũ 84. Quam dilecta tabernacula tua, &c. & alios nonnullos Torculares appellatos. Hæc hæctenus de festis anniuersarijs.

*Concio &
celebritas
magna.*

*Annus Iu-
bileus.*

Hic commemorare necesse est & Iubilei institutionem. Erat au- tem annus iubileus quinquagesimus quinq; qui multis describitur cum suis cæremonijs, Leuitici 25. Indicebatur toti populo in terra promissa per cornu arietinum, proclamabaturq; libertas omnibus seruituti implicitis. In eo non obscure cõtinebatur mysterium Chri- sti domini, qui ipse nobis huius cæremoniæ significationem aperuit ex Isaia 61. cap. apud Lucam in cap. 4. ubi dicit se esse illum qui re- uera iubileum aperiat, & ueram denunciet libertatem, ipsum in qua annum domini acceptum. Annunciauit autem remissionẽ & liber- tatem omnibus fidelibus, non tuba quidem arietina, sed euangeli- ca. Nam per misericordiam dei in merito Iesu Christi filij dei, remit- tuntur credentibus per uniuersam terram agentibus, omnia debita siue peccata: ea tamẽ conditione, ut nos quibus iam dimissa sunt de- bita, illis uicissim debita remittamus qui nobis debent, id est con- tra nos peccauerunt. Ac in Christo quidem habemus uacationẽ & requiem ueram & sempiternã. Per Christum conceditur nobis redi- tus ad possessionem, uel patriam, unde excideramus, ueterem nimirum, ad terram uiuentium.

Hæc de tẽpore sacro & ferijs quanta potuimus breuitate disserui- mus. Copiosiora inuenire licet de his Exodi 23. Leuit. 23. Num. 28. & 29. & Deut. 16. cap. Reliqua huius argumenti, nempe de Cære- monijs Iudaicis, absoluemus, deo uolente, mox sequenti contione: De-

De Sacramentis Iudæorum, de Sacrificiorum generibus uarijs,
 & alijs quibusdam pertinentibus sub legem Cæremoniarum.
 SERMO VI.



DIXI sermone proximo de Personis sacris, ministris inquam diuini cultus, sacerdotibus Leuiticis, item de loco & tempore sacro: restat iam ipsa res cõsideranda, quam personæ illæ sacræ, in loco & tempore sacro, exercebãt, ipse inquam cultus & ritus sacer, ab ipso domino sic institutus traditus & præscriptus, ut omnes intellexerint quid cultus deo, id est qualem cultum ei exhibeãt, Veniunt autem hic consideranda in primis sacramenta, deinde sacrificia.

Sacramenta ueteri ecclesiæ sanctorum fuerunt duo præcipua, Circuncisio & Pascha. De singulis sigillatim dicemus, quod loqui desiderit ex suo uerbo dominus.

Duo Sacramenta synagoga.

Erat autem Circuncisio actio sacra, qua resecabatur præputium in obfignationem diuini cum hominibus fæderis. Vel ut copiosius describamus, Circuncisio erat signum æterni fæderis dei, quod dabatur in membro genitali, in hoc instituta diuinitus, ut testaretur bonam dei erga circuncisos uoluntatem, moneretq; regenerationis & puritatis, adeoq; & confæderatos dei separaret ab alijs populis seu gentibus.

De Circuncisione quid sit.

Author ergo Circuncisionis deus est: origo uetustissima. Etenim ipse in euangelio dominus, Non ex Mose, inquit, est Circuncisio, sed ex patribus. Repetijt quidem & reparauit Circuncisionis legem seu morem Moses, sed primus circuncisus est eximius ille dei amicus Abraham cum annum uirg ageret nonagesimumnonum, ac eo ipso die est circuncisus, quo dominus fædere cum Abraham inito circuncisionem instituisset. Nam hanc adiecit ceu sigillum fæderis, quod pepigerat cum Abraham & semine eius in sæculum. Locusetat Gene. 17. Annus is erat ab origine rerum 2046, à diluuiio autem 390. cum Sem filius Noe natus esset annos 487. Ergo Moses post institutam circuncisionem, nimirum post annos 320, demum natus deprehenditur: unde apparet paucis usurpasse Circuncisionem ante legem latam annis circiter 400.

De Fædere dei et hominum.

Quoniam uero Circuncisio addita est fæderi isto inter deum & Abrahamum signum uel sigillum, paucis & in transcurso perstringendenda est nobis eius fæderis ratio. Imitatur deus in pangendis fæderibus, ut & in alijs rebus, morem seu ritum hominum. Hi fæderibus ceu uinculis arctissimis firmissimisq; sese cõstringunt in unius

DE LEGIB. DEI CÆREMONIALIB.

corporis aut populi societatem atq; compagem, qua ut ip[s]is bene sit
 tutiq; contra omnium iniurias agant, mutuo sibi communicant ui-
 tam ipsam simul & fortunas omnes. Atq; in his diserte exprimitur
 qui coaluerint fœdere, quibus conditionibus coierint, & quousq;
 Proinde cum deus humano generi gratiam suam declarare uellet,
 & se totum & omnia sua bona ei cōmunicare adeoq; in nos effun-
 dere, ut nobis bene sit, fœdus init cum homine. Id autem nō primo
 inijt cum Abrahamo, sed cum hoc renouauit uetus. Pepigit autem
 primo cum patre omnium nostro Adamo, tū cum ipsum iam pro-
 fugum in gratiam reciperet, filiumq; unigenitum promitteret, in
 quo orbi placari & per quem se totum nobis impendere uellet, om-
 nia bona sua nobis communicando; & uicissim nos sibi fide et obe-
 dientia obstringendo. Hoc fœdus primum & uetustissimum repa-
 rauit deinde cum Noe, postea ferē clarius cum beato Abrahamo.
 Sed & post annos 400. sub Mose ad montem Sinai idem rursus est
 reparatum, conditionibus fœderis copiosius in Tabulas geminas
 relatis, adiectis simul cæremonijs multis. Excellentissime uero om-
 nium purissime & clarissime idem hoc illustrauit tandem ipse domi-
 nus noster & saluator Iesus Christus, qui cæremonias, typos, figu-
 ras & umbras omnes expunxit rursus, ueritatem substituit, omniq;
 perfectissime impleuit, redactis omnibus saluis nostræ & pietatis
 ueræ capitibus in breue compendium, quod etiam nouum fœdus
 seu nouum testamentum, nimirum propter inuouationem & im-
 pletionem omnium, ueterumq; cæremoniarum abrogationē, nun-
 cupauit. In eo solus prædicatur Christus perfectio & plenitudo om-
 nium: in eodem nihil post fidem & charitatem exigitur, libertasq;
 p[ro]p[ri]js conceditur sancta & admiranda. De qua re aliās. Sed redimus
 iam ad fœdus cum Abrahamo reparatum.

Qui coie-
 rint fœdere

Diserte in hoc indicatur nobis qui coierint fœdere, Deus in quā
 uiuus, æternus, omnipotens ac summus rerum conditor conserua-
 tor & moderator: ac Abrahamus cum uniuerso suo semine: id est cū
 omnibus cuiuscunq; gentis & nationis sint fidelibus. Ita enim ex-
 ponit apostolus semē Abrahæ, præsertim cum Galatis dicit, Si Chri-
 sti estis, igitur semen Abrahæ estis, & iuxta promissionem hæredes.

Quousq;
 initium
 fœdus.

Iam etiam tempus constituitur quo duret hoc fœdus, adeoq; nul-
 lum tempus definitur. Est enim æternum. Quanquam enim multa
 accesserint in renouationibus declarationibusq; fœderis, ceu acces-
 soria, quæ postea euanuerunt, præsertim Christo ueniente in car-
 nem, in substantialibus tamen nihil inuenias mutatum. Deus enim
 semper est deus sui populi: semper ab eo flagitat ac requirit fidelem
 obediē-

obedientiam. Id quod in nouo testamento omnium significantissimi me perspicitur.

Capita enim siue conditiones huius fœderis duo duntaxat ex præcipuis ponuntur. Prima exponit quid deus polliceatur, & quid nobis confederatis uelit præstare, quid inquam expectemus à domino. Secunda continet officium hominis, quod deo debet confederato & principi suo. Ergo quod deum attinet, Ego, inquit, ero deus tuus, & Saddai, id est omni sufficientia, quidem: tuus inquam deus & seminis tui post te. Sibi sufficiens est deus ad absolutissimam perfectionem et beatitudinem, neque indiget alieno subsidio, cum quod usquam est, ex ipso sit & per ipsum subsistat. Solus sufficit homini deus, solus præstat quæcumque sunt in uotis hominum, & ad perfectam felicitatem pertinent. Vnde & quondam ab Ethnicis Saturnus (fortassis ex occasione uocabuli Saddai) est nuncupatus, à fauendo haud dubie. Solus enim saturare potest, qui est faueta & perfectio. Quod autem seminis Abrahamæ futurus sit omni sufficientia deus, demonstrat duplici argumento. Principio, Dabo semini tuo terram Chanaan. Qua promissione comprehendit omnia beneficia terrena & corporalia, nempe facultates amplas, felicitatem, tranquillitatem, rerum abundantiam, sanitatem, gloriam, splendoras uictorias, & quæcumque ad conseruationem beatitudinemque hominis temporalem pertinent. At quomodo hæc præstiterit semini Abrahamæ, mulus illustrat historia sacra: eo modo declarans, deum uerum seminis Abrahamæ fuisse ita ut promiserat deum. Deinde promittit semen in quo benedicendæ sint omnes gentes terræ; nimirum promittit saluatorem Christum, quem & antea Adamo promiserat. Benedicere uero, est omni benedictione spiritali ditare: quo comprehendit omnia dona dei spiritalia, remissionem peccatorum, inuouationem uitæ, & gloriam æternam. Benedicere est & maledictionem tollere: ita ut hoc idem polleat cum illo, quod dicebatur Adamo, Semen mulieris calcabit caput serpentis. Veteris enim draconis caput nil aliud est, quam uis & regnum satianæ, Vis eius est maledictio peccatum & mors. Calcato ergo capite, maledictio est sublata, & succedit benedictio. His inquam declarat se fore deum Abrahamæ & seminis eius.

Secunda fœderis inter deum & hominem iniiti conditio homini præscribit quid agat, & quomodo se gerat erga principem & confederatum suum, nempe deum. Ambula, inquit, coram me, & esto integer. Ambulât autem coram deo, qui omnem uitam suam, dicta & facta sua omnia instituunt ad uoluntatem dei. Ea est, ut simus

Conditiones
fœderis.

Deus est
omnisufficien-
tia fœderatorum.

Ephes. 1.

Quid exi-
gatur ab
homine.

DE LEGIB. DEI CÆREMONIALIB.

integri. Paratur illa integritas fide, spe & charitate: in quibus cõpre-
henduntur omnia officia sanctorum dei confederatorum. Docet
ergo posterior illa conditio fœderis, quid agant fœderati, quomodo
se gerant coram domino, nimirum habeant illum pro deo suo, ad-
hæreant ei soli qui est omnisufficiencia, inuocent solum, colant unũ,
& ex Messia expectent sanctificationem, uitamq; perennẽ. Hæ fœ-
deris conditiones erant: quibus nondum coniuncta erat cæremo-
niarum turba, quæ postea sub ducatu Moysis accessit.

*Signũ fœ-
deris Cir-
cuncisio.* Huic confœderationi addidit signum, adeoq; sigillum dominus
ipsam Circuncisionem. Sigilla appenduntur tabulis fidei faciendę
aut confirmandę gratia. Tabulæ continent & exhibent omnem
totius fœderis rationem. Circuncisio ergo & tabularũ loco & signi-
uice adiecta est fœderi, eoq; nomine fœdus ipsum appellatur: sicuti
literæ uel tabulæ fœderis apud nos quoq; uulgariter uocantur. *Die
pũndt.* ipsum inquam fœdus, cum nihil aliud sint quàm literæ fœ-
deris, omnem rationem fœderis scripto comprehendẽtes, & sigillo
confirmãtes. Verum uulgare hoc est quod signa rerum signatarum
nomina accipiunt, ut nihil mirum sit circuncisionem appellari fœ-
dus, cum reuera fœdus sit communiõ & societas quàm cum deo ha-
bemus. Gene. 17. ita loquitur de signo hoc dominus, Hoc est fœdus
meum quod obseruabitis inter me & inter uos, atque inter semen
tuum post te. Circuncidetur in uobis omnis masculus. Circunci-
deris autem carnem præputij uestri: & erit in signum fœderis inter
me & uos &c. En Circuncisio in hisce uerbis domini primum fœ-
dus, deinde signum fœderis explicandi gratia nuncupatur. Nõ alia
ratione appellat eandem S. Stephanus in Actis cap. 7. testamentum.

*Ritus &
modus cir-
cuncisionis.* Sed & modus Circuncisionis indicatur, Circũcideris, inquit, car-
nem præputij uestri. Nam glandem, quæ summitas est penis, men-
bri in quã uiriliter, cutis uel pellis obteggit aut ambit, prominens non
nihil, ea uocatur præputium, eo quod præemineat. Hanc pellicu-
lam resecebant culro petriño, nudabantq; glandis summitatem.
Resectio inquam illa, putatio & incisio, dicta est Circũcisio. Quis
uero amputarit pelliculam, non exprimitur. Apparet autem hono-
ratißimum quencq; in domo aut gente, ipsum inquam primogeni-
tum aut patrem familiã, ante legem, in lege sacerdotes circũcidisse.
Singularẽ est quod Zepora uxor Moysis circuncidit, Exodi 4. capite.
Iam & tempus indicatur circuncisionis, dies octaua, cum puer re-
cens natus ualidior paulõ esset factus. Cæterum circuncidisse illos
non ferreis, sed petrinis cultris, colligimus ex 5. cap. Iosue: ubi domi-
nus aperte iubet filios Izraelis circũcidere cultris petrinis. At deum
nihil

nihil mutare in cæremonia sacramentorum, claret ex ipsis sacramen-
torum ritibus: unde conijcimus etiam Abrahamum non alijs quàm
petrinis usum esse cultris, præsertim cum & Zippora uxor Mosis pe-
tra filium circūcidisse legatur, Alias Iudæorum nugas, quas hic spar-
gunt, data opera trāsimus intractas. Indignæ enim sunt quæ audian-
tur, nec quicquid habet mysterij. Petrinus autem culter confert ad my-
sterium circūcisionis explicandum.

Mysterium enim & significationem certissimam habuit circūci- *Mysterium*
sio, Principio enim significabatur Circūcisione, impuram & corru- *& significa-*
ptam esse totam siue uniuersam hominis naturam, atq; ideo om- *tio Circū-*
nes homines opus habere putatione regenerationeꝝ. Hoc nomine *cisionis.*
dabatur in membro genitali. Nam omnes concipimur & nascimur *Impura est*
filij iræ in peccato originali. Nec quisquam à damnatione illa libe- *nostra natu-*
rat, nisi qui exors est peccati, nimirum benedictum semen dominus *ra.*
noster Iesus Christus, conceptus è spiritu sancto, & natus ex Maria
uirgine: qui sanguine fuso (id quod in cruore circūcisionis præfigu-
rabatur) emundat nos à peccato, & facit hæredes uitæ æternæ. Ac
Circūcisio hæc ualde oppugnat negantes originale peccatum: ual-
de impugnat tribuentes nostris uiribus iustitiam & salutem. Si enim
puri eramus, si nostris uiribus saluari potuimus, quid quæso opus
erat patres nostros putari? Quæ putantur impura sunt uel superua-
cua. At nihil impuri aut superuacui condidit deus. Condidit autem
præputium. Si malum esset præputium, non condidisset deus homi-
nem præputiatum. Per se ergo malum non est nec superuacuum
præputium: sed significationi potius seruit præputij incisio, nimi-
rum ut intelligeremus ex natiuitate & natura nostra nos esse corru-
ptos, nec purgari posse nisi gladio petri. Certe hac de causa data
est circūcisio in hoc membro & non in alio. Subijciemus mox &
aliam ex Lactantio causam, cur in membro genitali data sit, &
non in alio membro. Deinde significabat, imò & attestabatur cir-
cūcisio, Deum omnipotentem ex mera gratia & bonitate cohæ-
rere indissolubili fœderis nexu cum hominibus, quos uelit sancti-
ficatos, iustificare, omnibusq; cœlestibus donis locupletare per Chri-
stum. Ideo enim adhibebatur culter saxeus siue petrinus. Christus
enim semen illud benedictum est petra, ex qua undæ profluunt pu-
rificantes, ac ipse nobis spiritu suo refecat quæcunq; amicitiam in-
ter nos & deum mutuam impediunt: idem confert & auget spem
& charitatem in fide, ut deo coniungi & cohærere possimus in æter-
num, quæ est uere beata & felix uita. Huc pertinent iam testimonia
legis & apostolorum. In Deut. cap. 30. dicit Moses, Circūcider domi-

nus deus ius cor tuum & cor seminis tui, ut diligas dominū deum tuum. Huius autem internæ circuncisionis externa & uisibilis signum erat. Denique Paulus de Abrahamo loquens, dicit, Et accepit signum circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ fuerat in præputio, ut esset pater omnium credentium per præputium, ut imputaretur & illis iustitia. Et cætera. En Circūcisio Abrahæ erat signaculum quod deus gratia sua iustificarat Abraham: quam iustificationem fide receperat, & receperat quidem antequam circūcideretur, in argumentum quod qui præputiati credunt, iustificantur cum fidei Abraham: & rursus qui circūcidentur Iudæi, sciant se per fidem iustificari à deo. Ideoq; dabatur circūcisio in ipsum hominis corpus, ut in corpore gereret sædus dei, admonereturq; gratia per fidem se iustificari. Vnde illud quoque colligimus gratiam dei & iustificationem hominis piij, non fuisse alligatā signo. Alioqui enim Abraham non fuisset iustificatus ante circūcisionem, sed in ipsa demum circūcisione. Præterea non præcepisset dominus, qui uult homines saluos facere, octaua demum die circūcidere. Multi enim pueri ante diem octauam excedebant e uuius, neq; perueniebant ad circūcisionē, qui tamē non cōdemnabantur. Quibus accedit quod Sara, Rebecca, Rahel, Iochabeth, & Maria soror Moysi, unā cum innumeris alijs matronis & uirginibus sanctis non potuerant circūcidi, & tamen saluatae sunt per gratiam dei in fide uenturi Messia. Ergo sacramento Circūcisionis gratia dei non fuit alligata: sed iccirco à sanctis ueteris ecclesiæ non spreta nec neglecta, sed usurpata in illum finem ad quem instituta erat, ut esset testimonium & sigillum gratiæ iustificationis in Christo uenturo, qui circūcidit spiritualiter sine manibus per spiritum sanctum.

Gratia dei non alligata Circūcisioni.

Coloss. 2.

Circūcisio ne colliguntur circūcisi in unū corpus.

1. Sam. 17. Acto. 17.

Circūcisio admo- net hominē sui officij.

Præterea colligebat foris uisibiliter deus in unam ecclesiam qui circūcidebatur, ex quibus electos prius spiritus sui uinculo sibi copulauerat. Nam S. Paulus hac de causa appellauit populum unius religionis circūcisionem, ut claret in 15. capite ad Romanos, & ad Philippenses 3. Ergo per circūcisionem separauit suum populum ab infideli populo. Vnde incircūcisi uel præputiati uocabulum abiit in probrum maximum & conuitium intolerandum, perinde ut apud nos probrum Canis. Incircūcisus enim uel præputiatus reputabatur pro impuro et prophano homine, alieno profus à deo & à testamentis dei.

Deniq; Circūcisio admo- net hominē sui officij, nempe ut cogitaret quisq; apud se, quod nomen suum dedisset deo, ac sacramentum dei portet in corpore suo. Hac enim de causa

sa &

sa & in circuncisione indebantur nomina Israelitis. Clare enim apud Lucam ostenditur nomen & Ioanni Baptistæ & saluatori nostro Iesu in circuncisione, sicuti et Abraham hoc nominis Abraham, qui prius nuncupabatur Abram, fuisse datum. Admonebat hoc circuncisum sui officij, quippe qui dedisset nomen confederato sibi deo, adeoque se iam inscriptum esse in registrum siue catalogum dei, cuius nomine iam censeatur: unde ex pacto & officio uitam suam non pro sua libidine aut aliorum uoluntate, sed secundum uoluntatem dei instituere debeat. Requirebat enim forderis conditio, ne idololatria & peregrinis cultibus seipfos prophanarent circuncisi, ne impuritate uitæ corpora & animas deo consecratas, polluerent, sed in uera fide perseverantes, sanctitati studerent, pœnitentiam agerent, deoq; obedirent per omnia. Sic enim dicit Moses Deut. 10. Circuncidite præputium cordis uestri, & ceruicem uestram ne induretis amplius. Ad quæ uerba alludens Ieremias in cap. 4. Circuncidimini domino, inquit, & auferte præputia cordis uestri. Et Stephanus martyr infideles Iudæos obiurgans, Duri, inquit, ceruice, & incircuncisi corde & auribus. Vos iemper resistitis spiritui sancto. Re-

*Duplex
circuncisio,
spiritus &
literæ.*

Operæpretium uero facturum me existimaui, si in præsentis recitationem Charitati uestræ, priusquam hunc locum de Circuncisione concludam, uerba uetusti scriptoris Lactantij, quæ de Circuncisione in hunc modum protulit lib. Instit. 4. cap. 17. Significabat Circuncisio, inquit, nudandū esse pectus, id est, aperto & simplici corde oportere nos uiuere. Quoniam pars illa corporis, quæ circunciditur, habet quandam similitudinem cordis, & est pudenda: & ob hanc causam deus nudari eam iussit, ut hoc argumento nos admoneret ne inuolutum pectus haberemus, id est, ne quod pudendum facinus intra conscientie secreta uelemus. Hæc est cordis circuncisio, de qua prophete loquuntur, quam deus à carne mortali ad animam transtulit, quæ sola mansura est. Volens enim uitæ ac salutis nostræ pro æterna sua pietate consulere, pœnitentiam in illa Circuncisione proposuit: ut si cor nudauerimus, id est, si peccata confessi satis deo fecerimus, ueniam consequamur: quæ contumacibus & admissa sua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem sicut ho-

*Lactantius
de Circuncisione.*

mo, sed intima & arcana pectoris inuenitur. Hæc hætenus uetustus ille ecclesiæ scriptor Lactantius Firmianus de mysterio Circuncisionis nobis retulit.

*Summa
Circunci-
sionis.*

Hæc omnia quæ diximus hucusq; de significatione & mysterio Circuncisionis, omnium oculis ceu in tabula proponebantur contemplanda, quoribus in ecclesia quondam frequentabatur Circuncisio. Renouabatur quasi ipsum dei sœdus istū cum hominibus. Prædicabatur dei gratia & eius sanctificatio, nostra item corruptio: elucebat in his Petra Christus, qui spiritu suo omnes maculas ecclesiæ resecat & abluit. Præterea discabant ex signo adeoq; ex tota cæremonia sacra cultores dei, quod uno in corpore existentes ecclesiastico, uitæ puritate confederato deo sese debebant approbare. Quando quidem circuncisione uisibili quodam modo fiebat religionis ueræ, & confessionis in uerâ religionem cōfessio, & in eandē obligatio. Ergo qui contemphisset aut temere neglexisset hanc sacram cæremoniā, puniebatur grauissime: sicuti colligere licet ex Gen. 17. & Exodusi 4. cap. Hæc de Circuncisione hætenus.

*De agno-
pascuali.*

Sequitur secundum ecclesiæ ueteris Sacramentū Pascha: Ea uox Hebraica est, non significans passionem, ut ex etymo Græco uideri poterat, sed saltum, transcensum, seu transitum. Nam ΠΑΣΧΑ significat transilire aut transcendere. Rationem huius uocabuli reddidit ipse in lege Moses, dicens, Transibit dominus ut percutiat Aegyptios, & ubi uiderit sanguinem in superliminari atq; in duobus postibus, ΠΑΣΧΑ, id est transiliet dominus ultra ianuam istam, & non permittet interemptorem uenire in domos uestras. Insignitur hoc sacramentum etiam alijs uocabulis. Appellatur enim Signum, appellatur Memoria, item Celebritas αὐτῆς ἡμετέρας, Cœtus siue conuocatio sancta, Festum domini, Cultus & Observatio, item Oblatio & Sacrificium. Quod autem nuncupatur cæremonia illa transitus nō fit citra tropum. Nam Transitus illud ipsum est beneficium, quo angelus domini ædes Iudæorum transijt intactas, eorumq; uitæ pepercit: sed quoniam eius beneficij memoria & reparatio fuit, beneficij nomen induit. Sicuti prius admonui uulgare esse in negotio sacramentario, ut signa rerum signatarum nomina propter similitudinem & analogiam mutuam accipiant.

*Quid pas-
schat?*

Videamus modo quid sit Pascha, & qualis fuerit eius cæremonia. Erat Pascha actio sacra diuinitus instituta in mactatione & epulagnoi, ad hoc ut retineretur in ecclesia memoria beneficij semel in Aegypto præstiti, deinde ut esset testimonium diuinæ erga fideles beneuolentiæ, typum quoq; Christo præferret, deniq; participantes in unius:

in unius corporis societatem colligeret, gratitudinis & innocentiae admoneret.

Author huius sacramenti ipse deus est, non homo ullus. Moses enim que acceperat a domino tradidit filiis Israel: sicut copiose exponitur Exodi 12. cap. Ac eo quidem tempore Cæremoniam instituit, quo populum Israelis ex Aegypto eduxit. Cum tamen auctore deo profecta sit, consequens est omnia paschata insequuta, ad illud usque, quod cum suis discipulis proxime ante mortem suam dominus celebravit, diuinas fuisse actiones. Carni & sapientiæ humanæ multa imò omnia ferè huius sacramenti uidentur absurda, & superuacanea, cæterum fides quæ in auctorem deum intendit oculos, omnia suspicit & reueretur. Sicut enim deus summa & perfectissima est sapientia, ita omnia & singula eius instituta absolutissima & inestimabilis utilitatis sunt.

Iam etiam tempus indicatur quo primum hoc sacrum sit traditum ecclesiæ Israeliticæ, annus uidelicet 430 (a promissione nimirum Abrahæ facta, siue ab eius peregrinatione supputata) qui erat annus ab origine rerum 2447. a diluuiio 791. Desinitur præterea tempus quando celebrandum sit pascha, nempe annis singulis, mense Nisan, qui responderi partim nostro Martio, partim Aprili. Sed & dies menses indicatur, 14. mensis, supputatione nimirum in ita ab æquinotio uerbo. Nam 10. die deligebant pecus ad festum, 14. die maclabant. Quid quod & partem diei denotat, qua sit maclandum: nempe inter uesperas, nimirum a tertia nostra, pomeridiana ad 5. usque iuxta nostra horologia, iuxta Iudeorum supputationem a 9. ad 11. usque. Ita uero expressum est Christum in fine mundi fore maclandum, imò ipse temporis articulus mortis seu imolationis eius ita prædictus est. Nam expirauit circa horam 9. Vnde S. Petrus dixit, prophetas scrutatos esse ad quem aut cuiusmodi temporis articulum significaret spiritus Christi, qui in eis erat Christum uenturum atque passurum.

Sed & Locus certus erat huic sacro designatus. In Aegypto quidem sparsim per sodalitia in domibus eppulabantur. Vbi uero peruenissent in terram promissam, non licebat alibi quam apud tabernaculum, & postea apud templum Hierosolymis celebrare pascha. Dispersi ergo Hierosolymis per ædes, sed per sodalitia, ut & Lucæ 22. uidere licet, eppulabantur. Illa præfigurabant Christum non nisi semel immolandum in monte Caluarie, semper efficacem fore ad expianda populi peccata.

Designatur item qui celebrent pascha, uniuersus nimirum Israelis cuius circumcisus, per domos & familias tanto collectus numero,

DE LEGIB. DEI CÆREMONIALIB.

quantus sufficiebat agno absumendo. Nam ut Christus omnium est saluator, sic omnes sunt in causa peccatores (sumus autem omnes peccatores) quod Christus dominus in ara crucis est oblarus.

Ritus Pascha.

Præterea multa fide & diligentia describitur ritus epulandi mandandis agni. Principio deligebant sibi agnū hunc cumq; ex agnis & hœdis: deinde iugulabant eundem quinto post die: in pateram cruorem eius excipiebant, quem mox aspergillo hysopi postibus ianuæ atq; superliminari aspergebant. Agnum ipsum, non elixatum quidem aquis, sed assatum igni, & integrum, hoc est caput cum pedibus, nec non cum intestinis, publico edebant in epulo: additis lactucis siue amaris herbis, & pane azymo siue fermentato. Ipsi interim epulantes stabant, lumbos succincti, calceati, & baculos tenentes in manibus. Cæterum edebant agnum hūc festinantissime: ossa nec confringebant, nec proijciebant canibus, sed exurebant igni. Ex ipsis domibus à uespera usq; mane nemo egrediebatur.

Scopus cæremoniæ.

Hæc fines suos, magna mysteria & euidentem habuerunt significationem rerum præteritarum, præsentium & futurarum. Compingebant item totum cœterum ecclesiasticum in unum corpus & in unam religionis professionem: sed & gratitudinis & studij pietatis admonebant epulantes. Id quod per partes quanta possumus breuitate perstringemus.

Beneficiū retinetur in memoria

Principio enim uoluit dominus retinere hoc epulo in memoria, & quasi æternitati consecrare maximum illud beneficium, quod semel populo Izraelis in Aegypto contulit, illud inquam quod seruato suo populo mirabiliter, omnia Aegyptiorum primogenita una nocte peremit, postera uero die suos ex Aegypto, ex dura inquam seruitute, eduxit. Hoc beneficium non tantum uoluit prædicari uerbo (certum enim est eo festo contiones habitas ardentissimas de beneficijs dei) sed etiam per actionem sacram siue cæremoniam, ceu per spectaculum & picturam uiuam, omnium oculis proponere ac renouare. Nam uisibilis actio prædicationem quodammodo subiiciebat oculis sensibusq; alijs. Vnde Moses interpretans cæremoniam & actionem illam sacram, Cum filij uestri ad uos dixerint, ait, Quis hic cultus uester? Respondebitis, Victima hæc transitus domini est, qui præterijt domos filiorum Izrael in Aegypto, cum cæderet Aegyptios & domos nostras liberauit.

Testimonium beneuolentiæ dei erga suum populum.

Cæteram significatio hæc fuit rei præteritæ, proinde non fuisset admodum utilis insequentibus hominibus, quippe qui beneficium nihil ad se pertinens celebrasset, nisi id ipsum & singulis adaptasset erga suum populum. Voluit ergo deus hoc ueluti testimonium extare apud postereros

stros suæ gratiæ bonitatis & liberationis perpetuæ: nempe quod non tantum patrum uel maiorum fuerit deus, sed & omnium quoque posterorum Israelitarum deus esse, & his quoque propter Christi sanguinem parcere, denique omnia ab eis depellere mala, & omnia conferre bona & uelit & possit. Nam Psal. 136. in hæc uerba legimus, Constemini domino quoniam bonus est: quoniam in æternum misericordia eius. Qui percussit Aegyptiorum primogenita: quoniam in æternum misericordia eius. Et Israellem eduxit e medio eorum: quoniam in æternum misericordia eius. Manu ualida & brachio extento: quoniam in æternum misericordia eius. Ergo præterito dei beneficio patribus collato, excitabant fidem suam posteri, fore ut & ipsis miseretur & beneficeret ex solita ingenitæque misericordia sicuti & patribus benefecerat. Eratque hæc cæremonia non uulgare fidei exercitium.

Præterea exhibebantur in his quoque futura Christi saluatoris mysteria. Nam præfigurabatur quis futurus Christus, quid mundo colaturus, quomodo eius fiant participes pii, & quomodo hi se gerant coram ipso. Etenim inter alia animalia multa, non aliud eligebatur huic sacramento magis idoneum quam agnus, non tam propter significationem simplicitatis & patientiæ in Christo, quam quod uictima est. Paulus enim, Pascha nostrum, inquit, immolatus est Christus. Agnus quoque iuxta legem mane & uesperis immolabatur. Christus enim est agnus occisus ab origine mundi. De quo & Baptista testificans dixit, Ecce agnus dei, qui tollit peccatum mundi. Et quoniam nos omnes sicuti oues errauimus, quisque in uiam suam, descendit ad nos filius dei, & factus est ouis, nostræ scilicet substantiæ atque naturæ. Sed hic noster integer est & purus, sine peccato & uicio: conceptus est spiritu sancto, natus ex Maria uirgine. Masculus erat & anniculus: fortis nimirum, idem hodie & heri & idem usque in sæcula, nimirum saluator uniuersi orbis. Sumebatur ex agnis & hædis. Christus enim prognatus est ex peccatoribus & iustis: sicuti commemorat Matthæus in capite primo. Ac propter fusum sanguinem agni parciunt toti ecclesiæ Israelitarum. Nam sanguinem Christi oportuit fundi, ut purgarentur eius sanguine omnes fideles, iratusque pater propter effusum cruorem parceret toti ecclesiæ. Idem aspergitur aspergillo hyssopino, postibus & superliminari domus. Contempta quidem & humilis est herba hyssopi: & stulta uidetur humilisque & abiecta prædicatio euangelij: at per ipsam oportet nobis, qui sumus domus dei, aspergi siue prædicari sanguine Christi in remissionem peccatorum. Recipimus autem agnum ad uitam, cum

*Agnus
erat figura
Christi, pas
sionis & re
demptionis
eius.*

edimus, id est credimus Christum pro nobis esse passum. Nam fide editur Christus: id quod ipse fufe exponit Ioan. cap. 6. Agnus igni paratur non aqua: nec crudus, sed tostus comeditur. Non enim homo duntaxat, sed deus simul est uerus, uerum holocaustum. Potest is nos absoluere plenè ut nostra additione nihil opus sit. Aquæ & plane frigida sunt nostra addidamenta. Iam & totus est edendus agnus, caput cum pedibus & intestinis. Nisi enim credamus Christum & deum esse uerum, & hominem uerum, sapientiam quoque & iustitiam nostram, non totum edimus. Caput non edunt, qui Christum negant esse deum. Pedes non edunt, qui negant esse hominem. Intestina non edunt, qui non agnoscunt, quæ inra Christum sunt & fidelibus communicantur dona, iustitia uidelicet, sapientia, sanctificatio, redemptio & uita. Ossa in agno nec confringebantur nec proieciébatur canibus, sed cremabantur igni. Nam in Christo non est contractum os ullum. Id quod commemorat beatus Ioannes euangelicæ historiæ cap. 19. Latet in hoc præterea mysterium, Licet enim patereur filius dei, in eo quod pari potuit, in humanitate, in diuinitate tamen mansit impassibilis. Quæ uero in Christo propter diuinitatis excellentiam non assequimur, meritò ar denti prosequimur desiderio. Sed & Christus cibus est animæ rationalis fidelisq; non canibus & impijs projiciendus. Idem edendus est præcipitanter, nec cunctandum. Nam proinus & circa procrastinationem & maximo cum desiderio manducandus est fide Christus. Simul autem præcipiuntur comedendæ acidæ herbae, cum panibus in fermentatis. Nam fidelibus agenda est pœnitentia uitæ præteritæ malæ, & studendum porro puritati uitæ. Sequitur enim copiosius quomodo nos geramus erga redemptorem nostrum. Stantes edebant agnum, renibus uel lumbis accincti, calceati quoq; & baculos tenentes in manibus. Eratis habitus peregrinantium. Ita ergo nos in præsentis sæculo geramus oportet, ut decet peregrinos, qui hunc mundum contemnunt, aliam inquirunt patriam. In itinere itaq; temperantiæ studeant: muniti sint pedes eorum euangelio pacis, ac innitantur interim baculo diuini auxiliij, egredianturq; qua possunt festinantia ex seruitute & corruptione huius sæculi.

*Tessera
confessio
fidei.*

Hæc eadem cæremonia erat quasi confessio religionis ueræ, & tessera quæ ab alijs populis & gentibus dei populum separabat. Ergo colligebantur omnes Israelitæ in unam ecclesiam & societatem: in qua pascha celebrantes, profitebantur se esse dei redemptos, dei libertos & populum. Huc enim pertinet quod præcipitur ne ex illis ullus edat extraneus; sed ut circumcisi duntaxat de eo participant: ne

ne diuidatur in partes, neue alibi quàm uno in loco edatur, & edatur quidem per sodalitia ab uniuerso Israele: rursus ne quis exeat ex ædibus usque mane, Qua re significabatur extra ecclesiam in sectis & schismatis hæreticorum nec Christum inueniri, nec salutem. Christus agnus ille dei colligit omnes in unam ecclesiã, & retinet in ipsa, saluatq; credentes.

Postremo admonerat hic ritus populum dei ui officij, gratitudinis præsertim & studij pietatis, siue innocentie. Agebant ergo deo gratias pro hoc et pro alijs eius beneficijs, laudabant nomen eius: ac abstinebant in uniuersum ab omni fermento. Nec legas quicquam prohibitum esse tam seueriter in hac cæremonia, q̃ ut abstineant à fermento. Qui comederit fermentatũ, inquit, peribit anima eius de cætu Israelis, tam de aduenis quàm de indigenis terræ. Idem postea sæpe repetitur & inculcatur. Cæterũ peritissimus & doctissimus in lege Moses apostolus Paulus, quid per fermentum sit significatum exponens, Itaq; festũ celebremus, inquit, non in fermento ueteri, nec in fermento malitie & uersutie, sed in panibus fermento carentibus, hoc est, synceritate & ueritate. Hæc hæctenus de epulo agni paschalis.

*Pascha
participan
tes admo
net sui officij.*

1. Cor. 5.

Sacramentis his accedunt porro sacrificia, eaq; uaria & multiplicia. Hæc non primum ab ipso Mose sunt inuenta & tradita, sed usurpata iam inde à rerum origine. Nam Cain ex frugibus terræ, Abel uero è grege suo pecus obtulit in holocaustum domino conditori omnium. Ita & Seth, Noë, Sem, Abraham, Isaac & Iacob, omnes deniq; pares domino sacrificasse creduntur. Certe cum Gentilitia siue Ethnica sacrificia, cum sacrificijs Iudæorum, uel ipsis ethnicis scriptoribus testificantibus, plurimum affinitatis & similitudinis habere deprehendantur, non dissimile uero est, gentium genarchas à primis suis patribus Semo, Iapheto & Chamo, deniq; à sanctissimo patre Noë, sacrificandi ritum quemq; ad suam detulisse gentem. At qui indubitatum est sanctos pares ex seipsis hic confinxisse nihil, sed omnia accepisse ab authore omnis boni deo. Porro Moses sacrificiorum discrimina species & genera exactius distinxit, redegitq; in ordinem certum. Quod autem fecit, deo authore fecit. Deus omnia tradidit Mose. Nam liber Leuitici, in quo maxime describuntur omnes sacrificiorum species, mox ab initio testatur Mosen à deo uocatum, à deo didicisse quecunq; tradidit de ritu sacrificandi. Sed & Numeri 7. legimus, Cumq; ueniret Moses in tentoriũ constitutionis, audiuit uocem colloquentis ad eum è propitiatorio.

De sacrificijs & eorũ origine.

Sicut autem modo dicere cœperam, sacrificia fuerunt uaria & in-

Sacrificia ter se distincta, & tamen habuerunt quædam inter se communia & *quædam* generalia. Generale id erat omnibus, quod non nisi uno in loco offerrebantur. Generale erat, quod ex fide & legitime, utiq; secundum *habent cõ-* uerbum dei offerri debuerunt. Generale erat, quod sacrificari præci- *munia, quæ* piebatur igne sacro, non alieno. Interierant filij Aaronis, Nadab & *dam partis* Abihu, non alia de causa, quàm quod prophanum siue alienum *ularia.* ignem usurpassent in sacris. Deus enim cum Izraelitæ uel Leuitæ primum sacrificarent iuxta ipsius mandatum in tabernaculo, demisso cœlestis igne, sacrificandi ritum sic approbavit. Vnde Leuit. 6. capite præcipitur ut sacerdotes perpetuum ignem foueant in tabernaculo siue templo. Id quod & Ethnicos inepta imitatione exprimere uoluisse constat, dum Virgines Vestales Romæ perpetuum iuberent fouere ignem. Sed significabatur igne perpetuo perpetua in ecclesia spiritus sancti operatio. Hic fouendus & excitandus est in ecclesia: id quod fit pijs precibus & sincera doctrina domini, legitimoq; sacramentorum usu. Generale erat & illud, quod nec fera syluestres nec immunda animalia offerrebantur. Præterea legitur generalis cano- non traditus de sacrificijs à Mose in Leuit. cap. 22. hisce uerbis. Nul- lum uitium sit in eo quod obtuleris. Si cæcum fuerit, si fractum, si faucium, si papulas habuerit aut scabiem impetiginemq; non offeretis ea domino, nec dabitis ex eis super altare domini. Certe si quis obrulisset uiuosam oblationem domino, magnum de se argumen- tum præbuerat contempus numinis ingratiitudinisq; eximie erga dominum. Ideo clamat apud Malachiam dominus, & ait, Cum hostiam cæcam sacrificatis, an non peccatum committitis? & quando adducitis claudum & ægrotum, an non peccatum committitis? Ad- duc quæ so tale duci aut principi tuo: num id probabit? num suscipiet faciem tuam? dicit dominus exercituum. Ita inquam uile fit & sordescit uobis nomen meum. Requirit ergo omnibus temporibus iustus & uerax deus ueritatem, liberalitatem, sinceritatem, & integri- tatem à suis cultoribus, odit sordiciem, hypocrisim & mendacium. Sunt & alia quædam quæ oblationes diuinæ habent cõmunia: sed nolimus prosequi minutatim omnia. Quæ uero quæq; aut singula habent peculiaria, inclarescit ex diuersis ipsarum speciebus: quas modo attingemus.

Holocau-
sum.

Primo loco explicabimus sacrificij genus, quod uocatur Holocau- sum. Id totum igne absumebatur, ita ut nihil præter pellem aut tergo- cederet sacerdoti. Origo uocis est Græcæ. Dicitur enim holocau- sum, quasi ὅλον καυσθῆναι, hoc est, totum combustum aut igne consumptum. Constat autem tribus speciebus, maioribus, in quâ, animantibus, minoribus

minoribus & minimis: boue nimirum, iuueno uel uitulo: aut si cui non esset facultas tanta, offerebat agnum uel caprum: quod si id quod negatum esset propter paupertatem, licebat sacrificare auiculas: non quidem gallos uel anseres, uel alias aues immundas, sed mūdas, turture uidelicet uel colūbas. Ritus autem holocaustorū erat talis, Siste batur animal offerendū ad latus altaris, imponebantur ei manus, iugulabaturque protinus à sacerdote. Sanguis uero excipiebatur, ut spargeretur per aræ circuitū: iugulato mox detrahebatur pellis, quæ sola cedebat sacerdoti. Crura truncabantur, deinde abluebantur cū intestinis, mox excitato in ara igni, imponebatur tota hostia cū capite & trunco corporis, cum cruribus item & intestinis, ac concremebantur uniuersa in altari corā domino. Si uero offerretur turtur aut colūba, ea obtorto sacerdotisque digito disrupto collo, iugulabatur: sanguis exprimebatur ad latera altaris. Struma & pennæ proiciebantur item ad latus altaris, in locum utique cinerū, alæ quoque sindebantur, postremo tota comburebatur in ara. Hic ritus erat sacrificij uel oblationis, quam holocaustum appellarunt: cuius significatio hęc erat augustissima & iucundissima, quibus persuasum erat holocausto præfigurari ipsum dei filium incarnandum ex illibata uirgine, et offerendum pro expiatione omnium peccatorum totius mundi. Hi enim in sacrificij spectaculo contemplati sunt ipsam crucem & passionē domini, qui nostra in se peccata suscepit (huc enim pinet maxime manuum impositio, quæ communionis erat symbolum) ac cæsus sanguinem suum effudit in remissionē peccatorū, torum sese deo patri in igne charitatis diuinique ardoris offerens. Hic idem turtur est ac columba. Cæterum requirebatur præter hæc in ritu holocausti, ne unquam de animantibus offeratur holocaustum sine oblatione, quam uocant Minha: quæ erat huiusmodi, Ex farre pugillus granorū, aut farinæ, aut crustularū panis cocti in cacabo, aut torta panis cocti in elibano aut fritorio, cum oleo & thure comburebatur in ara holocaustorum. Certe Christus est panis uitæ, qui per spiritum æternum, ut ait apostolus, se deo patri obtulit pro nobis in cibum uel conseruationem uitæ.

Holocaustis cōnumerantur Iuge sacrificium, & sacrificia initiationis. De Iuge sacrificio copiosa sit expositio Exodi 29. & Leuit. 6. *Iuge sacrificium.*
 Quotidianū id erat. Nam offerebantur singulis diebus mane & uespere agni duo, unus nēpe uespere, alter mane. In his manifeste prænunciabatur Christus, qui est agnus ille dei qui tollit peccatū mūdi, cuius uirtus semper efficax est ad tollenda omnia omniū fidelium peccata. Est enim agnus ille occisus ab origine mundi: semel quidē cæ-

fus & occisus in cruce, sed cuius meritū & efficacia semper durat, & omnes absoluit quotquot liberantur à peccatis. Porro sacrificia Initiationis, sacerdotum uidelicet, tabernaculi & omnium uasorum seu instrumentorum ministerij sancti, pleraque habent cōmunia cum holocaustis, quædam peculiaria. De quibus copiose differitur Exodi 29. & Leuit. 8. cap. Christus autem dominus noster initiatus est per passionem, ac sibi consecrauit in sacerdotes omnes fideles.

*Sacrificiū
cibarium.*

Secundū genus sacrificiorum erat Oblatio, quā uocant Minha, munus in quā uel donū, farreū seu adorem sacrificiū, quod & cibarium cognominatur. Constabat hoc frugibus terræ, quæ non uno modo adhibebantur. Nam cōmemorantur tres species. Offerebatur enim far tostū in spicis, aut farina siue simila mūda nondum cocta, aut certe paratus ex farina panis: qui sanè triplici modo aut forma siue ratione parabatur. Vel enim coquebatur in furno aut clibano: uel in cacabo aut sartagine: uel in frixorio crustularum plano. Accedebat his uelut auctarium & condimentū sacrificiorū sal, oleū, thus. Remouētur autē generali canone ab omnibus sacrificijs mel & fermentū. Non enim admittebantur libæ melleæ. In epulo tamen eucharistico admittebatur panis fermentatus ad esum. Proinde si quis offerret farinā, ungebatur ea prius à sacerdote oleo, & cōdiebatur sale, mox ei imponebatur thus: inde uolā plenam accipiebat sacerdos (in sacrificio, p̄ sacerdote cōburebatur tostū) & adolebat in ara, reliquū sibi cōseruabat. Et in omnibus quidē cibarijs oblationibus ponebatur thus, præterquā in sacrificio, p̄ peccato, & in sacrificio zelotypiæ: id quod uidere licet Leuit. 5. & Num. 5. At Leuit. 2. cap. reliqua qui cupit inueniet, quæ pertinent ad ritū oblationis cibarij plenum. Non enim singula minutatim hic prosequimur. Porro sicuti antea Christus in animantibus, hoc est, pecudibus, armētis & auibus præfiguratus est, ita nunc significatur in panibus. Est enim panis uitæ: & habet formas uarias infirmitatis & gloriæ. In Christo non reperias ullū fermentū, peccatū, aut acerbitatē, hypocrisim aut superbiam. Nulla est in Christo dulcedo uoluptatis, mellea, in quā, affectio. Sed sal in ipso inuenias, temperamentū planè diuinū, & sapientiā absolutissimā. Propter Christū omnia hominū grata sunt deo: p̄pter Christum exaudimur à patre: est ergo thus super Christo. Quāquā simul in his adumbrentur qualia & nostra esse debeant sacrificia, utiq; sine hypocrisis, amarulentia, odio, inuidia, & citra uoluptatem carnalem, mixta autem pijs precibus.

Libamina.

Sacrificio cibario connumerari possunt libamina. His enim uinū domino fundebatur in sacrificijs, sicut claret Exodi 29. Leuit. 6. & Numeri

Numeri 28. Est autem Christus uinū, potus & gaudium nostrū ad uitam æternam. Is effundit se in animos piorum, ut ipsos gaudio perfundat, uiuatq; in eis & ipsi in eo. Ideo autem memoriam sanguinis effusi pro nobis in remissionem peccatorum uino consecrauit. Cibarijs oblationibus annumerari possunt sacrificia primitiarum primogenitorum & Decimarum. De quibus passim in lege multa commemoratur, ut Exodi 13. & 23. Deut. 18. Numeri 18. Est autem Christus primogenitus & primitiæ omnium, propter cuius dignitatem & meritum nobis parcitur, & per quem sanctificari, effici mur filij ideoty & hæredes dei. Eidem ut auctori & redemptori nostro debemus & animas nostras, & omnia quæ in nobis sunt præstantissima. Sed & illud gratitudinis est, quod de terrenis facultatibus nostris, quæ ab ipso habemus, deo liberaliter impartimur, ad sustentationem cultus dei legitimi atq; egenorum omnium.

Tertium sacrificiorum genus est quod offertur pro peccato, ac iccirco appellatur Hatah piaculare, & Ascham sacrificium pro delicto. Nos uno uocabulo appellare possumus sacrificium expiatorium. Immolabatur enim pro peccato commissio, uel per imprudentiam: quod gradibus hominum peccantium quadrifariam distribuitur, nempe, si pōiifex peccarit, aut tota ecclesia, aut princeps, aut uulgaris quispiā. Vel offertur pro peccato dedita opera uel à sciētibz cōmissio, at tamen mediocri: uel pro grandi & capitali scelere, quod nulla excusat imprudentia. Ritus huius sacrificij latissime se extendit, & est copiosus ac multiplex, adeo ut in præsentī per compendū commemorare non placeat. Describitur diligentissime per partes Leuit. cap. 4. 5. 6. 7. Nec dubium est quin eo sacrificio Christus sit propositus, sicuti & in omnibus alijs oblationibus. Finis enim legis Christus est. Et Isaias in cap. 53. Cum nihil iniquū fecerit, ait, & dolus non fuit in ore eius, complacuit tamen domino ipsum in firmando atterere, ut ubi posuerit animam suam hostiam delicti uel uictimam pro culpa (hic enim ponitur **QW** ascham) uideat semen, & proroget dies, ac uoluntas domini prospere cedat in manu eius. Huc pertinet tota illa disputatio apostoli Pauli in epistola ad Hebræos, in qua ostendit Christum esse ueram illam expiaticem pro peccatis uictimam, quæ purget uniuersam ecclesiam & peccata omnia. Ritu partim peccatorum ingenia, partim passiones Christi & moris uirtus adumbrata sunt.

Hæc uero pro peccatis instituta sacrificia multa & uaria, concessa erant, quippe quæ offerri solebant ab his qui peccassent, & eo quidem tempore quo peccassent: statum porro anniuersarium &

*Sacrificiū
piaculare
pro peccato.*

*Anniuersa-
riū & uniuersale sa-
crificium
piaculare.*

DE LEGIB. DEI CAEREMONIALIB.

uniuersale sacrificium illud erat, quod multis describitur Leuit. 16. cap. & huc sub piacularia referri debet. In festo enim propitiationis 10. die 7. mensis peragebatur annua solennitate pro omnibus omnium peccatis uniuersale expiatorium seu propitiatorium sacrificium. Eius ritum nolo in praesentiarum copiosius prosequi, cum luce clarius proponatur omnibus in eo loco Leuitici, quem modo citauimus, & nos iam illud in explicando mysterio, quantum satis est, aduibrare cogitemus. De significatiōe em̄ & mysterio eius dicā pauca.

Figurabatur illo spectaculo, certē iucundissimo, tota passio & effectus passionis domini nostri Iesu Christi: quae quouiannis semel exhibebatur & renouabatur uniuersae ecclesiae dei. Placuit enim deo hic modus representandi mysteria redemptionis & salutis per sacramenta, & non per picturas aut colores, aut denique per scenicos ludos: quae non pauci hodie parum religiose in delicijs habent. Solus autem pontifex summus in hac caeremonia obibat omnia: nisi quod duo ei adiungebantur ministri, quorum alter educebat hircū emissarium piacularemq̄, alter portabat extra castra iuuenicum & hircum expiatorium. Imo diligentissime praecipitur, ne quis hominum se coniungat summo pontifici, tabernaculum ingredienti & propitiationem pro peccatis facienti. Nullus homo, ait dominus, sit in tentorio constitutionis, cum ille ingreditur ad expiandum in sanctuario, donec egrediatur. Nam Christo in peragendo salutis redemptionisq̄ nostrae negotio, nemo coniungendus est. Solus enim saluator est, calcauit solus torcular, nemo alius pro nobis crucifixus est. Excluduntur ergo patriarchae, prophetae, apostoli & martyres, omnes denique creaturae, ne his unquam quicquam salutis acceptae tribuamus. Solus Christus manet saluator & redemptor mundi. Creaturis aut operibus aut meritis nostris salutem tribuere, est cum summo pontifice creaturas in tabernaculum admittere, & incurrere indignationem omnipotentis, id est anathema horrendū ueri & in aeternū uiuentis dei. Nam per summum sacerdotē praefiguratur nobis saluator Christus, qui a postolo teste sacerdotiū habet quod successione ad neminem transire potest. Aaron porro de suis accipiebat iuuenicum expiatorium & arietem pro holocausto, à populo autem duos hircos. Proinde Christus dominus noster uerus & unicus ecclesiae suae sacerdos, quod pro nobis obrulit, à nobis accepit, substantiam carnis nostrae. Additur interim Aaronem (sub quo nomine quemlibet intelligimus summum populi dei sacerdotem) sacrificaturum induisse uulgares siue communes sacerdotum uestes, sed tamen sanctas & candidas, Licet enim nostram assumpserit natura

turam dei filius, & nobis similis factus, quasiq; uulgari nobiscum ueste indutus sit, immunis tamen est ab omni corruptione & macula peccati. Principio autem pro se & pro domo sua mactabat Aaron iuencum. Qua re declarabat se non esse uerum illum pontificem summum, sed eius modo typum. Paulus enim, Nostro pontifici, inquit, non est necesse, quemadmodum illis pontificibus, prius pro proprijs peccatis uictimas offerre, deinde pro peccatis populi. Nam id fecit semel cum semetipsum obulit, Postea fortiebatur Aaron ad ostium tentorii inter duos hircos, uter mactaretur uel dimitteretur in desertum. Hirci duo significant Christum dominum, uerum deum & hominem in diuersis, sed non separatis, consistentem naturis. Mactatur & moritur secundum id quod mori potuit: non mactatur nec moritur secundum diuinitatem, Vnus tamen & idem indiuisus Christus redemptor est mundi, & perficit redemptionem. Sic & uterq; hircus mysterio adhibebatur. Et quoniam dominus temperat sortes, teste Solomone, non sine uoluntate patris sacrificatus est filius. Iam uero pontifex primum quidem iuenci sanguinem, deinde & hirci mactati cruorem, & cum his thuribulum accipiebat & intra uelum ingrediebatur, ubi thymiama coram propitiatorio excitabat nubis instar, sed & sanguinem aduersus propitiatorium digito aspergebat septies. Quæ apostolus Paulus exponens in 3. cap. ad Hebræos, dicit Christum non cum iuenci aut hirci, sed proprio cum sanguine, non in tabernaculum manu factum, sed in ipsum cælum esse ingressum, reperia expiatione & remissione peccatorum perpetua. Ipse enim est propitiatio nostra, non pro peccatis nostris tantum, sed etiam pro peccatis totius mundi. Huc spectant scilicet apostoli, quoniam appellarunt Christum propitiationem, sicuti S. Paulus ad Roman. 3. & S. Ioannes, 1. Ioan. cap. 2. & 4. Significat autem septenarius aspersionis numerus, purgationis plenitudinem & perfectionem. At necesse est interim ut aspergatur nobis digito, non hominis, sed Christi summi nostri pontificis. Cuius digitus est spiritus sanctus, per quem applicatur & confertur nobis purgatio. Accedit præterea thymiama uel incensum aromaticum contusum. Cum lachrymis enim, teste apostolo, preces pro nobis obulit pontifex Christus, & exauditus est pro reuerentia. Vnde fumus nubes, id est ingens fumi uis, significauit maximam precum efficaciam.

Illis peractis egrediebatur rursus in sanctum pontifex, collocans sanguinem super altare thymiama aureum. Nam oportet in redemptione nostra coniuncta sint cruor innoxius & oratio ardens.

Hebr. 3.

DE LEGIB. DEI CÆREMONIALIB.

ſima pro nobis. Inde porro egrediebatur ad altare holocauſtorum, quod ſtabat in atrio, ac alterum hircorum tradebat uiro tempeſtiuſ abducendum in deſertum, non ſine ſingulari ritu aut cæremonia. Pontifex enim hircum imponebat manum utraq; conſitebaturq; peccata populi, qui nimirum & ipſe conſitebatur iniquitates, præeunte formula certa pontifice; ſimul autem omnibus peccatis in capite hirci coniectis, ablegabatur hic ut eo modo peccata totius eccleſiæ deferret in deſertum. Hinc mutuati ſunt ſine dubio Gentiles ſua illa, quæ uocantur, *uolâs, uolâs* ſiue piamina. Fuit enim mos ethnicis ut in maximis diſcriminibus, unus aliquis ſeſe deuoueret pro omnibus, quem acceptum uel maſtabant cremabantq; in ara, uel proiecebant in aquam, precantes ut ſimul omnia ſecum auferret mala, ac dii unius capite placati, rurfus benefacerent. Sed aberrarunt toto cœlo miſeri. Chriſtus enim dei filius factus eſt pro nobis peccatû, id eſt ſacrificium pro peccato, factus eſt pro nobis execratio, ut benedictionem ab ipſo acciperemus. Huc ſcilicet ſpectauit Iſaias cum dixit, Nos omnes tanquam ouis errauimus, quiſq; in uiam ſuam reſpexit, dominus autem effecit in illum incurrere omnium noſtrum iniquitatem. Item, Ipſe uulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Et iterum, Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Portat autem hircum peccatum in deſertum, non ut non ſit, ſed ne imputetur. Nam in eccleſia eſt quidem in ſanctis peccatum, ſed non imputatur eis. Extra eccleſiam, in deſerto, omnibus imputatur. Et Vir ille tempeſtiuſ alius eſſe non poteſt, quàm ipſe Chriſtus, qui ubiq; in diebus carnis ſuæ tempus & occaſionem iuſtam obſeruauit, ſubinde repetens horam ſuam nondum ueniſſe, & cum tempeſtiuſ eſſet mori, aiebat modo ad eſſe horam ſuam. Moriêdo autem abduxit hircum adeoq; peccatum totius mundi.

His ad eum modum abſolutis, abluitur iterum pontifex, & exuſtis uestibus uulgaribus, pontificiis induitur. Cæterum ablutio illa uaria & multiplex in hoc ſacro ritu adumbrat pleniffimam peccatorum remiſſionem: ſicut & mutatio uestis glorificationem: id quod clarius uidere licet apud Zachariam in cap. 3. Glorificatus autem Chriſtus cœlos ingreſſus eſt, ut ibi ſemper appareat pro nobis in cœo ſpectu dei, unica & in æternum efficax hoſtia. Ergo ſacrificat Aaron arietem in holocauſtum. Chriſtus enim eſt uiſtima æternum durans & purgans. Miſit præterea Aaron iuuenem & hircum alterum in locum ſacrum extra caſtra, ut ibi prorfus comburerentur. Id quod Paulus exponens, Animalium, inquit, quorû ſanguis inferitur
pro

pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra: quapropter & Iesus ut sanctificaret per proprium sanguinem populum, extra portam passus est, Hebr. 13.

Et quamuis in his quæ adduximus hucusq; sparsim finem & fructum huius cæremoniæ indicauimus, non pigebit tamen hic eundem singulariter cõmemorare: quando uideo spiritum sanctum in scriptura illum inculcare tanta fide & diligentia. Finis omnium est, quod peccata omnia, omnia inq; totius ecclesiæ dei unica hostia, semel duntaxat oblata, è medio, perfectissimè, sunt sublata & purgata. Audiamus ergo ipsa spiritus sancti in scriptura loquẽtis uerba, eaq; euidentissima & apertissima. 1. Et confitebitur pontifex super hunc cum cunctas iniquitates filiorũ Israel, & omnes transgressiones eorum, omniaq; peccata eorũ. 2. Et feret hircus ille super se omnes iniquitates illorũ in terrã desertam. 3. Eodẽ die expiabitur p uobis, ut mundi fiat, & mundi fitis ab omnibus peccatis uestris corã domino. 4. Sitq; uobis hoc statutum perpetuũ, ut expiet filios Israel ab omni peccato eorũ semel in anno. At quis adeo stupidus et plumbeus est, ut credat animantiũ sanguine abluta esse omnia populi peccata? Si, inquit apostolus, semel expiassent peccata plene, desissent utiq; offerri. His ergo Christi uenturi mysteriũ omnibus inculcatũ, & omniũ oculis semel in anno est propositũ. Ex hac enim cæremonia mutuatus est Zacharias suũ de Christo uaticiniũ in ca. 3 sic ppositũ, En ego adduco seruũ meum germẽ, En lapis quẽ posui ante lo suam, super lapidẽ unũ sunt septem oculi: en ego sculpã sculpturam eius, ait dominus exercitũ: & auferam iniquitatẽ terræ huius uno die. Promittit dñs Messia, quem præfigurarunt sacerdotes, in primis aut summus sacerdos Iosue, Christus est lapis, in quem omniũ oculi ut in unicũ saluatorẽ sunt intenti. Foditur & scalpitur is in passione, & patiendo atq; moriendo semel, omnia peccata expiat totius terræ. Ex hac cæremonia & hoc scripturæ loco mutuauit S. Christi apostolus Paulus in Epist. ad Hebr. totam ferè disputationem suam de sacrificio Christi semel duntaxat pro peccatis totius mundi oblato: in qua tories ex lege, suum illud Semel inculcat.

Porro alios constituere sacerdotes, aliud tempus, & aliam rationem sacrificandi pro peccatis, est calcare diuinam & clarissimã hanc Christi hostiam ueritatem. Est autẽ hæc doctrina de unica Christi hostia uera & antiqua & orthodoxa & irrefragabilis perpetuaq; doctrina: per quam saluantur quotquot saluantur, & saluati sunt per eandem quotquot saluati sunt ab ipso mundi exordio. Huius doctrinæ hostes appellauit legis peritissimus Christi & gentium apostolus Paulus, *Unica Christi hostia sufficit uniuerso mundo.*

imperitos, amentes, insanos, instabiles, leues & cuius expositos uento, impios, apostatas qui defecerunt à Christo, pseudologos, pseudo prophetas, pseudoapostolos, seductores, cōscissores, canes, incantatores, ueneficos, & anathemate implicitos, execrabiles & maledictos. Proinde si angelus è cælis aliud nos docuerit, sit nobis anathema.

Id tamen minime prætereundum, ab hominibus in anniuersaria illa expiatione requiri primum quidè peccatorū confessionē: deinde afflictionem animarū, dolorem in quā seriū, ex agnitione peccati conceptū: & postremo sabbatū, non utiq; otium ignauū à studijs honestis, sed quietē in fide Christi, & cessationem à sceleribus. Qui ita sese parat in festo propitiationis, nimirum in tempore prædicationis gratiæ dei, per Christum, proculdubio purgatur plene per hanc uisitimam unicā Christi. De qua paulò fufius non sine ratione disserui hucusq;. Nā unus hic locus & multos alios scripturæ locos mirifice illustrat, & mysterium redemptionis Christiq; redemptoris, in clare, ut uix alius, exponit, exornat atq; commendat: præterea docet nos intelligere Christi domini in euangelio Ioannis uerba, dicētis, Est qui accusat uos Moses, in quo uos speratis. Si enim credidissetis Mosi, credidissetis utiq; mihi. De me enim ille scripsit.

*Sacrificiū
uaccae rufæ.*

Porro propitiatorio sacrificio & alijs piacularibus merito annumeramus & sacrificium Vaccae rufæ, adeoq; ipsam lustrationem siue aquam lustralem, institutā contra omnis generis pollutiones. Erant enim pollutionis uariæ species, De quibus in lege differitur copiose, isdemq; exhibetur nobis typus impuræ nostræ naturæ, & peccatorum nostrorum. Describitur autem in lege Numeri 19. primum cæremonia ipsa siue ritus facer, ostenditurq; quomodo paranda sit aqua lustralis contra omnes pollutiones. Deinde eiusdem usus atq; effectus subiicitur. Adducebatur ad sacerdotē Eleazarum uacca rufæ, eaq; sine macula, & quæ iugū nunquā subierat, ea protinus educabatur extra castra & mactabatur. Partem sanguinis excipiebat sacerdos, ac digito suo septies aspergebat contra tentoriū constitutionis. Sed uaccam ipsam totā, ita ut nihil fieret ex ea reliqui, combussit igne, in quem etiam iniecit lignum cedrinum, hyssopum & coccum. Hic se eluebat sacerdos aqua, succedebat uir mundus, qui cinerem colligens, deposuit in locum sanctum. Ergo quoties usus potulari ponebantur cineres in uas testaceum, affundebatur aqua uisua, & ita parabatur aqua lustralis, quam pollutis aspergebant aspergillo hyssopino. Hæc erat lustrationis cæremonia, & hic finis & usus cæremoniæ.

Porro euidentissimum hæc Christi typū nobis exhibere, testis est apostolus.

apostolus, qui ad Hebræos 9. cap. dixit, Si cinis iuuentæ aspersus *Lustratio*
 eos qui cōmunicant sanctificat ad carnis puritatem, quanto magis *nis myste*
 sanguis Christi? Ergo & sacerdos & uacca typum prætulere Chri- *rium.*
 sti. Sexus infirmitatem deponat naturæ humanæ: rufus color admo-
 ner sanguinis domini, per quem abluti sumus. Nulla uero macula
 reperta est in Christo: quippe qui erat sanctus sanctorum, immunis
 prorsus ab omni peccato. Nec ulla fuit adactus necessitate ad moriē.
 Nā sua sponte sese obrulit. Et obrulit quidē extra castra siue mœnia
 in monte Caluarie. Id quod & Paulus atigit ad Hebr. cap. 13. To-
 tus autē Christus deus & homo, corpore & anima oblatus est. Cuius
 sanguis fit nobis salutaris, si spiritu sancto aspergatur animis no-
 stris. Simul autē & fideles cū Christo mori oportet, humiliari, ardere
 amore diuino & extolli: ergo in eundē ignē inijciabantur cedrinū li-
 gnū, hyssopus, & coccū. Iam & Cineres ex sacrificio confecti colliguntur
 ad purificationē seu emundationem. Cineres autē aliud non
 sunt q̄ effectus mortis & sacrificij Christi, ipsa inquam purificatio siue
 peccatorū remissio. Ideo enim ex morientis & iam extincti Christi
 laete aperto, ebulliens effundebatur larga aqua & sanguinis copia,
 ut disceremus ex morte Christi emanare nobis purgationē et uitam.
 Nam in sanguine uita est, in aqua expurgatio. Cæterum cineres col-
 ligebat homo mundus, qui tamen immundus manebat ad uesperam usq̄.
 Aqua deniq̄ pollutis ad sanctificationem aspergebatur aspergillo hyssopino.
 Quid quod in loco sancto hæc erat collocata? Nam canibus & porcis
 margaritæ & sanctū minime est obijciendum. Requirit item dominus
 prædicatores, qui effectum passionis Christi doceant, & euangelij (coram
 mundo) contempta humiliq̄ prædicatione redemptionem & sanctificationem
 in morte & sanguine Christi annuncient: requirit, inquam, doctores sanctos
 & fideles sanguineq̄ Christi mundatos. Illi interim cum tota ecclesia ad
 finem usq̄ uitæ orant, Remitte nobis debita nostra. Nam & dominus
 dixit, Qui lotus est, mundus est, nec opus habet, nisi ut pedes lauet.
 Huc pertinet & frequens in hac cæremonia ablutio, significans
 & gratia dei omnia peccata purgari, & sanctos perpetuò inuigilare
 sancta cura contra peccata, eaq̄ non alia q̄ gratiæ Christi aqua abluere.
 Diligentissime autem in lege inculcatur, impuros manere omnes
 quotquot coinquinati hac aqua lustrali non repurgantur. Dixit enim
 dominus Petro, Nisi ego te lauero, non habebis partem mecum.
 Nō omnia & singula huius cæremonie, sed potissima sic uolui perstringere.
 Pergo ergo iam ad alia.

His piacularibus adiungi possunt Sacrificia, quibus corporeæ

Sacrificia pro corporis contaminationibus. contaminationes, peccatorum uarias coinquinationes præfigurantes, purificabantur uel expiabantur, quales erant pollutiones feminis, esus & tactus immundorum, item lepræ, & puerperæ. De quibus fuse agitur à Mose à 12. cap. Leuitici usq; ad cap. 16. Neq; aliud istis omnibus ecclesiæ dei propositum est, q̄ nostra corruptio natua et perditissima, gratuitaq; per gratiam dei in sanguine Christi purgatio.

Sacrificiū zelotypiæ. Hic cōmemorare & recensere possumus etiā zelotypiæ sacrificium. De quo qui copiosa uidere cupit, legat 5. cap. lib. Numerorum. Quamuis is ritus magis uideatur pertinere ad iudicialia.

Sacrificiū eucharisticum. Quartū sacrificiorū genus erat sacrificiū Eucharistiæ gratiarum actionis, uel gratularorium, quod appellant Schelamim uel Scholomim, sacrificiū, inquā, pacificorum uel salutis. Offerebatur enim gratitudinis ergo, nimirū pro salute indepta, & propter felicitatē & integritatē, accepto, inquā, beneficio, uel malo aut infortunio depulso. In hoc adhibebatur uel armentale uel gregale pecus: aues non offerebantur. Peragebatur enim iuuenco & bucua, agna & agno, capro & capra. Mactabatur ante atriū, Tergus aut pellis obueniebat sacerdoti. Sanguis spargebatur iuxta altare. Renes, reuiculū eparis, agni cauda & omnis adeps cōburebatur in ara holocaustorum. Armus dexter sursum eleuabatur, pectus agitabatur in cardines mūdi

Thruma et Thnupha. (Nam Thruma & Thnupha, hoc est, leuatio & motio siue agitatio, non fuerunt genera aut species sacrificiorū, sed tantum ritus quibus utebantur sacerdotes in oblationibus seu sacrificijs peragendis. Eleuatione significabatur Christus exaltandus, & quod exaltatus oēs ad se traheret. Motione in omnes mūdi cardines adumbrabatur prædicatio Christi spargenda in totū orbē terrarū) unūq; cedebat sacerdoti, similiter maxilla & uenter. Reliquæ carnes redibant ad offerentem, qui eas epulo sacro absolvebat. Reliqua huius generis quæ pertinent ad ritū huius sacrificij require ex 3. cap. Leuitici. Si enim Thoda confessio laus & protestatio esset, addebatur & mola similitudinibus imbuta oleo, uel coctæ crusta, uel lagana. E quibus pars sursum eleuabatur & cedebat sacerdoti: reliquum redibat ad offerentem, sicut & panis fermentatus concedebatur in epulo manducandus.

Ceterū prædicabatur & in hoc sacrificij genere Christus cū effectus et uirtute mortis suæ; ostēdebat ut itē tota ratio agēdi gratias deo p̄ beneficijs. Varia sunt beneficiorū genera. Si aliqd beneficij esset collatū: si ablatū malū, si quis reualluisset ex morbo, aut aliqd effugisset infortunium, offerebat domino. Sunt beneficia uetera dei, uidelicet quod mundum condidit, & omnia quæ sunt in mūdo: quodq; per Christū fideles redemit. Sunt q̄tidiana: deniq; omnia plena sunt dei

dei beneficijs. Pro his omnibus deo tantum, non creaturis, est offerendum: offerendum autem ex toto corde: omnes affectus deo consecrandi sunt. Deo enim separabantur partes animalium, in quibus maxime perspiciuntur vires animæ. In renibus vis est generandi, in sanguine spiritus vitalis, in epate fons sanguinis, &c. Porro agenda gratiæ per sacrificium, id est per Christum. Seruamur enim propter Christum: & omnia bona conferuntur nobis à deo, non propter nos, non propter ulla creaturas, sed propter Christum. Concedebatur offerentibus epulum sobrium ac lætū: quia non ingratis conduplicatur ferè felicitas. Est & Christi cognitio epulum splendidissimum & conuiuium iuge.

Cum Eucharisticis congruunt maxima ex parte spontanea et Vo-
tiua. Spontanea oblatio ea erat quæ nulla necessitate cogente aut le-
ge requirente, sed ex mera proficiscebatur beneuolentia & animi de-
uotione. Veluti cum seruus non debitum quod debet domino præ-
stat, sed munus quod non debet donat ad declarandam animi sui
erga dñm beneuolentiam. In hoc autem differunt ab eucha-
risticis spontanea, quod in illis mandatur ne quid postera die, quod
prima quaq; non absumptum sit epulo, edatur, sed igni crementur
reliquiæ: in spontaneis licebat reliquias & postera edere. Tertia de-
mum die iubebantur exurere. Votiua uero sacrificia erant quæ ex
pacto offerebantur: ueluti si quis fuisset in periculo, uouisset autem
deo sacrificium si liberetur: quod ergo liberatus offerebat deo, uo-
tiuum erat sacrificium. Congruiebant hæc ritu cum Eucharisticis.
Plura de illis traduntur Leuitici cap. 7. Significabatur & his sacrifi-
cijs propter Christum omnia nobis cælitus concedi ac præstari be-
neficia, atq; adeo ipsam quoq; beneuolentiam seruiendi deo. Hæc
hactenus de sacrificijs populi dei attuli, non singula tractans, sed po-
tissima ferè. Proponebatur istis ceu in actione uiua Christus domi-
nus, & passio eius, passionisq; merium efficacissimum: ita ut possi-
mus sacrificiorum sacras actiones appellare coniones de passione
Christi & catecheses redemptionis nostræ in Christo.

*Spontanea
sacrificia.*

*Sacrificia
uotiuua.*

Quoniam uero dictum est de sacrificijs uotiuuis, consequenter ali-
quid subiungendum erit in transcurso & de Votis. Pertinent enim
& hæc ad cærimonias Iudaicas. De Votis autem nuncupandis per-
soluendis ac redimendis multus est in lege dei sermo, præsertim Le-
uit. 27. cap. Est autem uouere, aliquid sancte deo pro salute uel pro-
pria uel alterius promittere. Erat itaq; uotum actio quæ tantum refe-
rebatur ad deum, nec in alia quàm res sancta atq; legitima. Fuit au-
tem in Votis diuersas. Nam res uotiuæ fuerunt distinctæ quatuor

De Votis.

DE LEGIB. DEI CAEREMONIALIB.

generibus. Vouebāt em̄ aliquādo ipsos homines, aliquādo animantia, aliquando domos, aliquādo autem agros & alias res inanimas. Homines rursus distinguebantur per ætates, ac iuxta has permittebatur redemptio. In mundis animantibus nulla admittebatur redemptio. Porro liberū erat domos uel relinquere usibus sacris, uel pro estimatione sacerdotis æqua redimere. In agris permittebatur aliquando redemptio, aliquādo non permittebatur. Iam etiā in Num. cap. 30. diligenter præcipitur de personis uouētibus, & quando rata, quādo irrita æstimari conueniat uota. Vbi diligenter inculcatur deo facta uota legitime, minime rescindenda, sed maxime seruanda esse uel præstanda. Temeraria uel illegitima uota nunquam approbauit aut recepit dominus. De legitimis & uni deo nuncupatis loquens uates diuinus dixit, Vouete & reddite. Non legimus quenquam sanctorum ulla diuis uel ulli creaturæ uota nuncupasse, nec illud uouisse quod non erat in potestate uouentis, aut pugnabat cum uoluntate dei, cui nuncupabatur uorum, aut cōiunctum esset cum iniuria proximi, aut non haberet luculentam aliquam utilitatem. Et certe non alia de causa populo Izraelis permessa sunt uota huiusmodi ad tempus usq; correctionis, quā ut in cultu unius ueri dei persisterent, & ne unquam ulli deo uota sua nuncuparent.

Disciplina
Nazaræo
rum.

Ad Votorum considerationem pertinet institutio uel disciplina Nazaræorum. De qua dicuntur multa Numeri cap. 6. Nazaræi erant, qui ut liberius uacarent rebus diuinis, uel quod hactenus uixissent paulo indulgentius, iam ut ceteris essent exemplum uirtutis, sua sponte suoq; arbitrio seuerius uiuendi genus, disciplinæ loco, in se suscipiebant. Vnde sunt qui existiment Nazaræos dictos à separatione, quod Nazir Hebræis significet separationem, & Nazaræi à communi aliorum hominum uiuendi ratione se subducentes, peculiari cuidam uiuendi generi propter deum se dederunt. Durauit ea disciplina in Nazaræis aliquando per totam uitam, ut in Samone & Samuele. Sed & studiosi diuinarum literarum à prophetis Amoz & Ieremia propter temperantissimam (quæ à studiosis requiritur) uitam, & quod diuino mancipati essent ministerio, Nazaræi appellati sunt. Aliquando per certum tempus durauit disciplina illa, ad menses uel dies aliquot. Abstinebāt autem iuxta legem à quibusdam, à quibus nulla lege alioqui arcebantur, nec in alijs hominibus uoto solutis aut liberis erant illicita aut damnata. Principio abstinebant à uino & ab omnibus quæ proferebat uitis, & quæ inebriabant. Atqui clarum est, ut uinum bonam esse dei creaturam, sic nullum potum prohiberi lege. Quia tamen Nazaræi domino
erant

erant consecrati, uel sanctificati peculiari quodam uiuendi genere, & uinum gradum præstruit ad ebrietatem, quæ omnium flagitiorum colluies est, merito Nazaræi à uino sibi temperabant. Simul autem & otium, matrem uitiorum, cauerūt, & omnem uoluptatem calcarunt. Deinde toto uoti tempore nutrierunt comam. Ex qua re quidam deriuarunt uocabuli originem. Quia enim Næzer significat comam, Nazaræum appellatum existimant, quasi tu dicas comatum. Cæterum apostolus Paulus non aliam ob causam iubet mulierem tecto uel obuolato capite orare, aut concionem sacram audire in cætu ecclesiastico, quam quod non sit sui iuris, sed alienæ subdita potestati, nempe uiri. Proinde comam nutriebant Nazaræi, quod iam propter uotum deo nuncupatum, nō amplius suæ essent potestatis, sed toti concessissent in ius dei. Et caput quidem corporis humani arx & præstantissima corporis pars, cæsarie ueluti obuolata significabat totum hominem deo esse deuotum siue consecratum, ad quem unice spectare, & à quo uno pendere debeat. Requerebatur præterea ne se coinquinaret consortio & contagio sceleratorum impiorūq; hominum. Quo & illud pertinet quod Nazaræus prohibetur interesse funeri parentum, liberorum, uxoris & fratrum, atque sororum. Vnice enim oculos animi in deum conijcere debet, & præ hoc fastidire uel charissima & pretiosissima. Si uero uel de improuiso contaminatus fuisset super mortuo, non reputabatur ei amplius ista uita ad uoti exolutionem. Nam 7. die iubebatur se sanctificare, deinde uero uotum repetere. Ex istis omnibus colliquescit quale ac quantum fuerit peccatum Sāsonis, qui erat Nazaræus domini. Quia enim non tantum in ganea apud scortum delitescerebat, sed in super scorto prodebat secretum dei, pactumq; cum deo iniū & coma nutrita testificatum proculcabat, deseruit ipsum dominus, ac recessit ab eo miraculosum illud robur cœlitus concessum. Fortitudo enim Samsonis non fuit in cæsarie, ut hac abrafa, simul rafa ceciderit, sed in spiritu diuino, qui ei à deo dabatur. Ideo enim toties reperitur in historia, Et factus est spiritus domini super Samsonem. Proinde recedēte spiritu dei, recessit robur; recessit autem, cum scorto prorsus agglutinatus unus cum eo spiritus esset factus, & scorto iā deum & institutum dei posthaberet, adeo ut fineret sibi detonderi sacram comam, ac prorsus recederet ab institutis dei. Ita enim & spiritus dei recessit ab eo. Vnde mox redactus est in potestatem Palestinorum: in qua cum diuexaretur misere, & propter ipsum nomen dei male audire blasphemareurq; pœnitentiam egit, nomen domini inuocauit, unde fruticantibus capillis, redijt robur, id est redijt

*Samson
Nazaræus
domini peccat
grauiter.*

DE LEGIB. DEI CAEREMONIALIB.

Spiritus domini, non adductus capillorum frunctione, sed poenitentia & inuocatione diuini nominis. Nec Samson tantopere cupiebat priuam ulcisci iniuriam, quam blasphemos cohercere, populumq; dei (ad quod uocatus fuerat) liberare asserereq;. Rediit ergo diuina uirtus, ex qua collis theatri columnis, ruina palatii oppressus, moriendo plures interfecit, quam consecerat uiuus. Sed redimus iam ad institutum nostrum, ut subiungamus & alia quæ pertinent ad plenam expositionem uoti Nazaræorum. Finito ergo tempore quod in se susceperat Nazaræus, ueniebat ad tabernaculum domini, offerens quæ in lege præscribuntur sacrificia: quibus se peccatorem esse testabatur, omnemq; bonum, id est si quid uirtutis in ipso repertum esset, id inquam omne sibi cœlitus collatum fatebatur. Ergo & cesariem detondebat, quam & protinus iniiciebat in craticulam, in qua cremabantur graualatoria. Post quæ ad eum modum perfecta, liberum erat Nazaræo iam uelut exauctorato redire ad uitam pristinam. Hæc hæctenus de Instituto Nazaræorum.

De mundis
& immundis.

Porro de mundis & immundis multus est in lege sermo: nos in superiore tractatione quædam perfunctorie attigimus: sub calcem tamen (his enim finem imponam dissertationi de legibus caeremonialibus) de delectu ciborum, de cibis inquam mundis, & immundis non nihil adijciemus. Ab initio quidem condidit omnia deus, & ita condidit, ut quemadmodum conditor bonus est, ita res conditæ omnes uel hodie sint ualde bonæ: neq; sibi ipsi nunc contradicit cum cibos quosdam prohibet, quasi per se aliquid immundum sit. Alia sub hac doctrina recondita latent mysteria. Minutz & leues uidentur leges, latæ de cibo siue uictu, sed uoluit re minuta in speciem admonere dominus & in minimis respiciendam esse diuinam auctoritatem. Legis enim auctoritas ex deo pædet: ipse est legislator, lex ipsa dei inuentum est. Cohercent hæc audaciam humanã, quæ subinde leges figit ac refigit nouasq; in diem comminiscitur. Proinde commendauit huiusmodi legibus deus obedientiam fidelem suo populo: sicuti ab initio quocumq; Adamo præcipiens ne gustaret de arbore scientiæ boni & mali, fidelem ab eo requirebat obedientiam. Certe obedientia & fides quæ erat in Machabæis, in Eleazaro & in pijs aliquot uiris, Antiocho regi resistētibus, usq; ad sanguinem & mortem acerbissimam, deo placuit. Plures alij a porcilla carne abstinerunt, unde tamen nihil laudis uel gloriæ sunt cōsequuti. Cum uerbum dei dicit rem aliquam esse sanctam, sancta est, idem propter iurbentem qui sanctus est. Cum deus dicit aliquid esse impurum, impurum est, adeo ut edere aliquid contra uerbum dei sit seipsum polluere.

Quare deus prohibet esum quorundam animalium.

Constantia sanctorum abstinentiæ ab immundis.

Tuere. Vos iam mundi estis, ait dominus in euangelio, ppter sermo-
 nem quē dixi uobis. Necessē est ergo ut uerbo dei credamus, & præ-
 cedat obedientia fidei, inde uero opus aut factum quod ex fide exi-
 sit, quale fuit Eleazari porcillam carnem gustare nolentis, non po-
 test non probari deo: apud quem quicquid non est ex fide peccatum
 est. Præterea habuit dominus in quibusdam hisce suis legibus de nõ
 edendis animalium quorundam carnibus sanitatis humani corpo-
 ris rationē. Quædam enim quæ hic è cibo hominū remouentur, & à
 medicis ueluti parū salutaria cõdemnantur. Vnde & illud syllogis-
 mo quodā colligunt sancti, Si corporis sanitas deo curæ est, certe ani-
 marū salus ab eodē longe diligentius pcuratur. Quid quod Gentes
 multæ à quorundā animalium & esu & cõtractu sibi temperarunt? Er-
 go ne populus Izraelis, satis alioqui superstitiosus & curiosus, hic
 aliquid sibi permitteret, pprioq; tentaret arbitrio, leges de his mysti-
 cas dedit, quibus & ab humanis retraxit inuentis, & ab alijs secreuit
 gentibus: dicere Mose in Deut. 14. cap. Populus es sanctus domino
 deo tuo, & te elegit dominus deus tuus, ut sis tu ei populus peculia-
 ris de cunctis gētibus super faciem terræ. Certe S. Petro obiicitur in
 Actis uisum quo per immūda animalia gentes repræsentantur. De-
 inde uoluit deus respici naturā & ingenium animalium quorū esum
 prohibet. In mensa enim per symbola descripsit philosophiā cœle-
 stem, suppeditans in ipsa mensa occasionē cogitandi & loquendi de
 sanctimonia uera animi, ne simus obscæni, impudentes, fixi & im-
 puri. Ideoq; subinde repetitur hæc clausula, Ego dñs deus uester san-
 ctus sum. Quasi dicat, Huc pertinent illa oīa, ut studeatis sanctimo-
 niæ. Docuit ergo in illis symbolis qd sequantur pij, quidue fugiant.

Pōnit autē primo in lege de immūdis & mundis animalibus ge-
 neralia quædā, deinde per species & per catalogum quendam pro-
 sequitur singula ordine maxime naturali. Locus est copiose expo-
 situs Leuit. 11. cap. & Deut. 14. cap. Conceduntur in usum quæ un-
 gulam findunt, & ruminant. Vbi protinus duo ponūtur, in quibus
 boni uiri officium cõprehenditur. Si enim uolumus munda esse ani-
 malia, & diuidere ungulā & ruminare oportet. Pes animi affectus
 est, qui minime sequendus est, discretio habenda in rebus, & quem-
 admodū in fissura sunt partes duæ dextra & sinistra, ita uir bonus bo-
 num eligit, fugit contrariū. Ruminatio iudiciū est. Non enim quæli-
 bet admittenda sunt quæ uidemus & audimus, sed ea duntaxat quæ
 diligenti examine expendimus, deprehendimusq; deo & legi eius
 non aduersari. Subiunguntur deinde animalia multa catalogo cer-
 to per species, quibus illicitū erat uesci populo domini. Hæc erāt uel

quadrupedia terrestria, uel aquatilia, uel uolucra, uel reptilia. Quae drupedia animantia quatuor nominatim prohibentur, Camelus qui est elata ceruice, docens superbiã ac arrogantiam modis omnibus fugiendam: Cuniculus irem uel mus montanus. Nam improbantur deo homines terrenis prorsus immerfi. Lepus animal timidum, ignauum paucorem depellendum monet: sicut & Porcus immundicie omnem. Nam typus & symbolum impuritatis est porcus, qui & Prouerbijs locum dedit. Et de Circe dicitur quod suis incantationibus Vlyssis focios conuertit in porcos. Porro aquatilia conceduntur in cibum, quae squamas & pinnas habent: si altero carerent, uetita erant, ut anguilla quae esis pinnas habeat, squamis tamen caret. Ut enim corpora piscium reguntur pinnis: sic spe firma oportet regi totum hominem. Squamae durae sunt, ac contegunt corpora: nisi uero constantes ac patientes simus in opere domini, merito abominatur nos dominus. Ex uolucris prohibentur maxime rapaces aues, uoraces, rebus impuris uisitantes & gaudentes, crepusculares, nocturnae, lucifugae, & subdolae, instabiles, et parum alacres. Comendatur ergo nobis beneficentia, abstinencia, temperantia, denique simplicitas, lux, constantia, alacritas, integritas & puritas uitae. Iam ex reptilibus quoque non pauca norantur. Nam displicent deo homines in lutum immerfi prorsus. Noli singula uentorum animalium uocabula recensere, cum quod id fuisset molestum satis, tum quod mire in his interpretandis laborant ac uariant expositores sacri codicis: ut hic non satis admirari possim extreme caecam Iudaici populi pertinenciam in delectu ciborum mordicus conseruando, cum ipsorum Rabini hic se non satis explicent, nec diserte & certo dicere possint quae nam sint illa animalia quae prohibuit dominus.

*Prohibetur
esum sangui
nis & suffo
cati.*

Huc pertinet quod ante legem, temporibus Noe, deus sanguinis, et carnis cum sanguine siue morticini, lacerati a feris, aut suffocati esum prohibuit. Ante diluuium oleribus fructibusque terrae uescerentur patres, a diluuium concessit eis et animalium esum, sed iugulare illa, sanguinemque elicere uel fundere iussit. Extrat locus Gen. ca. 9. Porro in lege magna cum seueritate dicit dominus, Quicumque de domo Israel aut ex incolis qui inter uos habitant ullum sanguinem comederit, ponam faciem meam contra animam tale, & excindam eam de medio populi sui, Leuit. 17. Ac reperitur eadem lex Leuit. 19. & Deut. 12. & 15. Iteratur subinde Leuit. 3. et 7. cap. Nec caret iustis & maximis causis quod sanguinis esum tanta seueritate prohibuit Principio enim post recitata uerba, mox subiungit, Nam anima carnis est in sanguine: & ego dedi illum uobis super altare, ad expiandum animas uestras, Sanguis enim animam expiabit. Et ob id dixi filiis Israel, Nulla anima ex uobis sanguinem edat, &c. En ratio
in his

In his redditur luculentissima cur nō liceat uesci sanguine, quia præstantissima res sanguis, utpote sanctificationi hominum destinatus. Dedit enim sanguinē deus uelut pretiū quo expient peccato. Præterea sanguis in quā redemptionis, quo absoluantur à peccato. Præterea sanguis est anima, id est alimentum uitæ. Sanguis ergo sanguinē Christi in cruce fundendū significauit, per quem ut propitiationē plenissimā expiari ac sanctificati sunt credentes: & in quo est alimentū animæ ad uitā æternam, & quemadmodū non licebat uesci de carne sacrificiorum, quorū sanguis, p peccato inferebatur in sancta, sed extra castra cremabantur: ita nephas erat uesci sanguine, utpote expiatione pro peccato. Edebat ergo sanguinē, qui expiationē sanguine Christi perfectā, suis attribuebat uiribus aut operibus, uel tanq̄ prophetam æstimabat, non plenā ei tribuens sanctificationē omniū peccatorū. Non edebat sanguinē, sed effundebat ad arā, qui beneficium redemptionis unico Christi ascribebat merito, & tanti æstimabat quanti merito æstimari debet. Deinde uoluit deus animis hominū altissime impressum, ne quis hominis effunderet sanguinem, aut ex hominis sanguine & uisceribus uiueret: quod faciunt milites mercenarij & impij, auari, usurarij, & impostores, artibus malis ui atq; iniuria effundentes uel deglutientes miserorū cruorem. Horrorem autem minis & rationibus grauissimis, cū Noë colloquens, omnibus incussit, ac dixit, Ego, si cessent homines, sanguinis effusionē ultione persequar. Cōditus est enim homo ad imaginē & similitudinē deī: unde non potest non deus in se recipere cōtumeliam, quæ illata est eius imagini. Qui enim regis deijcit imaginē, in ipsum peccat regē, & accusatur criminis læsæ maiestatis. Porro de suffocato hæc lata est lex, Ne ederis cū sanguine. Item, Ne ederis de cadauere uel morticino, aut discerpto à feris, &c. Cæterum suffocato & morticinis significata sunt opera mortuaria, à quibus se expurgare iubetur per diuinā gratiā quicūq; cupit placere deo. Suffocatis ergo uescebatur quicūq; uiuebat in sceleribus sine pœnitētia, neq; Christi sanguinē magnopere curabat.

Iam & Tactus tribus circūscribitur notis in lege, nempe si attin- *Tactus im-*
 gas rem immundā, aut gestes, aut ea tibi cadat in uas aliquod aut in *mundorū.*
 uestimentū. Casu certe contaminatur, quisquis peccat per impruden-
 tiam. Grauius peccat, quisquis sciens et uolens aut dedita opera præ-
 uaricatur. Grauissime uero delinquit, qui defendit scelera, & alios in
 ipsa impellit. Quod autē in atactu & in alijs locis dicitur immundicia
 duratura ad uesperā, apertissima textitur de Christo, pphera, nempe
 uenturum sub uesperam, id est in fine sæculi Messiam, qui expiet

peccata totius mundi. Satis superq; satis uideor hætenus per duos Sermones, uinā multo cū fructu C. V. immoratus esse legibus Cæremonialibus, ergo ut his tandē omnibus finē imponam, in summā summā redigā capita de qbus dixi, Partitus sum uniuersam disputationem in tria capita. Dixi enim de Personis sacris, de loco temporeq; sacro, & de ipsa re sacra, quā exercuerunt personæ in loco sacro, de ipsis, inquā, sacramentis, sacrificijs, & alijs nonnullis huius generis. Personæ sacræ sacerdotes sunt, Ostendimus horum originē primam, ordinationē, uestitum mysticū, & officiū uarium. De loco & tempore sacro differentes descripsimus Tabernaculū, ubi etiā annotauimus quid fuerit in tabernaculo, nimirū Arca fœderis, Mensa aurea, Candelabrū aureū, Ara thymiamatis & holocaustorū, & Labrū æneum: quorū mysteria q; perstrinximus. In tractatione temporis sacri attigimus omnis generis ferias uel festa solennia, stata & conceptiua. Postremo autē cum exponeremus res sacras & cultū sacrū, disputauimus de sacramentis ueteris ecclesiæ duobus, Circumcisione & Pascha: item de Sacrificijs, quorum alia fuerunt holocausta, alia cibaria, alia piacularia, alia item gratulatoria seu eucharistica, ubi dictum est nonnihil de Spontaneis & uotiuis, deniq; de Votis, de disciplina uel instituto Nazaræorum, de mundis & immundis, de delectu ciborum, de sanguine & suffocato, & de tactu immundorum. Dominus Iesus illuminet corda uestra, ut hæc omnia cedant ad gloriam nominis sui, & ad salutem animarū uestrarum, Amen.

De legibus dei Iudicialibus.

SERMO VII.

Uiles leges iudiciales.



EQVUNTVR iam loco postremo in tractatione legum diuinarum leges iudiciales: de quibus dicā quanta possum breuitate, & quantū C. V. ad ædificationem fore existimauero. Non inutilis & iniucunda erit hæc tractatio licet sit forensis. Nā leges iudiciales ab optimo & sapientissimo deo traditæ sunt per Mosen mira fide & diligētia. Deus autem nihil temere aut citra eximiam aliquam uilitatem tanta diligentia hominibus reuelat. Licet autem leges hæc iudiciales pauca sint, si conferas cum libris legum decretorumq; Imperatorum, Regum & hominum sapientissimorum uastissimis, in compendiosa tamen illa sua breuitate complectuntur præcipua capita iudicij & iustitiæ adeoq; tantum ferē quantum cōprehenditur in libris legum & constitutionū Imp. & iuris peritorū. Noluit bonus dñs populo suo prolixitate et copia siue onere legū molestus aut onerosus esse: neq; uero necesse

necesse erat curiosius prosequi singula male feriatorum hominum cogitata: sufficit omnibus sapientibus nationibus & populis, si tantum quibusq; sit legum, quantum satis est ad conseruationem pacis, honestatis, tranquillitatisq; publicæ. Tantum uero fuisse populo Izraelis testatur uniuersa historia sacra. Sunt autem antiquissimæ hæ leges, *Vetustissimæ leges,* & fontes quidam omnium ferè aliarum in mundo bonarum legum. Præcessit Moses omnes alios legislatores celebriores. *Vetustissimi* ex his Mercurius ille trismegistus et Rhadamanthus Licius, Aegyptij legislatorem suum Mercurium appellarunt Thoth, qui &, auctore Lactantio, Argum multioculum illum occidit, & in Aegyptum profugit. Vixit autem Argus & Athlas circa Cecropis Diphysis tempora. Cecrops autem cognatus fuisse dicitur Mosis. Rhadamanthus uero putatur uixisse post tempora Iosue. At longissimo interuallo post Mosen succedunt legislatores famosissimi maximarum & antiquissimarum gentium, Draco & Solon Athenienses, Minos Cretensium, Charondas Tyriorum, Phoronæus Argiuorum, Lycurgus Lacedæmoniorum, Pythagoras Itolorum, Romulus & Numa Romanorum. Plato de Legibus commentatur paulo ante regnum Philippum Macedonum regis, Alexandri illius magni patris. Cicero quoque 2. lib. de Legibus. Hanc igitur, inquit, uideo sapientissimorum fuisse sententiam, legem neq; hominum ingenijs excogitaram, nec scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod uniuersum mundum regeret imperandi prohibendiq; sapientia. Ita principem legem illam & ultimam mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis aut uentis dei. Ex quo illa lex, quam dii humano generi dederunt, recte est laudata: est enim ratio mensq; sapientis ad iubendum & ad detrahendum idonea. Et reliqua. Commendantur ergo nobis dei leges iudiciales, non tam antiquitate, quam autoritate diuina.

Cæterum Iudicare, ut clare et distincte de hac re differamus, actio *Iudicare,* est: & in præsentem forensis quidem actio: significans uidelicet discernere inter litigantes, uel ius dicere, audita inquam causa pronunciare ferreq; sententiam. *iudex, iudicium & leges iudiciales, quid:* Iudicare deniq; est periclitantes asserere, oppressos releuare, afflictos ueri, & noxios sceleratosq; punire ac coercere. Proinde Iudicium non est confessus duntaxat iudicium, qui ad iudicandum conuenerunt: sed ipsa magis discussio diligens causarum, pronuntiatio secundum æquum & iustum ex dei legibus, item assertio & defensio qua asseruntur boni, atq; supplicium quod sumitur de noxijs atq; maleficis. Iam uero Iudices sunt præfides iudicij, & iustij, illi uidelicet qui iuste secundum leges inter litigantes

DE LEGIB. DEI IUDICIALIB.

res pronunciant, qui afferunt atq; tuentur bonos, malos autem coercerent atq; puniunt. Itaq; leges Iudiciales istæ sunt, quæ iudices informant quid decernant in controuersijs & quaestionibus, quomodo iudicent iuste, quomodo puniant malos, & defendant bonos, ut apud omnes constet pax, honestas, iustitia & tranquillitas publica: qui sanè iudicis & omnium legum iudicialium unicus scopus est. Nam deus legislator bonus dominus uult omnino bene esse homini, ipsumq; beare honeste & tranquille uiuere. Vnde hic ne curam quidem & defensionem puræ religionis excludimus, sed inter prima collocamus.

*Iudiciales
leges pertinent
ad
decalogū.*

Quemadmodū uero Cæremoniales leges, sic & Iudiciales à deo adiectæ sunt decalogo ad explicandū & muniendum decalogum. Decalogi enim præcepta primaria sunt præcepta, ad quæ omnes oportet referre leges, ceu ad mentem dei æternam, Non puto autem necessarium esse ut multis ostendam C. V. ad quas decalogi leges singulæ iudicialium referantur. Clarum enim est id negotij, & cui liber conferre uolenti perspicuum. Nam quæ pronunciantur contra cædes & iniurias, pertinent ad mandatum, Non occides. Quæcunq; proferuntur contra adulteria, cõtra fornicationem, et nephandas libidines, subiunguntur illi præcepto, Non moechaberis. Quæcunq; dicuntur in legibus contra dolum malum, contra artes, imposturas usurasq;, pertinent sub legem, Non facies furum. Quæ uero differunt de coercendis uel hæreticis & apostatis opprimendis, illustrant primum & secundum, adde & tertium & quartū mandatum tabulæ primæ. Quædam enim leges ad plura possunt aptari præcepta decalogi. Verum hæc obuia & proposita sunt quibuslibet; unde nolo ijs in hærerere diutius.

*Leges de
Iudicibus.*

Quoniam autem leges iudiciales ante omnia requirunt Iudices, legum inquam conseruatores & exequutores (leges enim mortuæ uidentur sine exequutoribus, uiuæ sub iusto magistratu, qui eam ob rem appellatur lex uiua) præcedunt sanè omnes alias leges iudiciales illæ quæ largi sunt diuinitus de magistratu siue iudicibus eorumq; electione & officio. De Electione hæc legimus, Date ex nobis, ait Moses ad populum, sapientes, prudentes, & spectatæ probitatis uiros de tribubus uestris, & constituam illos uobis in præfides. Item, Iudices & præfectos constituas tibi secundum tribus tuas in omnibus ciuitatibus tuis, quas dominus deus tuus dat tibi, qui iudicent populum. Et adhuc clarius, Ex omni populo (ait ad Moſen Iethro diuinitus inspiratus) prospice uiros uirtutis seu fortes & strenuos, timentes deum, uiros ueraces ac fideles, odiētes auaritiā, nimirum qui

qui oderint accipere pecuniam & munera, & præfice illos tribunos, centuriones, quinquagenarios et decuriones: illi iudicent populum omni tempore. Id si feceris seruabis tum instituta dei, tum populi incolunitatem. Huc pertinet quod legimus in Numeris precatum dixisse Moſen, Præficiat dominus deus ſpirituum uniuersæ carnis, uirum ſuper hunc cœtum, qui egrediatur & ingrediatur ante eos: ut non ſit cœtus domini ueluti oues quæ paſtorem non habent. Reliquit autem nobis exemplum Moſes orandi deum in electionibus. Sæpe enim fallunt nos noſtra iudicia de hominibus: deus autem ſpiritus, animos & corda intuetur, & nouit qualis quiſq; ſit intus & incute. Is ergo orandus eſt ut nobis det uel oſtendat non hypocritas, ſed uiros uirtutis & ueritatis. In eodem loco relinquit nobis Moſes deſcriptionem ritus inaugurandi electos iudices. Nam ſtangebantur ante dominum, & imponebantur eis manus cū precationibus. Porro officium iudicum paucis quidem uerbis, ſed ſententijs efficaciſſimis & abſoluiffimis in hæc uerba dominus per Moſen deſcribit, Audite cauſas fratrum ueſtrorum, & iudicate iuſte inter uirum & fratrem eius, & inter peregrinum eius. Non agnoſcetis facies, nō recipietis perſonas in iudicio: ut paruum ita & magnum audiat: nec quenquam mortalem formidetis. Iudicium enim hoc dei eſt. Item, iudicate populum iuſto iudicio: ne ſectas iudiciū, neq; agnoſcas perſonam, neq; accipias munus: quoniam munus excaecat oculos ſapientum et peruertit cauſas iuſtas. Iuſtitiā iuſtitia perſequaris, ut uiuas & poſſideas terram quam dominus deus tuus daturus eſt tibi. Et iterum, Ne feceris iniquum quid in iudicio, ne ſuſcipias faciem pauperis, nec reuerearis faciem potentis, ſed iuſte iudicabis proximo tuo. Rurſus, Ne receperis rumorem falſum, ne ſequaris multos ad malefaciendum, neq; reſpondeas in iudicio declinando poſt multos ut peruerſum quid committas. Id eſt, ſi uideris innoxium damnari à multis, noli ideo & tu ipſum damnare, quia maior numerus illum damnat, ſed iuſte iudica, neq; quicquam iniqui committas propter multitudinem ſuffragiorum. Ne ornaueris paupere in cauſa ſua: neq; inflexeris cauſam pauperis tui. A uerbo mendaci longiſſime abſis. Innocentem & iuſtum ne occideris. Nō enim iuſtificabo impium. Aduenæ ne uim inferas, neq; opprimas eum. Fuisti enim & uos aduenæ in Aegypto.

Ac deus quidem populo ſuo quem ex Aegypto à regum tyrannide liberauit, non iterum regibus ipſum ſubſtrauit, neq; regalibus tributis impoſitis onerauit: rempublicam ſue ariſtocratia, optima principum inquam ex plebe delectorum regimen optimum, inſtituit: ſed

*Inſtitutio
regis &
principum*

DE LEGIB, DEI IUDICIALIB.

quia non ignorauit populi sui stultitiam, & quod libertatis peritus regem erat postulaturus, quam rem tum quoque multis & ualidis rationibus per Samuelem dissuadebat, regi quoque dictauit leges, ut *z. Sam. 8.* is intelligeret etiam ipsi uiuendum esse sub legibus, & iudicandum secundum leges. Institutio regis est huiusmodi, Cum ueneris in terram quam dominus deus tuus daturus est tibi, & dixeris, Constituam super me regem, quemadmodum omnes gentes quæ circum me sunt, Omnino regem super te pones quem elegerit dominus deus tuus; de medio fratrum tuorum constituens super te regem: non autem poteris tibi præficere hominem alienum, qui non est frater tuus. Veruntamen hic non parabit sibi equos multos: neque populum in Aegyptum reducat, quo equos multiplicet, id est fortem sibi comparet equitatum. Nam dominus dixit uobis, Ne ultra redeatis per uiam istam. Deinde ne sibi multas mulieres pareat, ne deficiat cor eius: neque multiplicet sibi multum auri & argenti. Cum sederit in solio regni sui, describet sibi exemplar huius legis ad exemplar libri sacerdotum Leuitarum: eritque illud penes eum, ut legat in eo cunctis diebus uitæ suæ, ut scilicet discat timere dominum deum suum, & seruare omnia uerba legis huius, atque statuta ista, ut faciat ea. Et ne extollat cor suum supra fratres suos, neque recedat à præcepto uel ad dextram, uel ad sinistram, ut proroget dies in regno suo, ipse & filij eius in medio Israelis. Hæc de magistratu, iudicibus, & regibus hæctenus. Puto autem in hac regia institutione comprehendi quæcunque ab alijs authoribus de principis educatione & institutione profusissime proferuntur. In primis autem illud obseruari decet, quod reges uerbo & legibus dei non præficiuntur tanquam domini & moderatores, sed subiiciuntur ueluti à deo per uerbum iudicandi, et qui omnia ad normam uerbi dei debent moderari.

Iam uero recitandæ nobis ueniunt aliquot leges iudiciales, non omnes quidem & singulæ, sed aliquot & potiores: ex quibus alias liceat æstimare, & palam perspicere Israeliticum populum nulla lege necessaria & utili fuisse destitutum. Per compendium autem illas enumerabo & ordine maxime naturali ac perspicuo.

Res sacræ. De ædificijs sacris, & non alienandis rebus deo consecratis, denique de tuenda & propaganda uera religione multus est sparsim in lege sermo. Nec puto operepretium uerborum omnes recitare leges aut proferre ea quæ de his præcipiuntur. Certè de Paganis eorumque templis & sacris subuertendis, breuibus hæc præcipiuntur à domino, Quum elegerit ante te dominus deus Gentes multas, exterminabis eas, nec serias cum eis pactum, nec miserearis eorum, nec iungas
cum

rum eis affinitatem: quoniam filium tuum seducunt, ut seruiat dijs alienis, & irascatur furor meus contra te, & deleam te. Sic autem facies eis, Aras eorum diruentis, statuas eorum confringetis, lucos eorum succidetis, & simulachra eorum comburetis. Nam populus sanctus es tu domino deo tuo, & te elegit dominus deus tuus, ut sis ei populus peculiaris. Eadem lex ponitur Exodi 23. & reperitur Deut. 12. Huc pertinent leges promulgatæ contra statuas & imagines. *Idololat*
Leuit. 19. dicit dominus, Ne respiciatis ad idola, neque deos fusiles uobis faciat: ego dominus deus uester. Itē 26. cap. Ne feceritis uobis idolum aut sculpile, neq; statuam erexeritis uobis, sed nec lapidem figuratum ponatis in terra uestra, ut adoretis ad eum; quia ego dominus deus uester. Item Deut. 16. Non plantabis tibi lucum ex ul- *tria.*
lis arboribus iuxta aram domini dei tui: neq; eriges ibi statuā quam odit dominus deus tuus. Sunt autem huius generis leges plurimæ passim in scripturis expositæ.

De pauperibus, uiduis, pupillis, orphanis & peregrinis bene tractandis ita præcipit dominus, Nullam uiduā nec pupillum affligetis. Si uero omnino illos affligere perrexeritis, indubie ad me clamabunt, & ego certissime exaudiam eos, & irascar uobis, ac interficiā uos gladio, & erunt uxores uestræ uiduæ, et filij uestri orbi. Huc pertinet bona pars cap. 15. in Deuteronomio. In 24. cap. Ne declines iudicium peregrini & pupilli atq; uiduæ. Memineris quod & tu fueris peregrinus in terra Aegypti. *Pauperes.*

De testibus & testimonijs in iudicio recipiendis & repudiandis, *Testes &*
paucula hæc traduntur in lege, Non stabit testis unus contra aliquē, *testimonia.*
quicquid illud peccati & facinoris fuerit: sed in ore duorum aut triū stabit omne uerbum. Quod si steterit testis mendax contra hominem accusans eum præuagationis, iudices diligenter inquirent ac scrutabuntur, cumq; deprehenderit testem dixisse mendacium, reddent ei sicuti fratri suo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui. Cæterum iuramentum quod exigant iudices & præsentant litigantes, uel testimonia dicentes, iubet fieri dominus sub obtestatione & inuocatione diuini nominis, & solius quidem, Deuterono. 10. &c.

Porro appellationis speciem habet quod toties iubet Moses in *Appellae*
caussa dubia & difficili recurrere iudices ad summum sacerdotem, *tio.*
adeoq; ad ipsum deum uel diuinum oraculū: sicuti uidere licet Exodi 18. & Deut. 1. & 16. cap.

De Nuptijs legitimis contra incestas & inutiles nuptias, item de *Nuptiæ.*
gradibus consanguinitatis & affinitatis, diligentissime præcipitur

DE LEGIB. DEI IUDICIALIB.

Leuit. 18. cap. tum & alijs in locis librorum Mosis. Certe ubi non sunt legitimæ nuptiæ, ibi nullum matrimonium: qui ergo nascuntur liberi, spurij censentur: nec ulla ibi hæreditas, nullæ dotes.

Parentes
& liberi.

Præcipit dominus parentibus multis in locis legis suæ, ut liberos suos honeste educant, & sancte instituant. Inter alia, Inculca, inquit, uerba ista quæ ego tibi præcipio hodie filijs tuis, & loqueris de eis cum domi tuæ resides, et cum ambulas in itinere, cum abis cubitum, & cum surgis, Ligabis deniq; ea in signū ad manū tuā, eruntq; monimēta inter oculos tuos, scribes quoq; ea super postes domus tuæ, & in portis tuis, &c.

Rursus de honorandis, colendis, alendisq; parētib; nō modo in moralibus, sed etiā in iudicialibus legibus quædā, pponūtur quibus diligentissime cōmendantur. De quibus dicitur ubi uentum fuerit ad parriciū, sub quo & malā parentū tractationē cōprehendimus.

De patria
potestate.

Porro quanta fuerit potestas patria, ex illis potissimū possumus colligere, quod Exodi 21. pmittitur patri oppresso paupertate uendere filiā: item quod alibi cōceditur patri potestas contumpratā filiā, ei qui cōpressit uel locandi in matrimonio, uel negādi: rursus quod pater potuit uorū deo nuncupatū, si inscio & non consentiente ipso

Exhæres
dare.

fuisse nuncupatū, rescindere. Numeri 30. Cæterū exhæredationē liberorū non fuisse in arbitrio parentum, si liberi exhæredationem non meruissent, sed parētes, corruptius aliquis affectus transuersum raperet, ostendit lex promulgata Deut. 21. prohibens ne pro primo genito secundogenitum substituat pater.

Hæredi
das.

De adeundis hæreditatibus & successione honorū, siue de legitima cognatorū successione, diligentissime præcipitur Num. 27. Ponitur casus filiarū Zelphad postulantū ne nomen deleatur paternū, sed ipsis concedatur cum nomine paterna hæreditas. Ex ea occasiō fertur lex, decedentibus filijs ad filias hæreditatem transferri, aut certe ad proximos quosq; sanguine iunctos. Eo pertinet etiam lex de suscitando semine fratris, ac totum fermē caput Numeri 36. Locum hic habet Adoptio.

Supra
adulteria.

Porro de Stupris, adulterijs, et raptu uirginū multæ sunt leges utiles, honestæ & salutare. Deut. 23. dicitur, Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filijs Israel. Ibidem repellit oblationes lectas ex prostibuli mercede. In Leuitico præcipitur, Ne prostituas filiam tuā ut scortari eā facias, ne contamineur terra & impleatur piaculo. Ergo Deut. 22. iubetur uirgo quæ corrupta ad sponsum, mentita uirginitatē, uenisset, lapidari, pxime ante parentū fores: ut parentes tam diro facinore excitarentur ad accuratā custodiam liberorum.

Exodi

Exo si 22. ita præcipitur, Si quis seduxerit uirginē, dormieritq; cū ea, dabit eam, habebitq; uxorem. Grauiſſimæ leges lætæ sunt contra ſupra & adulteria Deut. 22. cap. Supplicio enim capitis affecti ſunt adulteri. Eodem fuit affectus ſupplicio, ſi quis uirginē rapuiſſet. Suſpicionibus & zelotypiæ conſultur in Numeris cap 5. Contra libidines nephandas illicitas & planè diabolicas, ſeueriſſimæ ſed iuſtiſſimæ leges ſunt promulgatæ, uidelicet contra hædiſſimos inceſtus, contra Sodomiam abominabilem, contra horribilem & cum natura pugnantem beſtialitatem, contra horribilem & à deo maledicta ſcelera, Leuitici cap. 18. & 20. cap.

Diuortia & repudia permittit lex Deut. 24. & permittit quidē propter duriciem cordis Iudaici populi, & ne quid grauius eueniret, ni mirum ne quis eam quam odiſſet ueneno è medio tolleret, aut aliàs ſtrangulareret uel confoderet. Repudio autem ſeparatis permittebantur alia ac noua quidem coniugia.

Porro ut iuſtitia colatur inter homines & ſuum cuiq; cedat, diligenter in lege præcipitur de rerum diuiſione, de partienda terra promiſſa, æquis ſpacijs, de diuidendis agris, de peculio, ut cuiſlibet tribui ſorte diſtribuantur poſſeſſiones, et ne quis datas quibus modo alienet. Huc enim pertinent quæ dicuntur à Moſe Numeri 32. 33. 34. & aliàs ſæpe in alijs locis.

Interea non prohibebatur cõmutatio. Nam leges quoq; promulgatæ ſunt multæ & æquiſſimæ de emptione & uenditione, de locatione & conductione, de mutuo, accommodato, uſuris & deposito. Loca ſi quis in lege requirat inueniet Leuit. 25. Exodi 22. Deut. 15. & 23. cap. Eo referendū puto, quod de hypothecis ſeu pignoribus præcipitur, Si in pignus acceperis uestimentū proximi tui, ſub occaſum ſolis id ei reſtitues. Hoc enim eſt tegumentum eius unicum: hoc eſt uestimentum eius quo carnē ſuam contegit, in quo dormit. Fiet autem, ut ſi ad me clamauerit, audiam eum: quia miſericors ſum. Item, Ne acceperis loco pignoris inferiore & ſuperiorem molarem: quia ille id unde uiuit tibi oppignerauit.

De deposito ſiue rebus creditis & iureiurando mandans lex, iubet quemlibet bona fide depositum alteri reddere. Si uero ei apud quem fuerat depositum ſit furto ſublatur, purget ſe depositarius, interpoſito iureiurando, apud magistratum. Eadem ratio iubetur ſeruari in alijs rebus mutuo acceptis, amiſſis item, aut contractis. Legatur cap. 22. Exodi.

Et quoniam non minimam facultatim portionem ueteribus poſſidiam conſtat in ſeruorum gregibus, lex diuina multis agit de ſer-

DE LEGIB. DEI IUDICIALIB.

- nitate & seruis, de mancipatione & manumissione. Diligentissime interim iubet seruos humaniter & clementer tractare, sexennioq; finito dimittere liberos. Quod si seruo alicui sexennio exacto placuisset manere in domo herili, concedebatur id quidem: sed ut confirmaretur per mancipationis ceremoniam uoluntaria illa seruitus, nempe ut ductus seruus ad iudices, testaretur se seruiturum uoluntarie, deinde & auricula eius inferior foderetur affigereturq; ostio. Quod quidem obedientiæ & fidei erat symbolū. Nam Dauid huc respiciens, dixit dominum perfodisse ei aurem, id est, per fidem obstrinxisse ad obedientiam. Iam uero & manumissionem iustus cum scripsit legibus, nimirum ne quid permitteretur auaritiæ aut crudelitati dominorum. Quæ quidem omnia multis describuntur Exodi 21. Ad clementiam illud quoq; referre oportet, quod Deut. 23. dicitur, Non trades seruum domino suo, si ad te confugerit: sed habet in loco aliquo ad quem confugerit. Simul tamen grauissime prohibetur Plagium. Plagium cōmittunt qui alienos sollicitant seruos, ut uel à dominis suis aufugiant: uel qui abducunt seruos furto aut rapina, & hos sibi uel seruant, uel alijs diuendunt. Contra hos hæc lata legitur lex, Qui furatus fuerit hominē, et uendiderit eū, & cōiuctus fuerit noxæ, morte moriatur. Ac repetitur ea lex Deut. 24.
- Mancipatio.* De Ingenuis pauca traduntur in lege: remouentur autem à publica administratione aut functione scorto nati & habentes obscuros natales. Excluduntur ex administratione reipub. peregrini homines, Ammonitæ & Moabitæ, Deut. 23.
- Manumissio.* Omnis fraus, impostura, rapina, dolus malus & uersutia prohibetur in lege sub furti uocabulo. Nam Leuit. 19. legitur, Nō facietis furtū, non mentiemini, nec decipiet quisq; proximū suū. Et Deut. 19. Nō transferes terminos pximi tui. Furtū punit dominus Exodi 22.
- Plagium.* quadruplici uel quintuplici restitutione: quā nisi quis præstaret aut fecisset, uendebatur, in seruitutēq; coniciebatur extremā. Quod si apud furem res furtiua fuisset deprehensa & recuperata, rependebat duplum. Sub hanc legem pertinent quæcunq; dicuntur contra sacrilegium, abiegatum & peculatū, item contra plagium, de quo iam pauca diximus. Huc pertinet æquissima & præstantissima hæc lex, Ne neges aut ui retineas mercenario pauperi & inopi, siue sit de fratribus tuis, siue de peregrinis qui sunt in terra tua, mercedē. Die suo dabis ei mercedē suam, & ante solis occasum quidem, quia pauper est & sustentat ex eo uitam suam: ne clamet contra te ad dominum, & cedat tibi in peccatum.
- Infames natales.* De damno dato aut accepto, & de restitutione in integrū multa sunt.
- Furtum & fraus.*
- Restitutio.*
- Sacrilegium.*
- Merces laboris.*
- Damnum datum & acceptum.*

sunt in lege domini constitutiones, Si quis foderit cisternam, inquit lex, nec operuerit diligenter, cecideritq; in eam iumentum aut pecus alterius, referuet sibi dominus cisternæ animal quod perijt, animalis autem domino pretiū annumeret animalis. Similis est lex de boue cornupera Exodi 21. In 22. cap. conceditur actio rationis, si prati fuerit depasitū, si seges aut uinea fuerit uasata. Iuber enim lex aliud pratum, aliam segetem uel uineam, nec uilem quidem illam, sed optimam restituere ei qui damnum accepit. Ita si quis immisisset ignem in spinas, & ignis per incuriā immiuentis inuasisset fruges uel stantes uel cōgestas, absumpsissetq;, cogebatur hic qui per incuriam suā alteri dederat damnum sarcire illatum. Repetitur hæc lex Leuit. 24. In Deut. 22. plurima ponuntur quæ sub hunc titulum referre oportet: cuius quidem generis est, quod iubemur bouem errantem reducere, inuentas res restituere ei qui perdiderat: probe munire ædificia tua, ne quid damni inde forte fortuna accipiat frater tuus. Ab his nō est aliena lex illa quoq;. Locus sit tibi extra castra ad quē foras egrediaris, lignumq; præacutum in baltheo, quō sedens fodias, conuersusq; operias excrementum tuum. Etenim in iure ciuili tractatur etiam huiusmodi res: sed & ipsa necessitas requirit ut in repub. certę sint leges de cloacis, de ædificijs, ne alter alteri excrementis egerendis, aut ædificijs nouis collocandis, molestus & oneri sit. Hoc loco licet & leges commemorare de leprosis separādis, nimirum ne contagium serpens damnum det uicinis. Multis tractantur leges de Leprosis & leprosis in Leuit. 13. & 14. cap.

Pondera æqua & mensuras iustas hac lege constituit dominus, *Pondus & mensura.*
 Ne sint tibi in saculo tuo diuersi lapides, magnus scilicet & paruus: ne sint tibi in domo tua diuersa epha, magnum scilicet & paruum. Quin pondus æquum & iustum sit tibi, & epha æquum & iustum sit tibi, ut prorogentur dies tui in terra quam dominus deus daturus est tibi. Nam abominatio est deo tuo quisquis ista facit, & iniquitatem perpetrat. Hæc habentur Deut. 25. & repetuntur eadem Leuit. 19. cap.

De publicis iudicijs, de maleficijs & pœna fontium, habentur *Pœna fontium.*
 leges in libro domini multiplices. Maleficos, ait dominus, non patieris uiuere. Item, Non interficientur patres pro filijs, nec filij occidentur pro patribus: sed quisq; pro peccato suo interficietur. Nec iacet lex modum suppliciorum, gladium, lapides & ignem dans in manus iudicis. Alicubi relinquitur iudici decernenda pœna fontis ex circumstantiā commissi sceleris, quomodo uidelicet puniatur, in corpore ne an in fortunis, in membris an in uita, uirgis ne cædatur an

DE LEGIB. DEI IUDICIALIB.

proscribatur. Leuitici 20. cap. omnia ferè scelera morte expianda commemorantur Ita cap. 13 & 21.

Malefici et mathematici.

De maleficis & mathematicis copiose differitur Deut. 18. Per cõpendium in Leuit. 19. cap. dicitur, Non augurabimini, neq; obseruabitis somnia. Non declinabitis ad magos, nec ab hariolis aliquid sciscitabimini, ut polluamini per eos. In hos mortis & extremi supplicij sententia proferitur, Leuit. 20. Exodi 22. pronunciat disticta sententia, Malefica mulier ne uiuat.

Hæretici et Apostata.

Contra hæreticos, schismaticos & apostatas, siue pseudopphetas, pronunciat lex Deut. 13. & 18. cap. docens significatissime quomodo sint tractandi. Cognata his est lex de lapidandis blasphemis hominibus, quæ continetur Leuit. 24. capite: item lex de sabbari contemptroribus & uiolatoribus ex Numeri 15. cap.

Seditiosi et calumniatores.

Contra seditiosos et calumniatores multa in lege passim traduntur. Seditiosi erant Chore, Dathan, & Abyrom. De quibus dicitur Numeri 16. Si quis uxoris suæ pudicitiam aut famam bonam malelitiose læsisset, uel in pecunia, uel uerberibus incussis, multabatur, sicut uidere licet Deut. 22. Leuit. 19. præcipitur, Non eris criminator aut susurro in populis; ne oderis fratrem tuum, sed palàm argue eum. Item Exodi 22. dicitur, Dijs non deuahes, & principi populi tui non maledices.

Homicidia

Cæterum homicidij multa sunt genera, quorum alia alijs leuiora sunt, aut grauiora. Excellit in his dirum parricidium, sub quo comprehendimus & malam tractationem parentum. Qui percussit patrem aut matrem, aut eis maledixerit, ait lex, morte moriatur. Iubetur item cædi rebellis, qui ausus fuerit se opponere æquis Seniorum sententijs & iudicio sancto. Deut. 17. capite. Rursus Deut. 21. Si quispiam filium habuerit defectorem, contumacem, proteruum & rebellem, qui uocem patris sui & matris suæ audire noluerit, cumq; castigauerint eum, & noluerit obtemperare, apprehendent eum parentes eius, educentq; eum ad Seniores urbis illius, & ad portam eius loci, dicentq; ad Seniores ciuitatis illius, Filius hinc noster defector est & rebellis, nec uult audire uocem nostram, commessor est & porator: & mox lapidibus eum obruent omnes ciues illius ciuitatis donec moriatur: & expurgabis malum de medio tui, ut omnes Israelitæ audientes timeant. Est præterea Homicidium aliud quidem inuoluntarium, aliud uoluntarium. Inuoluntarium quale sit, illustratur exemplo Deut. 19. cap. ubi talis proponitur casus, Eunt concordēs amici duo cęsum ligna in syluam, inter cędendam autem excutitur ferrum è manubrio illius, & impetu fertur in
hunc

hunc, quem & ad necem uulnerat. Huiusmodi factum non imputat deus auctori, sed sibi, nec uult illi imputari. Concedit ergo refugium in asylum. *Asylum.* Huiusmodi enim homicidis, non latronibus aut sicarijs, non ueneficis aut parricidis uoluit patere asyla. De quibus copiose agitur Numeri 35. cap. & Deut. 4. & 19. cap. Ad inuoluntarium homicidium, nempe quod non destinata mente patrat, pertinet etiam illud, Pugnant inter se uiri, & inter pugnandum feminam gravidam impellunt, ut uel ante tempus pariat, uel moriatur prorinus. In eo casu quid fieri debeat exponitur Exodi 21. Vbi & lex Talionis proponitur, Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, &c. Ibidem ponitur & aliud homicidij genus quod fit per iumentum tuum, utpote taurum cornuperam, uel lupum, aut canem quem domi tuæ alis, uel per instrumentum quodpiam, aut ædificium quod est in tua potestate. Nesciisti autem, uel sciisti animalis ferociam, aut instrumenti, uel ædificij uisum. Si nesciisti, excusatus es. Si sciisti, nec prohibuisti malum, occidaris iubet dominus. Si uero ex clementia concedatur redemptio uitæ, nullam quantumuis magnâ recusabis an numerare summam pecuniæ. Porro cædes uoluntaria, quæ fit uoluntate destinata per insidias aut maleuolentiam, nulla necessitate impellente, nullam in lege dei ueniam meretur. Talem, inquit lex, auelles ab arua mea ut occidatur. Nulla hic admittitur redemptio, sed districtè deposcitur sanguis homicidæ. Causæ huius seueritatis ostenduntur multæ: sicuti & alia quædam huic pertinentia non pauca leguntur Numeri cap. 35. & Exodi 21. cap. In 21. cap. Deut. describitur actio parum ceremonialis, parum iudicialis, de incerto auctore cædis patratæ in agro aliquo. Vbi etiam modus præscribitur cædis expiandæ: unde colligere licet, quàm horrendum peccatum sit cædes in oculis dei & ecclesiæ catholicæ.

Postremo non transit intactam lex rem militarem. Nam præcepta dat de bello suscipiendo, gerendo, & deponendo. Leguntur ea Deut. 20. cap. Sed & exempla bellorum non leuium proponuntur in lege, in primis Amelechiticum Exodi 17. & Madianiticum Numeri 31. cap. ubi & de spolijs uel manubijs diuidendis sermo habetur. *Res militaris.*

Scio fratres me hac Legum commemoratione C. V. satis molestum fuisse: quoniam uero deus summus & sapientissimus nihil agit sine causis grauibus, & sine luculenta uilitate hominum, non potui intactam hanc legis partem transire, quàm uideo tanta diligentia traditam esse ab ipso deo, & quæ facit permulsum ad mora-

Epilogus.

DE VSU, IMPLET. ET ABROG. LEGIS.

lium legum & illustrationem & conseruationem. Nouit bonus & omniscius dominus ingenij humani tarditatem, ineriam & malitiam, quod ad bonum perficiendum fugiendumq; malum non raro uim requirit. Adhibuit ergo hominibus sanctā uim sanctus dominus per leges hæc iudiciales. Moralibus format mores, & docet quid faciamus, quid fugiamus. Cæremonialibus iuuat moralia, & mysteria regni dei sub typis & imaginibus proponit oculis animi & corporis contemplanda. Iudicialibus uero & perpellit nos ad legum custodiam & integritatem legum conseruat. Omnia uero & singula hæc huc unice spectant ut seruetur homo, ut deum recte colat & uiuat secundum uoluntatem dei. Hæc hactenus differui, de iuuante, de Lege dei. Laudemus iam dei bonitatem, qui nulla re necessaria populum suum destituit, sed & nos hodie istis omnibus erudit ad gloriam nominis sui & animarum nostrarum salutem.

De Vsu uel effectu legis diuinæ, de impleione & abrogatione eiusdem: de similitudine & differentia utriusq; cum Veteris tum Noui testamenti & populi. SERMO VIII.



VANQVAM uero Legem dei cum suis partibus qua potui diligentia, & copiosis Sermonibus hucusq; enarrauerim, nondum tamen omnia necessaria dixisse & colophonem addidisse uideor, nisi iam adijciam disputationem de Vsu, effectu, impleione, & abrogatione Legis diuinæ, licet alicubi in hisce nostris Sermonibus idem argumenti attingerim. Ex ea uero dissertatione uel expositione intelliget C. V. unicum esse testamentum ueteris & nouæ ecclesiæ dei, & unicam esse rationem salutis ueræ, omnium quicumq; saluati sunt, & saluantur in hoc seculo: intelliget quid nouum testamentum differat à ueteri. Ac necessaria quidem & ualde utilis erit hæc tractatio, cum ad intelligenda multa in scripturis sanctis loca, tum ad perspicuitatē quoq; & saluberrimum usum eorum quæ hucusq; disputata sunt à nobis de Lege. Dominus auctor & mens perfectioq; Legis concedat nobis ea loqui, quæ illustrent gloriam nominis eius, & iuuant animarum nostrarum salutem.

De usu & effectu legis dei. Est autem uarius & multiplex Vsus diuinæ legis, sed patitur interim se astringi ad numerum ternarium: dicimus ergo usum legis diuinæ esse triplicem. Principio enim præcipuum & proprium legis officium est, conuincere omnes homines peccato obnoxios, ac sua culpa

culpa propria filios esse mortis. Exponit enim nobis lex dei uolun-
 tatem dei sanctissimam, exponendoq; requirit à nobis iustitiam per-
 fectissimam, Nam lex ea de causa appellari solet testimonium diui-
 næ uoluntatis, & perfectissimum exemplar diuinæ puritatis. Et huc
 quidem pertinet quod in euangelio recolligens dominus summam
 mandatorum dei dicit, Primum omnium præceptorum est, Audi Is- *Summa*
 rael, dominus deus uester, deus unus est: & diliges dominum deum *perfectio le-*
 tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & *ge requiritur à no-*
 ex totis uiribus tuis. Hoc est primum præceptum. Et secundum simi- *bit.*
 le hoc est, Diliges proximum tuum ut teipsum. Maius his aliud præ-
 ceptum non est. Ergo huc quoq; pertinet illud apostoli Pauli, Finis
 præcepti est charitas, ex puro corde, & conscientia bona, & fide non
 simulata. Cum autem perfectissimam iustitiam ac dilectionem, a
 deoq; cor purum requirit à nobis lex, certe omnes homines con- *Nullus*
 demnat peccati, iniustitiæ & mortis. Nam lege dei etiam hoc di- *mortalium*
 serie pronuntiatur, Maledictus omnis qui non manserit in omni- *perfectus.*
 bus quæ scripta sunt in libro legis ut faciat ea. At quorus quisq; no-
 strum facit omnia legis? Quis oro hominum habuit uel habet etiam
 hodie cor mundum? Quis hominum ex toto corde, ex tota anima
 & mente semper dilexit aut diligit etiam nunc deum? Quis homi-
 num nihil unquam mali concupiuit: aut quis non concupiscit quo-
 tidie? Imperfecto ergo & peccatū lege uel indicio legis apprehendi-
 tur in homine, ut non dicam hic aliud grauius. Quid hic dicemus?
 Vbi oro apparet in homine diuina & perfectissima illa, quam lex
 requirit, iustitia? Iob clamat, Vere scio quod non iustificabitur homo
 compositus deo. Vel, Quomodo iustus inuenietur homo si confera-
 tur cum deo? Si uoluerit contendere cum eo, non poterit ei respon-
 dere unum pro mille. Item, Si quippiam iustum habuero, non re-
 spondebo, sed meum iudicem deprecabor, &c. Succinit huic Ioan-
 nes apostolus, & ait, Si dixerimus, Peccatum nō habemus, nos ipsos
 fallimus, & ueritas in nobis non est. Item, Si dixerimus, Non pecca-
 uimus, mendacem facimus eum, & sermo eius non est in nobis.
 Proinde hac ratione lex speculum quoddam est, in quo contempla-
 mur nostram corruptionem, imbecillitatem, impotentiam, imperfec- *Lex palam*
 tionem, iudicium nostrum, id est, iustam nostram condemnationē. *facit pecca-*
 Nam apostolus disertè dicit, legem esse latam, ut palam faceret trans *tum, & no-*
 gressiones, atq; eo modo cogeret homines ad agnitiōē suæ imper- *stram mise-*
 fectionis suiq; reatus. Nemo enim nostrum sibi ipsi in sinum & in *riam pre-*
 proprii pectoris sui latebras inspicit, sed indulgemus nobis omnes, *fert.*
 nec arbitramur res nostras ita corruptas esse, ut reuera sunt: lex ergo fert.

subit & excutit animi & pectoris nostri omnes latebras, & profert peccatum & omnem nostram corruptionem. Ante legē, inquit apostolus, etsi peccatum esset in mundo, non tamē imputabatur uel reputabatur. Idem quoq; Lex iram operatur, ait, Nam ubi non est lex, ibi nec præuicatio. Et iterum, Per legem est agnitio peccati. Nam ad Rom. 7. idem apostolus plenius dicit, Peccatum non cognoui nisi per legem. Nam & concupiscentiam non nouissem, nisi lex dixisset, Non concupisces. Sed occasione accepta peccatum per præceptum genuit in me omnem concupiscentiam. Siquidem absq; lege peccatum erat mortuum: ego autem uiuebam sine lege quondā: ueniente autem mandato, peccatum reuixit: ego uero mortuus sum. Et repperit mandatum quod institutum erat ad uitā, mihi cedere ad mortem. Et reliqua. Nam bona pars huius capituli huc pertinet. Est itaq; hoc proprium Moysi officium, legisq; usus & effectus primarius, ostendere homini morbum siue peccatum.

Moses non tantum iugulat, neq; lex duntaxat occidit. Qui autem hic subsistunt, nec ullum præterea legis usum & effectum ostendunt, & non progrediuntur ulterius, quasi Moses nihil aliud q̄ iugulet, & lex duntaxat occidat, non uno modo nec leuiter hallucinantur. Reperimus quidem & dicimus propriissimum legis opus esse peccatum proferre, item Moysi officium præcipuum esse docere quid agas, & minis execrationibusq; urgere, præsertim uero in collatione, cum uidelicet lex conferatur cum euangelio. Nam in 2. ad Corinth. cap. 3. Paulus legē appellat literā, mox et ministeriū mortuis, deinde doctrinam literis & atramento exaratam, rursus insculptam tabulis lapideis, & non perpetuam, sed caducam. Idem protinus & ex opposito euangeliū uocat ministeriū & doctrinā spiritus, quæ maneat, non intercidat, quæ inscribatur cordibus, & uiuificet. Unde sanè libèter agnoscimus, legē proprie proferre morbū, sed euangelium adhibere medelam, desperatisq; remedium. Cæterum cogitandum est interim, sanctos patres nostros nō tantum habuisse legem quæ peccati reuicerit, aut Moysen qui nihil aliud quàm iugularit laniantq; neq; hunc illō spectasse ut uulneraret, sed ut mederetur etiā: non sua quidem uirtute, sed per manuuctionē ad eum qui alligat contritos corde, & sanat omnes contritiones corū. Is est Christus, qui etiā operatus est per ministeriū Moysi. Neq; enim putandum est ab initio mundi aut à Mose ad Christum usq; literā duntaxat fuisse prædicatā, gratiam uero spiritūq; dei otiosum in sanctorum animis nihil effecisse. Etenim cum lex nobis ostendit, imò & irrefragabiliter euincit in nobis seu in carne nostra non esse illam perfectionem, quam à nobis requirit in lege sua sanctissimus do-

minus

minus & perfectissimus, profecto reuocat & retrahit hominem (nō
 sua quidem, sed spiritus Christi uiuificantis uirtute) ab omni carne,
 utpote in qua non est ulla salus, ulla perfectio: atque ita per conse-
 quens occasionem nobis præbet diuertendi ad mediatorum Chris-
 tum, qui solus est sanctificatio & perfectio nostra. Et iuxta hanc
 concomitantiam uel occasionem lex quoq; uia & compendium est
 adeoq; & pædagogus quidam hominibus à deo adhibitus, qui ab-
 ducat nos ab omni uirium nostrarum fiducia, ab omni operum no-
 strorum respectu, denique ab omnibus creaturis, recta per fidem ad
 Christum, qui factus est nobis, ut modo diximus, à deo iustitia, san-
 ctificatio & redemptio, extra quem non est ulla sub sole salus. Pro-
 inde Moses non tantum legem urfit, sed & Christum annunciauit,
 & in ipso uitam. Nam dominus in euangelio ad iudæos dicit, No-
 lite putare quod ego accusaturus sim uos apud patrem. Est qui ac-
 cusat uos Moses, in quo speratis. Si enim credidissetis Mosi, credidissetis
 utiq; mihi. De me enim ille scripsit. Et Paulus ad Galatas, Si da-
 ta fuisset lex, inquit, quæ possit uiuificare, uere ex lege esset iustitia:
 sed conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Ie-
 su Christi daretur credentibus. Cæterum, antequam uenisset fides,
 sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem quæ erat reuelanda.
 Itaq; lex pædagogus noster fuit ad Christum, ut ex fide iustificare-
 mur. En quid poterat dici planius, quàm legem omnes conclusisse
 sub peccatum? Sed in quem finem? Ut promissio ex fide Iesu daretur
 credentibus. Et iterum, Antequam uenisset fides, id est ille in quem
 fides nostra dirigitur & incumbit, sub lege custodiebamur. Quomo-
 do? Conclusi utique in eam fidem quæ erat reuelanda. Conclusi er-
 go erant pares lege necubi erumperent & alibi quàm in Christo
 salutem & uitam quærerent. Proinde ad Christum recta per fidem
 adduxit lex. Et adhuc planius, Lex fuit, inquit, pædagogus noster ad
 Christum. En ducit lex ad Christum etiam. Et iterum subiungitur,
 Ut ex fide iustificaremur. Proinde lex promouet ueram doctrinam
 iustificationis, manifeste docens fide in Christum nos, non operi-
 bus nostris iustificari. Qua parte miscetur apertissime euangelio,
 euangelijq; officium sibi sumit: nec mirum, cum multis ipsorum euan-
 gelium ipsorum culpa fiat litera. Præterea idem apostolus alibi dicit,
 in sacrificijs, peccatorum factas esse cōmemorationes, in quibus &
 expiationē præfigurata esse scimus. Manuduxerunt ergo ad Chri-
 stum & cæremoniales leges, demonstrantes testificantesq; illū solū
 nos repurgare ab omnibus peccatis. Iam ergo concludimus, Mosis
 legisq; officium fuisse & esse, aperire nobis peccatum et iudicium no-

*Moses etiā
 adducit ad
 Christum.*

strum, sed interim quoq; & per occasionem adducere ad Christum, non tantum damnare.

*Lex docet
perfectam
iustitiam.*

Ex quibus illud quoq; discitur, legē nos docere non tyrocinia tantum iustitiæ, sed ipsam ueram & absolutā iustitiam. Nam Moses discrete dicit se tradidisse perfectissimū doctrinæ genus, utpote in qua fit uita & mors. Dicit præterea apostolus quod lex nos manuducat ad Christum, ut ex fide iustificemur. At fidei iustitia perfectissima est iustitia. Ergo quod legalia alicubi appellantur elementa mūdi, duas potissimū fit ob causas. Prior, q̄ legalia sint tanquā primariæ institutiones & elementa, quæ succedente euangelij doctrina perficiuntur & absolutiori cedunt. Posterior quod cæremoniæ traditæ sint sub rebus uel signis externis, cum interim sub externis figurent atq; proponant interna, ipsum Christum & mysteria eius.

*Elementa
mundi.*

*Quæ
qualis iusti-
tia ueteris
populi.*

Illud h̄q; discimus ex prædisputatis, ueteres sanctos qui sub ueteri testamento uixerunt homines, salutē & iustitiā quæsiuisse non in operibus legis, sed in eo qui est perfectio & finis legis, nēpe in Christo, ergo lege & cæremonijs usos esse tanq̄ manuductione & pædagogia ad Christū. Nam quoties audierūt perfectā à se legis iustitiam requiri, fide donata ex gratia intellexerūt, Christū perfectissimam iustitiā proponi, ad quē pro iustitia consequenda omnes cōfugere debeant homines. Quoties in loco sacro conuenerūt ad cōtemplanda sacra illa diuinitus instituta, non nudas inspexerūt figuras, neq; purauerunt se, ppter cultū illū placere deo purgariq; à peccatis, sed oculos animi & fidei intenderunt in ipsum futurū Messīā, qui in omnibus cæremonijs & legalibus præfigurabatur. Proinde lege abutebantur, quicunq; putabant se deo gratos esse ac deo cultū exhibere, quod opus illud facerēt. Id q̄d & pphetæ in suis sermonib; grauissime accusantes psecuti sunt. Atq; eo noīe dictus est non raro populus Izraelis, populus carnalis: nō q̄ omnes ante natū Christū patriarchæ & patres fuerint carnales: sed quod adhuc uiuerēt sub illis externis elementis & figuris, & forte essent in populo qui nō perspicerēt ipsas res spirituales externis illis adūbratas, & forte putarent gratos & acceptos se esse propter opus externum operatū aut perfectum.

*Populus
carnalis.*

*Lex uitam
hominum
instituit &
format.*

Secundus usus & alterum officium legis est docere, quid sequantur uel quid fugiant iustificati in fide per Christū, & quomodo pij rite colant deum. Lex enim dei continet doctrinam perfectissimam & fidei in deum & omnium bonorum operum. In primo enim usu legis demonstrauius quomodo lex & moralis & cæremonialis fīdem doceat in deum & Christum eius, & quomodo hominem in sui cognitionē ducat, ut intelligat in seipso, id est in natura hominis,

non esse bonum ullum aut uitam ullam, sed omnia dona uitæ uirtutum & salutis esse ex unico omnium bonorum fonte Deo parere per Christum siue Messiam. In præsentī id est in consideratione secundī finis, usus, uel officij legis dei agnoscere debemus omnes formas uirtutum & omnium bonorum operum thesaurum lege dei nobis proponi: & quod diuus apostolus legis præcepta accommodat ad exhortationem & consolationem. Prima tabula in moralibus docet nos quid debeamus deo, & quomodo colamus eundem. Secunda tabula informat officia uitæ, docens, quid debeamus proximo nostro. Et cæremonia quoque ad cultum pertinent. Iudicialia instruunt & æconomiam & politiam, ut uiuere possimus honeste & sancte. Docet ergo lex omnem iustitiam, temperantiam, fortitudinem, prudentiam, instruitque pium in omni opere, in quo instructum esse oportet sanctum dei cultorem. Vnde quoties sancti prophetæ dei cultum dei & religionem collapsam rursus erigere & restaurare, quoties uitia hominum erroresque accusare & corrigere, denique bona opera adeoque uere bona opera docere uoluerunt, semper ac unice respexerunt ad legem, & omnia sua ex lege promulerunt. Huius rei specimen exhibet nobis luculentissimus beatus Dauid in Psalmo 15. sanctus Isaias in cap. 2. & 33. Diuus quoque Ezechiel in cap. 18. Paulus ad Roman. 13. omnia officia uitæ refert ad legem charitatis. Nam & dominus ipse prior hoc fecit in euangelio. Præterea clamat diuinus uates Psalmo 54. Beatus uir ille quem tu in lege tua erudieris domine. Et in Psal. 78. Ipse suscitauit testimonium in Iacob, & legem posuit in Israel, ut cognoscat ætas postera, & ponat in deo fiduciam suam, & non obliuiscatur operum dei, sed mandata eius obseruet. In Psalmo 119. dicit Dauid, Lex domini immaculata, conuertens animas: testimonium domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Iustitiæ domini rectæ, lætificantes corda: præceptum domini lucidum, illuminans oculos. Timor domini sanctus, permanens in sæculū sæculi: iudicia domini uera, iustificata in semetipsa. Desiderabilia super aurum & lapidem preciosum, & dulciora super mel & fauum. Huc facit plurimum totus ille alphabetaris Psalms numero 119.

Tertius usus diuinæ legis est coercere petulantes, & quos nulla commouetratio, eos iubet supplicij constringere, ut conseruetur honestas & pax atque tranquillitas publica. Sunt enim in populo non pauci, qui non amore uirtutis, sed formidine pænæ se continent & uiuunt tolerabiliter. Hac uero ratione cautum & prouisum uoluit diuina bonitas tranquillitati hominum. Huc uideatur spectasse apo-

Lex eos hercet.

DE VSV, IMPLET. ET ABROG. LEGIS.

stolus cum dixit, Scimus legem nō positam iustis, sed iniustis & inobsequētib; impijs & peccatoribus, irreuerentibus & prophanis, patricidis & matricidis, homicidis, scortatoribus, pæderastibus, plagiarijs, mendacibus, periuris, & si quid aliud est quod sanæ doctrinæ aduerseur, &c.

Impossibile est uiribus nostris implere legem.

Post Vsum finem & officium legis declaratum, restat iam explicandum quomodo impleatur lex dei. Est autem impossibile hominem suis uiribus adimplere legem, diuinæq; uoluntati satisfacere per omnia. Constat enim lege non tantum opus externum, sed interiorum affectuum puritatem, adeoq; diuinam quādam; sicut iam ostendimus, requiri perfectionem. Clamat enim aliās quoq; dominus, Perfecti estote uos, quemadmodum pater uester, qui est in cælis, perfectus est. Huiusmodi autem perfectio donec in hac carne uiuimus, non inuenitur in nobis. Caro enim ad finem usq; uitæ nostræ retinet corruptum suum ingenium, & per spiritum antagonistam licet sæpius repulsa, usq; tamen recurrit, ut nunquam in nobis inueniatur & ex nostris uiribus diuina illa deriuetur perfectio. Verum audiamus de hac re diuini apostoli Pauli testimonium, clamantis, Scimus quod lex spiritualis est: at ego carnalis sum, uendicus sub peccatum. Quod enim ago, non probo. Non enim quod uolo hoc facio, sed quod odi, hoc ago. Et iterum, Noui quod non habiter in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam uelle adest mihi, at ut faciam bonum, non reperio. Rursus, Delectat me lex dei secundum internum hominem: sed uideo aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuum me reddentem legi peccati, quæ est in membris meis. Tandem uero concludit & ait, Itaq; idem ego

Paulus loquitur in 7. cap. ad Roman. in propria persona.

mente quidem seruius legi dei, carne uero legi peccati. Cæterum putant nonnulli hæc Paulum non de sua, sed de aliorum, nempe carnalium & nondum regeneritorum hominum persona esse loquutum. At ipsa apostoli uerba uolentem nolentem lectorem adigunt confiteri, uerba recitata maxime spiritualibus competere. Ac Augustinus in 1. lib. Retractat, cap. 23. recitat se quoque fuisse aliquando in ea sententia, quod apostoli uerba exponi debeant de homine sub lege non sub gratia constituto: sed fatetur se compulsus aliorum scriptorum & tractatorum autoritate, sentire iam Paulum loqui de hominibus maxime spiritualibus, & de sua ipsius persona. Id quod copiosius ostendit in libris contra Pelagianos. Certe beatus Hieronymus, qui dicitur horribile anathema contorsisse in docentes legem mandare impossibilia, diserte scribit ad Rusticum, Paulum hic de sua ipsius loqui persona, Si uero remanet caro & carnis ingenium, secun-

secundum quod indefinenter reluctatur spiritui, profecto nunquam perficitur in nobis, quoad uiuimus, diuina illa perfectio; ergo donec uiuimus nemo nostrum implet legem.

Hic quoque locum habet Paulina disputatio, de eo instituta, quod *Nemo iustificatur* nemo moralium iustificatur per opera legis: non legis quidem, sed *per opera* corruptæ naturæ nostræ uitio, quæ non præstat quod exigit lex dei, *legis.* Nam non potest, ut idem ait apostolus. Ac diserte quidem, Scimus non iustificari hominem, inquit, ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi: & nos in Iesum Christum credidimus, ut iustificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propterea quod non iustificabitur ex operibus legis omnis caro. Nec est quod per opera legis *Opera legis quide* intelligamus duntaxat cæremonialia. Hæc enim ut non iustificanti, ita neque moralia iustificanti. De moralibus loquitur apostolus, cum loquitur de operibus legis. Nam ad Roman. 3. cap. idem apostolus, Ex operibus, inquit, non iustificabitur omnis caro in conspectu eius. Et rationem mox subiungit, Per legem enim agnitio peccati. At in 7. cap. ostendit atque declarat per quam legem, uicque moralem. Moralis enim lex est, Non concupisces. Dicit autem apostolus, Peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam concupiscentiam non nouissem, nisi lex dixisset, Non concupisces. In epistola ad Ephesios cum Gentibus loquens, opera simpliciter dicit non iustificare. Atqui cum Gentibus loquens non potuit cæremonialia opera intelligere, sed uirtutes ipsas morales, id est, omnis generis opera quæ uidebantur esse bona. Ad Galatas, Quotquot ex operibus legis sunt, execrationi sunt obnoxij. Id autem probans subiungit, Scriptum est enim, Execrabilis omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Nisi autem per opera legis etiam moralia, non cæremonialia duntaxat, intelligamus, non uideo quomodo constet probatio. Ac diserte quoque dicit, In omnibus quæ scripta sunt in libro legis huius, ut faciat ea. Cæterum quis nesciat non cæremonialia duntaxat esse scripta? Et S. Augustinus multis probat in libro de Spiritu & litera, præsertim cap. 8. Paulum per opera legis etiam moralia intelligere.

Iam ut locum hunc absoluamus recitabimus apostoli uerba ex 8. cap. epistolæ ad Romanos dicentis, Quod lex præstare non poterat, ea parte qua imbecillis erat per carnem, hoc deus proprio filio misso, sub specie carnis, peccato obnoxie, præstitit, ac de peccato condemnauit peccatum, per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis: qui non secundum carnem uersamur, sed secundum spiritum. Duo autem docet hisce uerbis apostolus. Principio, legem non

DE VSV, IMPLET. ET ABROG. LEGIS.

posse hodie nec potuisse unquam iustificare homines. Culpā huius impotentiae, non rejicit in ipsam legem, quæ per se bona & efficax est, perfectissimæq; iustitiæ doctrina: sed in corruptam carnem nostram. Caro nostra non potuit nec potest præstare, quod bona dei legerequiritur à nobis. Vnde & S. Petrus in Concilio Hierosolymitano dixisse legitur, Nunc ergo quid tentatis deum, ut imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neq; patres nostri, neque nos portare potuimus? Posterius autem sequitur ex priore, nempe cum lex nos nec uiuificare potuit, neq; nos præstare potuimus, quod lex requirebat à nobis, deus qui diues est misericordia & bonitate, filium suum misit in mundum, ut hic incarnatus moreretur pro nobis, atque ita peccatum imperfectionis nostræ tolleret, & perfectiōnem suam nobis conferret in fide, qui est perfectio & plenitudo legis. Constat ergo ex his Christum impleuisse legem, & hunc esse perfectionem fidelium in orbe omnium.

Christus impleuit legem, & est fidelium perfectio.

Requirat autem hic locus pleniorē expositionem eius, quod Christus legem impleuit ac factus est perfectio nostra. Principio quæcunq; promissa & præfigurata sunt in lege & prophetis impleuit dominus noster. Nam promissiones illas, Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Benedicentur in te omnes cognationes terræ: & quæ his similes aliæ & innumeræ sunt, impleuit dominus noster, cum natus in hunc mundum, perlitauit pro nobis, & uitam reduxit. Pari modo impleuit cæremonialia omnia, dum ipse sacerdos & sacrificium se obtulit, ac nunc & semper efficax & æternum duratura est hostia, pōtifex quoq; æternus, semper in dextera patris interpellans pro fidelibus. Ipse etiam spiritualiter circumcindit credentes, & iisdem in locum circumcisionis substituit baptismum. Ipse est pascha nostrum, qui pro agno paschali subrogauit cœnam domini siue Eucharistiam. Ipse deniq; est legis & prophetarū complementum, mens & perfectio. Deinde impleuit legem dominus, quia uoluntati dei absolutissime per omnia satisfecit, cum sit ipse sanctus sanctorum, in quo nulla est macula, cōcupiscentia praua nulla, peccatum nullum: in eo est dilectio dei perfectissima, & iustitia per omnia absolutissima. Et hanc nobis imperfectissimis, cōmunicat gratis, si credamus. Condonat enim nobis peccata, factus pro nobis expiatio, & communicat nobis suam iustitiam: quæ imputatiua uocatur. Quo iam pertinent testimonia apostolica, Deus erat in Christo, ait Paulus, mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata sua. Eum enim qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia dei per illum. Item, Abrahā credidit deo, &

& imputatū est ei ad iustitiam, certe absq; operibus. Ita si nos quoq; credimus in deum per Christum, imputabitur nobis quoq; fides nostra pro iustitia. Fide enim comprehendimus Christum, quem credimus absolutissime pro nobis deo satisfecisse, adeoq; deum nobis placatum esse propter Christum, & nobis Christi iustitiā gratis imputari tanquam nostram (& reuera ex donatione nostram) quia nos sumus iam filij dei.

Expensis his diligenter, facile erit illis respondere qui interrogāt, Quando nullus mortalium exacte satisfacit legi per se, quomodo itaq; promittitur iustitia, uita & salus seruantibus legem? Nimirum respicit ea promissio ipsam Christi perfectā iustitiam quæ imputatur nobis. Alioqui certū est diuinas scripturas inter se minime uel tantillum conligere uel discrepare. Clare autē dicit apostolus, Si data esset lex quæ posset uiuificare, uere ex lege esset iustitia: nunc uero conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio daretur ex fide credentibus. Proinde seruat siue implet legem etiam Decalogi, qui id facit propter quod lex potissimum est instituta. Sed lex potissimum est instituta (sicuti superius demonstraui) ut peccati & condemnationis nos conuincat, & ita a nobis ipsis releget, & ad Christū manuducat, qui est perfectio legis ad iustificationem omni credenti. Ideoq; implet & seruat legē, qui non sibi ipsi & suis ficit operibus, sed ueræ dei gratiæ se cōmendans, in Christi fide omnē iustitiā quærit. Vnde iam clarum est, istas Christi domini sententias æquipollere. Qui credit in me, habet uitam æternam. Et, Si uis ingredi in uitam, serua mādāta. Nam & Paulus in Actis cap. 13. Non sit uobis fratres, ait, quod per Christum uobis remissio peccatorum annuncietur: & ab omnibus a quibus non potuistis per legem Moysi iustificari, per hunc omnis qui credit iustificatur. Et huc iam pertinet totum iustificationis negotium. De quo aliās disseruimus copiosius.

Cæterum fides illa qua credimus Christum satisfecisse legi, & ipsum esse iustitiam & perfectionem nostram, neq; ex natura neque ex nostris existit meritis, sed ex gratia dei infunditur per spiritum sanctum, qui datur in corda nostra. Hic spiritus manens in cordibus nostris, incendit pectora nostra amore & studio diuinæ legis, ut conemur eam legitime factis exprimere præstareq;. Quod studium, qui conamus, etsi ad plenum nunquā absoluitur, propter carnis ingenium uel imbecillitatem humanā, manentē in nobis ad extrema usque fata, deo tamen ex gratia approbatur, sed dūtaxat propter Christum: nec quisquā piorum confidit in hanc alteram impletionē, sed in priorem tantum, utpote solam perfectam. Exclamans enim apo-

Seruantibus legem promittitur uita.

Quomodo seruemus legem. 1.

Quomodo seruemus legem. 2.

DE VSV, IMPLET, ET ABROG. LEGIS.

stolus ad Romanos, Miser ego homo, inquit, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? Mox tamen responder, Gratias ago deo, nimirum quod à morte me redemit, per Iesum Christum dominum nostrum. Itaq; idem ego mente quidem seruius legi dei, carne uero legi peccati. Nulla igitur nunc est condemnatio his qui insiti sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem uersantur, sed secundum spiritum, &c. Ergo quia in Christo sumus, in gratia sumus, ideoq; placent deo nostra opera, quæ ex fide & ex liberali spiritu donata nobis: deniq; ex pectore amante deum proficiscuntur. Ioãnes enim dixit, Hæc est charitas dei, ut præcepta eius seruemus. Et præcepta eius graua non sunt. Rationem quoq; huius subiungit, Quoniam omne quod natū est ex deo, uincit mundum. Natus est autem ex deo quicumq; credit: sicuti declaratur Ioan, cap. 1.

*Præcepta
dei nō sunt
grauiā.*

Ex quibus facile erit conciliare locos inter se in speciem discrepantes, Præcepta dei graua sunt, quæ neque nos neq; patres nostri portare potuimus. Et, Præcepta dei graua non sunt. Nam graua non sunt fidelibus insitis in Christo, & donatis spiritu dei, hoc est, reconciliatis deo per Christum. Sine Christo & fide in Christū quibusuis grauissima sunt. Ira fidelis sua sponte per spiritum dei incitatus benefacit omnibus hominibus, quantum ipsius quidem permittit facultas, nocet nemini: non quia meruit penas destinatas in lege inobediens, iniustus & uolens, sed quia amat deum. Sic implet etiam legem iudicialem.

*De Abro-
gatione le-
gis dei.*

Hic fat scio obijcis mihi, Si impletur lex, & locum habet apud sanctos & fideles, quid obsecro opus fuit legis abrogatione? quid necesse erat tam multis disputare Paulum & optimos quosq; theologos de Abrogatione legis? Dicam ergo pauca & de Abrogatione legis, ac primum quidem in genere, deinde uero per partes siue in specie. Ante omnia autem inculpenda erunt animo pio hæc domini uerba ex euangelio, Ne existimetis, inquit, quod uenerim ad destruendam legem aut prophetas: imò non ueni ut destruam, sed ut compleam. Amen quippe dico uobis, donec prætereat cælum & terra, iota unum aut apex non præterierit ex lege, quoad omnia facta fuerint. Quisquis ergo soluerit unum ex mandatis hisce minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cælorum, Quisquis autem fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cælorum. Teneat ergo quisq; firmissimo animo, legem dei, quæ est optima & perfectissima dei uoluntas, esse æternam, neq; dissolui posse ullis nunquam temporibus, ab ullis uel angelis uel hominibus. Teneat quisq; legem quatenus est regula recte & bene uiuendi, quæ
tenus

genus est frenum quo in timore dei retinemur, quatenus est firmus
 lus datus ignaviae carnis nostrae, item quatenus data est ad instituen-
 dum, corrigendum & redarguendum homines, eatenus videlicet
 manere intactam, suamque utilitatem habere uel hodie in ecclesia dei
 & proinde negotium abrogationis legis ita habet.

Diximus praecipua dei totum requirere hominem & perfectionem
 plane diuinam, quam nisi quis praestiterit, cum maledici & condemnari
 a lege. Nemo autem hominum eam praestat iustitiam. Omnes ergo
 maledicti sumus per legem. Ceterum haec maledictio sublata est,
 & conferitur nobis perfectissima iustitia gratis per Christum. Nam
 Christus redemit nos ab execratione legis, dum factus est pro no-
 bis maledictio, iustitia & sanctificatio. Hac uero ratione lex abroga-
 ta est, id est, execratio legis fidelibus per Christum sublata & iustitia
 nobis uera collata est. Ipse enim est benedictum illud semen, in quo
 benedicuntur omnes cognationes terrae, ipse est iustitia nostra. Nam
 Paulus, Ab omnibus, inquit, a quibus non potuistis per legem Mo-
 sis iustificari: per hunc omnis qui credit iustificatur. Ponitur ergo lex
 pro maledictione legis. Vel lex dei id appellatur quod lege prodit-
 tur & manifestatur, quod est peccatum. Per legem enim agnoscitur
 peccatum. Idcirco abrogatur lex, id est peccatum tollitur, non ut non
 sit, aut non exerat suas uires in nobis, sed ne imputetur nobis et nos
 condemnet. Nulla enim condemnatio inest ijs, qui iusti sunt in Chri-
 sto Iesu. Praeterea usurpatur lex pro ultione & poena, quae secundum
 legem irrogatur transgressoribus. Abrogata est ergo lex, quia poena
 sublata est credentibus. Nam lex iusto non est posita: Nam liberauit
 Christus fideles a supplicijs aeternis, dum innoxius afflictus est pro
 sceleratis. Deinde apostolus, Affectus carnis, inquit, inimicitia est
 aduersus deum. Nam legi dei non subditur, imo ne potest quidem.
 Hoc autem odium diuinæ legis eximitur per fidem ex animis pio-
 rum, inseritur autem amor diuinæ uoluntatis: ut etiam iuxta hanc
 rationem dicatur abrogata lex, quia legis odium est sublatum. Ideoque
 apostolus confert eos qui sub lege sunt seruis, liberatos a lege liberis
 siue filijs: quibus etiam tribuit spiritum, non seruitutis, sed adoptio-
 nis. Quoniam enim estis filij, ait, emisit deus spiritum filij sui in cor-
 da nostra, clamantem, Abba, pater, &c. His accedit quod lex dei ty-
 pos habet & umbras, & quod caeremoniarum sacris alioqui onerosae
 sunt, sicuti & tota lex iugum nominatur. Venit autem in hunc mun-
 dum dei filius, & implens figuras, ipsam nobis ueritatem praestitit,
 umbras illas pepulit: ut iam nemo possit nos iudicare propter ne-
 glectas aut omissas caeremonias uel figuras: & ea quidem ratione

DE VSV, IMPLET. ET ABROG. LEGIS.

abrogata est rursus lex dei, hoc est genus illud regiminis, quod à Mose institutum est, ueniente Christo & docentibus apostolis disparuit. Hi enim citra Mosis œconomiam ecclesiasticam, collegere ecclesias, nec genus illud regiminis ecclesiæ tradiderunt. Constanter enim neglexerunt cum sacerdotio Aaronico, sacramenta, sacrificia, delectus insuper dierum, uestium & ciborum à Mose institutos. Pro his omnibus unum prædicarunt Christum, & pauca sacramenta, &c.

*Moralia
non abro-
gata sunt.*

Hæc in genere & breuiter quidem dixi hæcenus de abrogata lege, iam idem negotij paulò fufius per partes atq; species explicabo. Lex dei tota diuiditur in Moralem, Cæremonialem & Iudicialem. Moralis autem continetur decalogo, cuius præceptum primum docet nos unum & solum deum uenerari & colere, nullos ei alienos coniungere. Hoc autem dominus Iesus in euangelio ira inculcauit, ut uideamus nihil in hoc esse mutatum. Secundum prohibet idololatriam, id est, cultum & uenerationem imaginum, uel dei ipsius uel creaturarum. Atqui apostoli idololatriam modis omnibus in doctrina euangelica insectari sunt. Clamat cum Paulo Ioannes, Fugite idololatriam. Cumq; Christus & apostoli diligentissime docent diuini nominis sanctificationem & glorificationem, profecto ratum uolunt mandatum prohibens prophanationem diuini nominis. Solum mandatum quartum de sanctificando sabbato appellat S. Augustinus cæremoniale in uniuerso decalogo. Verum id non intelligendum est simpliciter. Quatenus enim tempus certum requirit exterior dei cultus & sacrificia legis externa habet, cæremoniale est præceptum: quatenus uero cultum dei, cœrum sacrum, preces, prædicationem & usum sacramentorum, deniq; spiritualia sacrificia tradit, perpetuū est. Id quod in expositione sabbati ostendimus. Quintū mādatum de honorandis parenibus ipse dominus Math. 15. cap. reparat. Sicuti & sextum contra cædes, & septimum contra adulteria diligenter explicat Math. cap. 5. Octauum contra furta promulgatum renouatur ab apostolo, iubente ne quis fraudet in negotio fratrem, ne quis furetur amplius, sed quisq; laboret manibus, ut & ipse habeat necessaria, & alijs possit necessaria suppeditare. Nonum præceptum de cohibenda lingua & non mentiendo, dicendoue falso testimonio, Christus & apostoli confirmant, quoties linguam cohercent & ueritatē præcipiunt. Iidem malas affectiones & cupiditates damnant, ergo etiam legem prohibentē concupiscentiã reparant, non abrogant. Tota ergo decalogi abrogatio
in illis.

In illis, de quibus iam antè diximus, consistit, quod scilicet Christus in fide est perfecta iustitia nostra, &c. Rursus apostolo testante, dicentibus, quod lex præstare non poterat, eo quod imbecillis esset per carnem, hoc deus proprio filio misso sub specie carnis peccatricis, præstitit, ac per peccatum condemnauit peccatū per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem uersamur, sed secundum spiritum. Id quod extat ad Roman. 8. Et breuius quidem de his differimus, quod in tractatione Decalogi omnia ista plenius simus prosequuti.

Venio iam ad Cæremonialia. Hæc data sunt ad tempus usq; correctionis, uidelicet donec ueniret Messias. Venit autem, ergo omnes cæremoniæ ad aduentum, ad mortem, & resurrectionem, adde & ascensionem in cælos Christi domini nostri, disparuerunt, neq; ullum porro locum habent in ecclesia Christianorum. Hic tamen necessario distinguimus inter scripta, & res ipsas cæremoniarū. Nam scripta de cæremonijs, à spiritu dei ædita, non sunt sublata & abrogata, ne legantur, retineantur aut usurpentur in ecclesia. Id quod & Sermo, 2. decad. 7. indicauimus. Possunt enim nos erudire in Christo Iesu, dum uidemus quibus modis Christus prædicatus & præfiguratus sit ueteri ecclesiæ. Certe Paulus significantissime Christum ex cæremonijs prædicauit, quod nemo negabit qui epistolam eius ad Hebræos diligenter legerit. Mirifice enim in ipsa Christum cum omnibus suis donis proponit ecclesiæ. Ergo possunt & debent in ecclesia legi cæremonialia, ita tamen ut in eis quæratur & inuentus apte prædicetur Christus. Ideoq; dum Sermones 5. & 6. huius Decadis, tractarem Cæremonialia, significationum notas ipsis apposui, ut uiam aperirem studiosis scripturarum & diligentibus Christum, ulterius in hac materia progrediendi. Res aut cæremoniales, cuiusmodi est sacerdotium, locus, tempus, sacrificium, & si quid aliud est huius generis, abrogata sunt, ut porro nec fiant nec locum habeant in ecclesia Christi. Prædixit hoc Ieremias in cap. 3. & dixit, In diebus illis, dicit dominus, non dicent amplius Arca fœderis domini, neq; in cor ueniet, neq; eius recordabuntur, neq; inuisent, nec fiet ultra. Per Arcam uero intellexit propheta etiam alia legalia, quæ per aduentum Christi sunt abolita. S. Paulus in epistola ad Hebræos ex promissione domini apud Ieremiam promittentis se nouum testamentum conditurum, colligit, Per hoc quod dixit nouum, antiquauit prius. Porro quod antiquatur et senescit, in propinquo est ut euanescat. Idem apostolus ad Ephesios, Christus est pax nostra, inquit, qui fecit ex utrisq; unum, & interstitium maceræ diruit, similitatem

*Ceremo-
nia medijs
paries.*

per carnem suam, legem mandatorum in decretis suam abrogans, ut duos conderet in semetipso, in unum novum hominem, faciens pacem. Ephes. 2. Diremit quidem deus à Iudæis gentes, dum illos seu peculiarem populum sibi delegit & consecrauit, non uocatione dumtaxat uerbi, sed & sacramentis. Nam præscriptæ sunt, datæq; cæremonix, quæ tanquam intermedijs paries inter Iudæos & gentes, hereditatem dei includerent: adeo ut in Cæremonijs esset discriminis professio, ac Iudæis seu iustis hæredibus addiceretur hæreditas repulsis Gëntibus. At Christus uenit in mundū, hoc consilio, ut ex utroq; populo unam constitueret ecclesiam, diruit ergo interpositum parietem, hoc est decreta cæremonialia sustulit e medio. Fecit enim hoc loco Christus, quod solet princeps aliquis, qui ut dissidentes populos in suam redigat ditionem seu potestatem, diuersas tesseras, pristinae simulatae insignia, tollit, ut animis sint concordēs. Sic enim & Christus sustulit Circumcisionem cum sacrificijs & omnibus lega-

*Ceremo-
nia chiro-
graphum.*

libus, ut fieret una ex Iudæis & Gëntibus ecclesia. Ad Coloss. comparat Paulus cæremonias chirographo, quo deus nos uelut obstrictos tenet, ne possimus reatum inficiari. Dicit autem per Christum à reatu sic liberatos, ut chirographum fuerit disruptum. At chirographi scissione liberatur & absoluitur debitor. Ideoq; legimus in morte domini Velum templi ab imo sursum usq; fuisse disruptum, nimirum ut toti populo pateret & peccata iam esse dimissa, & liberatum esse dei populum ab omni onere legalium.

*Vrbs &
Templum
excinditur*

Certe cum pergeret impius pertinax & perfidus Iudæorum populus, in templo, post mortem Christi, cæremonias completas & abrogatas exercere, pro rogare, & omnibus pietatis ergo obtrudere, Christus sedens ad dexteram patris Romanorum principum opera dissipauit urbem penitus, et templum excidit funditus. Id quod ante Danielem, Balaam prædixerat. Neq; hucusq; per annos 1500. & amplius, ullus eis locus restaurandi templi uel urbis concessus est. Legimus apud Theodoretum & Ruffinum, Iudæos sub Imperatore Iuliano, maxima spe & præsumptione nouum templum molitos, fundamenta quæsiisse in loco tēpli olim à Vespasiani filio Tito combusti; uerū conatus impios dominum nostrum, qui in euangelio ex Daniele desolationem prædicarat & inter alia dixerat, Et Hierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora gentium, potēter repressisse. Comportatis enim gypsi & calcis multis modiorum milibus, de repente irruens uenti imperus, ac turbo cum fragore & procellis dispersit uniuersam materiam. Obortus est præterea ingens terremotus, per quem totius penè ædificia loci complanabantur. Denique

Dan. 9.

Num. 24.

cum

cum magna turba, quæ operi uidebatur insistere, ea nocte sub por-
 tico uicina somnum caperet aut commaneret, delapsus repente æ-
 dificium unâ cum tecto totum, oppressit qui sub illa manebant uni-
 uersos. Luce uero orta, concurrunt ad inquirendos eos, qui ruina fue-
 rant oppressi. & cum ne illis quidem plagis à proposito suo auerte-
 rentur, emicans exilijs è fossis fundamentis & è vicinis ædibus ubi
 seruabantur ferramenta & alia operi necessaria, formidabilis ignis,
 plurimosq; opus urgentes inflammauit, alios nero ad fugam com-
 pulsit. Nam sæpius ea die recurrit, tandemq; pertinacis populi teme-
 ritatem coercuit. Et ne hæc casu fieri crederentur, illa ipsa nocte præ-
 cedente, similiter & sequente, conspectum fuit in cælo signum ful-
 gidum crucis, & ipsorum uestes Iudæorum crucibus replebantur,
 non ijs tamen fulgidis, sed nigris, quæ nulla ui aut arte poterant di-
 lui atq; deleri. Inuiti ergo & coacti magnis terroribus & iudicijs fla-
 grisq; Christi domini, te infecta & deserta domum fugiunt, confu-
 tentes illum quem maiores ipsorum crucifixissent Iesum Christum,
 deum esse potentissimum, licet cum Pharaone, & Iulianus & porior
 Iudæorum turba, in perfidia & blasphemia contra Christum, per-
 seuerarent. Vicinque uero isti in sua pergant perinacia uel hodie, æ-
 pte tamen satis declarauit è cælo dominus, se non amplius dele-
 ctari legalibus, uel cæremonialibus, quandoquidem omnia illa ins-
 trumenta culus sacri, deniq; ipsam sacri cultus officinam, templum
 uidelicet & Hierosolymorum urbem, solo æquauit. De Templo di-
 xit in euangelio discipulis, cum admiratione templum common-
 strantibus, Nonne uidetis hæc omnia? Amen dico uobis, non re-
 linquetur hic lapis super lapidem. Idem plorans super male gratam
 urbem, Non relinquent, ait, in te lapidem super lapidem, eo quod
 non cognoueris tempus uisitationis tuæ. Et hæc quidem omnia ad
 uerbum completa esse locupletissimus & oculatus quidem testis est
 Iosephus libro de bello Iudaico 7. cap. 18. Diximus autem modo
 nullum Iudæis locum iam inde à mille quingentis annis restauran-
 di templi concessum esse: unde nisi insanirent, colligerent missum
 esse in mundum Messiam, & hunc abrogasse cæremonialia omnia.

Nihil his patrocinatur quod per frequenter in lege dei post de- *Ritus quo-*
 scriptos ritus sic adiectum legimus, Ritu sempiterno custodietis il- *modo sint*
 lud. Nam sempiternum in hac causa significat diuturnum, et quan- *perpetui.*
 tum ariet homines inmutabile. Grauibus enim pænis intermi-
 natis prohibuit dominus ne sacros ritus temeritas humana uel mu-
 taret uel abrogaret. Interim quia ritus illos ad tempus correctionis
 instituit, non peccat deus neq; incōstantiæ crimen incurrit, quando

fic mutar quemadmodū mutare decreuerat ab initio. Præterea cum nihil perit rei quæ peritum est significata, umbra tantum & quod temporarium est cadit & disparet, certissimum est ritum illū in substantia sua manere sempiternum. Viuit totus homo in sempiternū: sed quæ tamē in ipso sunt temporalia seu corruptibilia, intereunt in morte, & abolentur in clarificatione.

Sacerdotiū abrogatum Cæterum ut omnia sint luce clariora, perstringemus speciatim per partes cæremonias illustriores. Abrogatum esse sacerdotiū Aaronicum in uniuersum, id maxime arguit quod apostolus ex Dauidе profert, Iurauit dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchizedek. Christus ergo unus & solus summus est sacerdos, & perpetuus quidem, immutabile, & quod successione ad alium transire non potest, sacerdotium habens. Iam enim stans ad dexteram patris in cœlo, in templo uero, cuius adumbratio fuit Tabernaculum & templum Hierosolymitanum, intercedit pro nobis, omniaq; sacerdotis munia obit. De quo fuisse me agit S. Christi apostolus Paulus, in epistola ad Hebræos, Hic pontifex noster Christus consecrauit sibi in reges & sacerdotes omnes Christi fideles, Interim ministros ecclesiæ quoq; ordinat, qui doctrina & exemplo erudiant ecclesiam, qui sacramenta administrent, nō uetera illa, sed quæ in ueterum locum dominus substituit. Quid uero doceant, diserte ostendit. Vestes illas mysticas & sacerdotiales, nec apostolis commendauit, nec suæ reliquit ecclesiæ, sed sustulit e medio cum alijs decretis interstitium maceræ appellatis. Iustitia & honestate uestiri uult pastores populi, cum apostolo Paulo ipse dominus: qui diserte ecclesiarum ministros remouit à dominio, & à negotijs sæcularibus. Idem eis uectigalia constituit, sed non legalia illa, uerum maxime conuenientia stauit & conditioni cuiusq; ecclesiæ.

2. Cor. 9.

Matth. 10.

Locus liber

Locum cultus & religionis liberum fecit dominus, cum in euangelio Ioannis dixit, Veniet hora & nunc est, quādo ueri adoratores, non in monte hoc, nec Hierosolymis, adorabunt patrem, sed spiritu & ueritate. Nam & pater tales quærit qui adorent ipsum. Spiritus est deus, & eos qui adorant ipsum, spiritu & ueritate oportet adorare. Dominum sequutus est in hoc dogmate apostolus qui dixit, Volo uiros orare in omni loco, sustollentes puras manus absq; ira. Nec frustra, sicut modo commemorauimus, excindi funditus templum passus est dominus, qui moriens disciderat uelum templi. Interim tamen nō damnantur Cæterus ecclesiastici. De quibus dictum est cum exponerem mandatum, Sabbatū sanctifices, Tabernaculū certe

certe & Templum typum prætulere ecclesiæ dei catholicæ, extra quam nullæ preces, nullæq; oblationes deo gratæ sunt. At extenditur ecclesia ad fines usq; orbis. Sed non ideo omnes sunt in ecclesia qui sunt in orbe terrarum: in ecclesia sunt, qui in societate sunt Christi per fidem catholicam & in communionem sanctorum, per doctrinæ consensionem, per charitatem & sacramentorum (nisi magna prohibeat necessitas) participationem. In excelsis autem adolent & sacrificant, quicumq; aliud sacrificium quàm Christi, per alium preces suas deo quàm per Christum, & alium in orando & sacrificando modum tenent, quàm uerbo pastoris in ecclesia est traditum. Iam uero ecclesiæ dei nulla porro opus est Arca, nulla Mensa, nullis propositionum panibus, nullo candelabro aureo, nulla ara uel thymiamatis uel holocaustorum, nullo labro æneo: unus enim Christus hæc omnia solus est catholicæ ecclesiæ, quæ in Christo spiritualiter & efficaciter hæc omnia habet, nec quicquam in alijs quærere potest, adeo ut si quem uideat hæc eadem auralia huius generis reducere in ecclesiam, eum redarguat & exectetur. Quid enim uel umbris uel signis opus habet ecclesia, quæ ipsa re, Christo uidelicet domino, fruitur per fidem? Præterea satis signorum habet ecclesia, quæ à Christo accepit duo signa sacramentalia, omnia complectentia, quæ uetas ecclesia habuit in uarijs & multis signis.

*Sacrificatio
re in excelsis.*

Porro Tempus sacrum liberum quoque fecit qui in euangelio dixit, Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter sabbatum: itaque dominus est filius hominis etiam sabbati. Et Paulus apostolus, Ne quis igitur uos iudicet, inquit, in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut nouilunij, aut sabbatorum, quæ sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi, De sabbato Christianorum dictum est in expositione præcepti quarti. Neomenias uero non celebrat ecclesia Christi, quæ per Christum docta, non tantum principia mensium, sed totum annum totiusq; anni prouentum, solis, lunæ & stellarum splendorem, deo tribuit creatori. Christiani præterea pascha suam celebrant, & spiritualiter magis quàm corporaliter: ita & Pentecosten. Vt enim spiritum misit discipulis, ita eundem donat quotidie fidelibus. Semper autem hi classicum canunt ad pugnam. Concupiscit enim caro aduersus spiritum, & impetitur homo pius à mundo & principe huius sæculi diabolo. Iam uero Expiationis festum semel in cruce peractum durat perpetuo: nec amplius hircum peccati amandant sancti. Semel enim uenit, & oblatus est dominus noster, qui sustulit omnia peccata totius mundi. Deniq; cum pij quotidie meditentur se hic nullum habere locum

Tempus liberum.

manentem, sed futurum inquirere, non est quod semel in anno celebrent festum tabernaculorum, ita non agnoscunt fideles ullum porro annum iubileum. Semel enim uenit Christus, & annum acceptum nobis annunciauit, euangelium, quo predicatur remissa esse nobis omnia peccata. Hæc enim ad hunc modum ipse declarat Christus dominus Lucæ cap. 4, ex 61. cap. Isaiæ. Ita uero tempus sacrum & dies festi abrogati sunt per Christum in ecclesia: quæ interim non destituitur ulla re sancta & necessaria.

*Iubileus
Romanus.*

Sed quoniã hic annus, quo hæc primum excuduntur typis, quingentesimus est supra millesimum & quingentesimum, & secundum traditionem Romanam nuncupatur iubileus, ipsa me quasi necessitas adigit aliquid saltem per digressiunculam dicere de Romano iubileo. Romanum non Christianum ea de causa uoco, quod modo ostendi, Christi ecclesiam post redemptionem Christi per euangelium annunciatam, nullum alium annum iubileum agnoscere. In ueteri anno iubileo consideratur litera & spiritus. Iuxta literam concedebatur seruis libertas, reddebaturq; patria, quæ uel mutata uel adempta fuerat iustis hæredibus, possessio. Is ritus ut citra rerum omnium conturbationem omnibus regnis hodie obrudi non possit, ita oppressos non admodum curant beatissimi patres, qui iubileum ut opibus suis plurimum accedat inuenerunt, & stulto mundo prædicant. Spiritus uero iubilei ueteris, Christum & gratitatem eius remissionem omnium peccatorum fide percipiendam cõmendat. Hæc autem gratia non potest citra contumeliam Christi aliter prædicari quàm annunciata est per euangelium. Itcirco caruit ecclesia anno iubileo annis à Christo mille trecentis. Postea demum emerfit Bonifacius eius nominis 8. Romanus Pont. cuius nomine & Sextus Decret. pdij, qui primus impiissimum hoc institutum inuenit. Nam Platina in Vita eius, iubileum hic reulit, inquit anno 1300. quo plenam delictorum omnium remissionem his præstabat, qui limina apostolorum uisitassent. Idem etiam centesimo quoq; anno obseruari mandauit. Possumus ergo & nos illo citra detrimentum, imò magno cum emolumento nostro carere. Nam si isti perrexerint hunc obrudere tanquàm necessarium ad salutem, damnabunt uniuersalẽ ecclesiam quæ primum præcessit iubileum. Cæterum non tantum illo carere possumus, sed modis omnibus execrari debemus, uel uelut impium & blasphemum institutum, qui credimus iubileum omnino abrogatum esse per Christum, præterea credentibus, ubicumq; in mundo uersentur, propter Christum condonari gratis omnia peccata. Hic Bonifacius & suæ mendacissimæ

mæ pmissio & loco impurissimo affigit peccatorum remissionē.
 Dubito autem si quid poterit per hunc fieri aliud horrendū & ex-
 crandum magis. Polluitur enim hic gloria unigeniti filij dei, unici
 saluatoris mundi. Polluitur hic salus multarū animarū, pro quibus
 mortuus est Christus. Polluitur gloria fidei Christianæ, per quā solā
 efficiamur salutis æternæ confortes. Sceleratissimus alioqui fuit Pon-
 tificex, de quo tritū illud fertur, Intrauit ut uulpēs, regnauit ut leo, mor-
 ritur sicut canis. Equidem merebatur institutio blasphema talem ha-
 bere authorem. Merebatur & populus stultus talem habere pasto-
 rem. Scribit enim Platina, eo anno tantam uenisse hominum mul-
 tudinem Romam, ut uix incedere per urbem, quamuis amplissimam,
 licuerit. Mundus enim uult decipi. Alioqui audiret dominum
 clamantem, O uos omnes qui sitis, uenite ad aquas, & quibus non
 est pecunia adeste. Cur expenditis pecunias pro re nihili, &c. Isaïæ
 55. & Ioan. 4. 7. Nec interim insaniente sic mundo dormiuit iustus
 deus, dissimulans quantum opere sibi hoc displiceat factum. Nam hoc
 eodem anno exciuit Othomannum Turcici imperij patriarcham
 & caput, quo egregie flagellat & Romanā ecclesiam, & corruptos
 Christianorum mores. Secuti sunt post annos aliquot Clemens 6.
 Paulus 2. & Sixtus 4. homines pessimi, sicut ipsorū historiæ testan-
 tur, qui murarunt annum centesimum in 50. & postremo in 25. quo
 uidelicet plus lucri caperent ex hominum stultitia. Sed redimus.

Sacramenta quoq; ueterū planē sunt abrogata, & in eorum locū *Sacramen-
 ta & sacri-
 ficia abro-
 gata.*
 substituta populo noui testamenti noua. In Circuncisionis locum
 subiit Baptismus. Apostoli in Concilio Hierosolymiano cōtenden-
 tibus, Circuncisionem necessariā esse ad salutem, sese opposuerunt
 & Pauli dogma diuersum statuentis approbarūt. Hic alibi, Ecce ego
 Paulus dico uobis, ait, Quod si circūcidamini, Christus nihil uobis
 pderit. Contestor autē omnem hominē qui circūciditur, q; debitor
 est totius legis seruandæ. Christus uobis factus est oriōsus: quicunq;
 per legē iustificamini, à gratia excidistis. Neq; uero æquum ac cōue-
 niens est manere in ecclesia Christi signū sanguinolentum, qualis
 erat circuncisio, postquam effusus erat in cruce sanguis ille, qui om-
 nem sanguinem ueteris testamēti sistit & tollit. In locū agni pascha-
 lis subiit Cœna domini, quæ & eucharistia appellatur. Sic enim dñs
 apud Lucam exponit edere se iam pascha ultimū cum discipulis, ubi
 etiam p̄tinus instituit Sacramentū corporis & sanguinis sui, quod
 celebrare iubet usq; dum redeat in iudiciū. Cœnam ergo reliquit ec-
 clesie dominus, sacramentū immutabile ad finem usq; mundi. Por-
 rō sacrificia omnis generis legalia, esse antiquata, nemo negauerit,

qui saltem cogitarit & templū & aram urāq; funditus esse cum instrumentis sacris excisa atq; dissipata. Diximus illa fuisse cōmemorata: uenit Christus & oblatus est pro peccatis totius mundi, certe finem assecuta sunt suū omnia ueterū sacrificia. Nam ubi est plenaria omnium peccatorum remissio, ibi nullū est amplius sacrificiū pro peccato. In nouo testamento est omnium peccatorū plenaria remissio: ergo in nouo testamento nulla est amplius oblatio pro peccato. Christus enim unus & solus est uice omnium sacrificiorū. Nam ipse semel oblatus est, & amplius non offertur. Unica autem oblatione sui inuenit æternā redemptionem: ut quotquot sanctificentur, non alia q̄ semel facta in cruce Christi oblatione sanctificentur. Proinde Christus in cruce semel oblatus, p̄ peccatis totius mūdi, est holocaustū ecclesie catholice: idem est oblatio cibaria, cibans nos carne in cruce oblata, si fide percipiatur à nobis, ad uitam æternā. Idem est libamen ecclesie, qui sanguine suo potat fideles ad uitam æternam. Idem est piaculare & iuge sacrificium ecclesie: quia ipse est agnus dei qui tollit peccatum mundi. Ipsius passio & mors omnia expurgat uitia mortalium, omnes errores, omnia scelera. Idem est gratulatorium ecclesie sacrificium: quia per Christum offerimus laudes deo, & gratias agimus per Christum deo patri. Breuiter, Unica domini cœna, quam appellamus eucharistiam, omnia in se continet sacrificiorum genera, quorum in summa duo sunt, nempe expiatorium, quod uidelicet offertur pro peccato, & Eucharisticum, quod gratias agit deo & laudes offert. Cœna uero est testimonium & sacramētum adeoty memoria corporis Christi traditi, & sanguinis eius effusi pro nobis in remissionem peccatorum. Neque enim corpus & sanguis domini, quæ non nisi semel in cruce oblata sunt pro peccatis, & amplius offerri nec possunt nec debent ab hominibus, iterum sacrificantur in celebratione Cœnæ: sed eius rei, oblationis inquam, quæ semel facta est & sufficit, peragitur frequens memoria. Rursus in Cœna agimus gratias pro redemptione nostra, & laudes offert deo uniuersa ecclesia. Proinde Cœna domini iam totum hoc comprehendit, quod figurarunt omnia ueterum sacrificia: ut ecclesia hac parte non destituatur ulla re necessaria & bona, licet non habeat amplius ueterum sacrificia. Imò non debent illa porro celebrari in ecclesia, quippe cum fuerint uenturi Christi figuræ, notæ & sacramenta, ecclesia autem hodie credat, & recte quidem credat uenisse Christum, & impleuisse absoluisseq; omnia, sicut ipse testatus legitur clamando in cruce, Consummatum est.

Cœna domini uice omnium sacrificiorū.

Iam etiam uota disparuerunt omnia, quia sacrificia sublata sunt. *Vota abrogata.*
 Ita Nazaræorum disciplina abrogata est, quia templum cecidit unâ
 cum suis cæremonijs. Disciplina quidem Christiana & moderata,
 manet in ecclesia, sed non legalis illa. Ac sancti uota deo præstant,
 quæ non contra fidem & pietatem in ecclesia uouentur. Sunt autem
 in uouendo parci, caui & ualde religiosi. Quid enim habemus quod
 reddamus deo, quod non prius ab eodem acceperimus, & ad quod
 præstandum non prius in baptismo simus obligati?

Mundum & immundum nõ eo modo distinguit Christus quo *Delectus*
 lex, Quicquid ingreditur in os, inquit, non contaminat hominem, *ciborũ ab-*
 sed quod egreditur ex ore. Et apostolus dicit aperte, mundis munda *rogatus.*
 esse omnia. Cuius generis plurima commemorat ad Roman. 14. &
 alijs. In epistola ad Coloss. dicit idem, Si mortui estis cum Christo
 ab elementis mundi, quid quasi uiuentes in mundo deceret tene-
 mini? Ne tetigeris, ne gustaris, neque conrectaris, quæ omnia ipso
 pereunt abusu. Et cætera. Audit etiam S. Petrus, Quod deus san-
 ctificauit, tu ne dixeris immundum. Ergo quod sanguis & suffoca- *Sanguis et*
 tum prohibetur & remouetur è cibo hominum in synodali episto- *suffocatum*
 la, ædita ab apostolis Actorum 15. capite: non perpetuum fuit man- *prohibita*
 datum, sed temporarium. Voluerunt enim apostoli id dari Iudaicæ *ab aposto-*
 genti alijs pertinaci ex charitate. Audiebant quotidie lectionem *lis.*
 legis, quæ cum tanta obstestatione prohibeat esum sanguinis & suffo-
 cati, ac non ita pridem cœpisset euangelij prædicatio seri inter Iu-
 dæos, non potuerunt non grauiter offendi, cum uiderunt Gentes
 tam procaciter uti prohibitis illis. Ad tempus ergo abstinere uolue-
 runt Gentes à re maxime licita, si uel ea ratione lucrariliceret Iudæos.
 Nam epistolæ Pauli scriptæ post annos aliquot à concilio illo Hie-
 rosolymitano, satis arguunt decretum illud contra sanguinem &
 suffocatum non fuisse perpetuum. Decreta uero contra idolothya
 & fornicationem (quibus se gentes non admodum peccare arbi-
 trabantur) pronuntiata, perpetua sunt, quia moralia sunt, siue è nu-
 mero legum primarum atq; decalogi. Sed ea de re disputauimus alijs.

Et quoniam incidimus in mentionem decreti Synodalis consti-
 tuti ab apostolis & senioribus Concilij Hierosolymitani, placet hic
 auctarij & coronidis loco recitare C. V. totam synodalem episto-
 lam, quod ea apertum plenum & summarium ferat testimonium le-
 gis, ad eum quem diximus modum abrogatæ. Sic habet epistola *Decretum*
 siue Decretum, Apostoli & presbyteri & fratres, his qui sunt Antio- *cõcilij Hie-*
 chiæ & in Syria, & in Cilicia fratribus, qui sunt ex Gentibus, Salutem. *rosolymitani.*
 Quoniam audiuimus, quod quidam è nobis egressi, turbauerunt tam.

uos uerbis, labefactantes animas uestras, iubentes uos circumcidi & seruare legem, quibus non mandaueramus: uisum est nobis unanimitè congregatis, delectos uiros mittere ad uos, cum dilectis nostris Barnaba & Paulo, hominibus qui exposuerunt animas suas pro nomine domini Iesu Christi. Misimus ergo Iudam & Silam, qui & ipsi uerbis uobis referant eadem. Visum est enim spiritui sancto ac nobis, ne quid amplius imponeremus uobis oneris, quàm hæc necessaria, uidelicet ut abstineatis ab his quæ sunt immolata simulachris, & sanguine, & suffocato, & scortatione: à quibus si conseruaueritis uos ipsos, bene facietis, Valet. Hæc est ad uerbum catholica, synodica, apostolica, & ecclesiastica Hierosolymitani Concilij epistola, breuis quidem illa & dilucida: quia ut ueritatis oratio simplex est, sic uera religio & fides Christiana paucis et clarissimis uerbis exponi potest.

Pseudoapostolorum doctrina.

Principio post solitam subscriptionem & inscriptionem epistolarem protinus perstringunt Pseudoapostolos, quibus cum Paulo & Barnabæ intercesserat disceptatio, ac attingunt quale nam fuerit pseudoapostolorum doctrinæ genus, quod hæctenus proposuerat ecclesijs, ceu catholicum orthodoxum & apostolicum, oportere uidelicet eos qui salui esse uelint, circumcidi & seruare legem Moysis. Neque enim existimauerunt fidem in Christum sine legis adminiculo ad iustificationem plenam sufficere. Illi ipsi iactabant se missos ex urbe sancta, ab apostolis & discipulis domini, qui omnes concorditer sic doceant, solum Paulum cum suo Barnaba peculiare quoddam dogma serere in ecclesijs de fide iustificante absque operibus legis. Proinde mox ab initio quid de huiusmodi doctoribus & doctrina eorum sentiant proferunt, Fatemur sanè istos ex urbe Hierosolymorum prodijisse, inquit, sed addimus, per nos non fuisse missos aut instructos. Nihil enim talibus mandaueramus. Ita falsum esse attestantur, quod isti docuerant, apostolos & discipulos domini docere, legem requiri ad plenam iustificationem. Imò clarius exponunt qualis fuerit ac sit eorum doctrina, Turbauerunt uos uerbis, aiunt, labefactantes animas uestras, iubentes uos circumcidi & seruare legem. Doctrinæ ergo summa erat, nisi quis circumcideretur & seruaret legem, saluum fieri non posse. Attribuebant ergo salutem legis obseruationi, siue merito operum. Cæterum huic doctrinæ tribuunt apostoli effectum duplicem. Prior est, Turbant uos uerbis, Verba sunt, inquit, quæ profundunt, quæ animum non componunt, sedant, consolantur aut pacificant, sed perturbant, ut quid tantum credendum sit, aut in quo acquiescendum, ignoretis: sed & in

ter uos lites, dissidia, & rixas excitant. Ad hæc apostolorum uerba alius uisus uidetur Paulus cum Galatis scripsit, Miror quod à Christo, qui uocauit uos per gratiam, adeo cito transferamini in aliud euangelium, quod non est aliud, nisi quod quidam sunt qui turbant uos & uolunt inuenire euangelium Christi. Posterior est, Labefactant animas uestras. Nam qui legi & operibus innituntur, nihil stabile & firmum in mentibus habent. Nam cum lex perfectissimam exigeret iustitiam, & per illud occidat, quia talis in nobis non reperitur, labefactantur certe et subuertuntur, mentes, quæ docentur inniti operibus legis, quæ nemo sic præstat ut decebat, Paulus ergo ad Romanos, Si ij qui ad legem pertinent, inquit, hæredes sunt, inanis facta est fides, & irrita facta est promissio. Nam lex irâ operatur. Et mox, Idcirco ex fide datur hæreditas, ut secundum gratiã, ut firma sit promissio uniuerso semini, &c. Subuertebant ergo pseudoapostoli animas, docentes lege parari salutem. Quod certe graue iudiciũ est aduersus docentes cum illis similia.

Deinde pari libertate ex opposito pronunciant, quid sentiant de Paulo & Barnaba, imò legatos illos suos ornant sanctissimo testimonio & elogio, quo plus authoritatis habeant apud omnes, & ut omnes intelligant pulcherrimum esse inter ipsos doctrinæ consensus, Unanimiter congregati, inquit, mittimus ad uos legatos, En de pseudoapostolis testati sunt, quod ipsos non miserint, quod ipsis nihil mandarint: hos autem mittunt, & unanimes cum mandatis mittunt. Sed qui nam sunt illi? Dilecti nostri Barnabas & Paulus, qui animas suas exposuerunt pro nomine Iesu Christi. Hi inquam sunt apostoli selectissimi & martyres constantissimi, gloriosissimiq; dilecti & frares nostri, eiusdem nobiscum religionis & doctrinæ, qui quales sint uita & doctrina, non semel uirtutibus æditis, & periculis susceptis intrepide, declarauerunt. Quoniam uero Barnabas & Paulus non exigua erant portio istius controuersæ & disceptationis, coniuncti sunt eis duo alij selecti uiri, Iudas & Silas, in hoc ut uerbis referrent eadem, nimirum quæ hæctenus recensita sunt de partibus huiusq; & copiosius exponerent uerbis, quæ iã subiiciuntur in decreto generali.

Iam enim paucis uerbis ipsum decretum uniuersalis synodi comprehendunt, in quo exponendo primo loco authorem nominant decreti, dicentes, Visum est spiritui sancto ac nobis, Spiritum sanctum præponunt, se subiiciunt, illum designantes authorem ueri, se uero instrumenta per quæ ille operatur. Nam ille per homines operatur in ecclesia. Hominum uero authoritas sine instinctu spiritus sancti

Pauli doctrina probatur & commendatur ecclesie.

Decretum synodale exponitur.

nulla est. Significantissime ergo dicunt, Visum est spiritui sancto & nobis. Id est, Posteaquam convenimus nos in concilium, de negotio iustificationis & legis (in quo Paulus cum suis pugnavit adversarijs) tractaturi, non nostrum sequuti sumus arbitrium, non nostras sententias protulimus, sed spiritus sancti doctrinam inquirentes audientesq; hæc ex ipso iam proferimus. Secundo loco ipsius decreti summam collocant, dicentes, Ne quid amplius imponemus vobis oneris, quam hæc necessaria, videlicet ut abstineatis ab his quæ sunt immolata simulachris, & sanguine & suffocato, & scortatione. Proinde sufficit, inquit, ad salutem consequendam doctrina euangelij, quam nobiscum hucusq; prædicavit Paulus. Nolumus post doctrinam euangelij, & post illa paucula tria capita, quicquam vobis oneris amplius imponere. Quæ sententia nimirum respexerunt ad sententiam S. Petri quam exprimere voluerunt. Sic autem pronunciarat in Concilio S. Petrus, Vos scitis me vocatum cœlitus, profectum esse ad Gentes, & his annūciasse salutē per euangelium. Scitis Gentibus, nec circumcisis nec legem servantibus, dum fidem eis in Christum prædicarem, datum esse cœlitus spiritum sanctum, adeoq; Gentium corda, fide, non lege, fuisse ab ipso deo purificata, hæredesq; factos vitæ æternæ. His iam infert, Nunc ergo quid tentatis deum, ut imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neq; patres nostri, neq; nos portare potuimus? Sed per gratiam domini Iesu Christi credimus nos saluos futuros, quemadmodum & illi. En iugum & onus appellavit S. Petrus: unde apostoli dicentes se nolle quid amplius oneris imponere ecclesiæ, significant legem plane esse abrogatam. Liberant ergo ecclesiam à legis onere: liberant præterea ab omnibus oneribus legi similibus. Colligimus nos ex illis apostolorum verbis, Cæremonias illas onerosas multiples & innumeras, quæ accepit à Concilijs ecclesia post apostolorum tempora, iniuste & contra spiritum apostolicū & tunc impostas esse & hodie retineri atq; defendi. Dixerunt enim disertis verbis, Visum est spiritui sancto, & nobis, ne quid amplius imponeremus vobis oneris. Quod si aliquis objiciat propter ruditiem populi cæremonias illas esse injectas, ceu pædagogiam, respondeo, Pædagogiam illam è medio esse sublata, quam qui vult reductā, nil aliud cupit reductam quam Iudaismum. Non ignoravit deus qualis futura erat ecclesia collecta ex Iudæis & Gentibus, & tamen is è medio sustulit cæremonias. Quis vero melius novit quid expediat, vel non expediat ecclesiæ, quam deus? Proinde non expedit, quod iste sustulit, rectissimeq; pronunciarūt apostoli dicētes, Visum est

Acto. 10.

Inique ab
hominibus
cæremonia
multæ im-
positæ sunt
ecclesiæ
dei.

est spiritui sancto & nobis, ne quid amplius imponeremus uobis oneris, Pudeat ergo istos tantum imponere oneris ecclesie humeris liberrimis.

Verum iam subiungitur quod absoluat sententiã, Quam hæc ne
 cessaria, uidelicet ut abstinereis ab idolothytis, &c. Respexerunt autem *S. Iacobus*
 hæc uerbis ad sententiã S. Iacobi apostoli & fratris domini, hic *approbat*
 enim confirmaturus & approbaturus sententiã prolatam à S. Petro *sententiã*
 de iustificante fide, & non imponenda lege Gentilibus, profert testi- *S. Petri.*
 monium scripturæ ex Amos, qui prædixit Iudæos excidendos fo-
 re propter peccata, & in locum eorum surrogandas gentes, quæ ui-
 delicet futuræ sint uera dei ecclesia, quæ per Tabernaculum Dauide
 collapsum & reparatum significabatur. Idem propheta prædi-
 xit ratione certam, et modum propter quem recipiendæ sint Gentes
 in ecclesiam, non utiq; propter circumcisionem & per adminiculum
 legis, sed ex gratia per fidem. Dicit enim propheta, Requirit qui
 reliqui sunt homines dominum, & omnes gentes super quas inuo-
 catum est nomen meum, dicit dominus qui facit hæc omnia. Nota
 sunt à sæculo deo omnia hæc opera sua. Enquirent dominum, &
 in eius consortium recipientur, super quos inuocatum est nomen do-
 mini. Locutionis genus est, significans filios dei futuros qui sunt ele-
 cti. Nam super eos inuocatur nomen domini, qui nominantur filij
 dei, & sunt electi dei. Ac uniuersa scriptura id fidei tribuit. Per fidem
 ergo efficiuntur membra ecclesie & filij ad eoque & hæredes dei. Si uero
 aliquis obmurmurare dei consilio pergat, & dicat, Quare ita agit
 deus: is cogitet hoc opus, dei esse opus, cui non liceat contradicere,
 et cuius opera nota sunt ab exordio mundi, quod omnia facta sunt
 in iudicio & iustitia: unde consequens est, iustum et bonum esse etiam
 hoc concilium, quo gentes sibi per fidem in Christum circa legis ob-
 seruationem coniungit & beatificat. Ex his autem prophete uer-
 bis (subscribens S. Iacobus sententiã S. Petri) colligit atq; infert, Pro-
 pter quod ego censeo non obrubandum esse illis, qui ex gentibus
 conuertuntur ad deum; id est, censeo non addendam esse illis ex lege
 molestiam, neq; ipsis exhibendum negotium. Porro ne Gentes audientes
 sublatam esse legem, protinus putarent sibi licere quiduis, & sua illa
 libertate abuterentur, præterea & Iudæos fratres contra charitatẽ &
 libertate abuterentur, addit Iacobus, Sed scribendum ad *Abstinendo*
 eos censeo ut abstineant ab inquinamenti simulachrorum. Erant *dum san-*
 enim illis temporibus conuersi ex gentibus, qui arbitrabantur licere *ctis à quib-*
 ingredi templa idolorum, & participare de sacrificijs idolo oblati: *busdam.*
 sed quod idolum nihil sit, cum duntaxat unus sit deus uerus: unde &

sacrificia illa nihil esse, nihil prodesse aut obesse, ideoq; & licita esse Christianis colligebant. At beatus Iacobus, sicut & S. Paulus 1. Cor. 8. 9. & 10. prorsus uult abstinere conuersos gentiles à cultura idolorum, hoc est, ab ipsis idolis, & ab ijs quæ immolata fuerunt in templis idolorum dijs falsis & fictis. Adiungit etiam aliud, Caueant sibi à scortatione. Adulteria, stupra uirginum & matronarum prohibuerunt quidē bonis legibus gentes, & supplicijs coercuerunt uiolentos illos constupratores, sed leue & quasi nullum existimabant delictum, si quis sua sponte prostituisset pudicitiam: aut si solutus cū soluta mutuum haberet commercium. Iacobus ergo apostolus sicut & Paulus 1. Corinth. 6. & 7. Thess. 4. seueriter requirit sanctum & purum corporis usum, alienum ab omni pollutione. Ac idem tertio loco prohiberi uult suffocatum & sanguinem. Causam subiungit, Moses enim ab ætatibus antiquis in singulis ciuitatibus habet, qui ipsum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur. De qua constitutione iam dixi priusquam digrederer. Quæ cum ita habeant, apparet omnino illos iniquiores esse Iacobo apostolo, qui putant illum hæc præter rationem & iniquius decreuisse aut proposuisse, esseq; perniciosum fructum Concilij, & minime sanum, sed cum libertate Christiana pugnans consilium. Certum enim est illud aliud non uoluisse, quàm apostolum Paulum, qui ramen opime & cum laude omnium dixit, Quæ pacis sunt sectemur, & quæ ædificationis, alius erga alium. Ne cibi causa destruas opus dei, Omnia quidem pura, sed malum est homini qui per offendiculum uescitur. Bonum est non edere carnes neq; bibere uinum, neq; quicquam per quod frater tuus impingit aut offenditur aut infirmatur, &c. Rom. 14. Certum est & illud, S. Paulum acerrimum libertatis euangelicæ propugnatorem, qui quondam Petro Antiochiæ palam & in faciem restitit, planè non fuisse in S. Iacobo dissimulaturum, si putasset hanc constitutionē libertati Christianæ esse aut fore aduersam. Certe illud ille nec prædicasset neq; commendasset hanc apostolorum traditionem ecclesijs, nisi credidisset eam omnibus esse saluarem. Prædicauit autem & cōmendauit ecclesijs, ut exat Act. 16. cap. Ideo præter rationem propter suffocatum & sanguinem prohibitum male audit à non nullis S. Iacobus.

Postremo concludunt epistolam, & scribunt, A quibus si conseruaueritis uos ipsos, bene facieris. Valere. Laudant abstinentiā illā & prædicant tanq̃ opus bonum, quia eadem illa cōmendatur nobis in uota scriptura. Illa uero per digressionem, non alienā opinor ab instituto nostro, atulimus hæctenus super decreto apostolorum. Et hæc quidem

S. Iacobus
defensus.

quidem hucusq; de Abrogatione legum ceremonialium.

Restat ut nō nihil dicamus etiā de iudicialiū legum abrogatione. *De abrogatione legū iudicialiū.*
 Hæc uero hac ratione uidetur abrogata, quod nulla respublica Christiana, nulla ciuitas, regnum nullum, cogitur alligatum esse & recipere illas leges, quæ à Mose pro illa gente, pro loco & tempore, & rerum qualitate tunc quidem promulgatæ sunt, Proinde conceditur libertas utendi legibus, pro cuiuslibet loci, temporis et personarū exigentia adaptatis. Ita tamen ut substantia legū diuinarū nō calcetur, abijciatur aut negligatur. Quæ enim congruūt cum lege naturæ & decalogo, & quæ deus semper & apud omnes gentes punire iussit, ea minime sunt negligenda. Omnia aut̄ ad illū uidentur destinanda esse finem, ut constet honestas pax & tranquillitas publica, ut ualeat iudicium & iustitia. De qua re cum copiosius disseruerim in explanatione præcepti, Non occides, paucissimis hic ero contentus.

D. Apostolus Paulus præcipit parere magistratui: approbat ius gladij, quod fateatur principes non frustra accepisse à deo. Ergo nec electionem magistratus, neque administrationem gladij, aut executionem iudicij & iustitiæ, imò ne leges quidem ciuiles æquas improbauit.

Quod si quis conferat leges uel constitutiones principum, regum uel imperatorum uel magistratuum Christianorū ex ipso Codice, ex lib. digestorum seu Pandectarum, atq; ex Nouellarum constitutionum opere, aut ex alijs uariarum Gentium legum bonarum libris, cum hisce iudicialibus dei legibus, fateatur oportet magnam esse omnium istarum similitudinem atque conuenientiam. Iustianus Imp. prohibet, ne res deo consecratæ alienentur ab ecclesia. De fide catholica sincere confitenda, & pure conseruanda, elegantissimam & sanctissimā legē tulere Imppp. Gratia. Valent. & Theod. Constantinus magnus Tauro P. P. præcipit ut gentium templa claudat, reserantes autem & sacrificantes gladio sternat. Pauperibus prospectum fuisse legibus etiam cura regum & principum, non unus tantūmodo locus in legibus Cæs. ostendit. Certe Cod. lib. 1. tit. 2. plura eius rei argumenta inueneris. Iam uero de honeste educandis liberis, & benigne alendis parentibus extant ethnicorum non damnabiles leges. De patria potestate multa sunt conscripta: ita de Coniugio, nempe de Incestis & inutilibus nuptijs non intolerandas leges promulgauerunt cum Arcadio & Honorio principes etiam multi alij: qui & de repudijs diuortioq; scite præceperunt. Quod si perrexero ex legibus principum Christianorum singulis capitibus in sermone de iudicialibus legibus annotatis, singu-

las leges opponere uel coniungere, molestissimus fuero C. V. Nam extendet se sermo hic in immensum. Ergo satis nobis fuerit, his quasi notis & uestigijs indicatis, diligentioribus uiam aperuisse aut ostendisse, qua perueniant ad alia quoque quæ nos hic non adduximus, tenereq; in præsentiarum substantiam legum iudicialium dei, non esse sublatam aut antiquatam, modum autem limitationemq; in libertate & arbitrio optimorum principum esse constitutas, ut hi quod æquum & iustum est ordinent pro loci temporis & personarum exigentia, ita ut honestas & pax publica conseruetur in gente quauis, honoreturq; deus pater per unigenitum filium benedictum in sæcula. Videmus enim apostolos Christi nulli genti negotiorum fecisse, aut postulasse ut in rebus politicis Mosis leges recipiant. Hoc ipsum decet omnibus conseruare temporibus. Beatus Petrus simpliciter præcipiens dicit, Subditi estote cuius humanæ creaturæ propter dominum, siue regi, tanquam præcellenti, siue præsidibus ut qui per eum mittantur, ad uindictam quidem nocentium, laudem uero recte agentium. Idem tamen apostolus censet, deo magis obediendum esse quam hominibus, cum uidelicet homines, leges contra religionem ueram æquum & iustum promulgant. De qua re dictum est cum exponeremus locum de magistratu. Tamen uero dixi de Abrogatione legum dei iudicialium.

De similitudine & dist. tribus legis, de usu seu effectu, de impletione & abrogatione eius
ferentia ueris Si uero ea quæ hucusque protuli in medium de lege dei, de paræris constituere, quid sentiat de ultimo illo capite, quo de ultimo
ui testamen me in principio huius sermonis dicturum pollicitus sum, ostensurum uidelicet unicum esse testamentum ueteris & nouæ ecclesiæ dei,
ti & popu-
li.

& unicum esse rationem salutis ueræ omnium quicumque saluari sunt & saluantur in hoc sæculo, & quid differat nouum testamentum à ueteri. Cum enim apertissime ostēderim, omnia legis in Christo respicere & hunc patribus propositum esse saluatorem, in quo solo saluari sint, quis non uideat eandem fuisse illis salutis rationem quæ hodie nobis est. Quo tamen omnia sint euidentiora, non grauiabor rem illam, licet abunde satis hucusque declaratam, nihilominus maxime uulgari demonstratione omnium subijcere oculis.

Eandem ecclesiã, idem Idem certe populus, idem testamentum, eadem ecclesia, eademq; *testament.* salutis ratio illis est, apud quos eadem inuenitur doctrina, eadem *esse, ueterũ* fides, idem spiritus, eadem spes, hæreditas, & expectatio, eadem in *& nostrũ.* uocatio, et eadem sacramenta. Si ergo ostendero ueteres commemo-
 rata illa omnia nobiscum cõmunia habuisse, euci haud dubie uni-
 cum

rum modo, quod substantiam auiner, fuisse & esse testamentum, eundem ueteres nobiscum esse populum, in eadem ecclesia & societate agentem, neq; in alio quàm solo Christo dei filio seruatum.

Eandem illis & nobis doctrinam fuisse & esse sic ostendo. *Eadem doctrina ueteribus & nobis.* Nos quidem doctrina, euangelij doctrina est. Atqui illa non caruisse ueteres, testis est apostolus, dicēs, Euangelium dei, ante quidem promisit deus per prophetas suos, in scripturis sanctis, de filio suo, qui genitus fuit ex semine Dauid secundum carnem, qui declaratus fuit filius dei cum potentia, &c. Quid poterat dici clarius? Euangelium quod prædicatur ecclesiæ, quondam per prophetas in scripturis sanctis, promissum fuit, nempe uenturum in mundum filium dei, qui saluos faciat credentes. Præterea docet hoc euangelium, non per opera legis, sed gratis per fidem iustificari credentes. Verum S. Paulus, Ex operibus legis, inquit, non iustificabitur omnis caro in conspectu eius. Per legem enim agnitio peccati. Nunc uero absq; lege iustitia dei manifestata est, dum comprobatur testimonio legis & prophetarum: iustitia uero dei per fidem Iesu Christi, in omnes, & super omnes, qui credunt. Succinit S. Paulo D. Petrus, dicēs in Concilio Hierosolymitano, neq; nos, neq; patres nostros iugum legis portare potuisse, credere autem nos perinde ut illos, per gratiam domini Iesu, saluos futuros. In reliquis substantialibus nihil discrepat doctrina.

Quorum uero eadem est doctrina, eorum nequit esse fides diuersa. *Eadē fides ueteribus & nobis.* Fides enim ex auditu, audius autem per uerbū dei. Quid quod patres nostri Abraham & reliqui statuuntur nobis exempla fidei? Videre id licet in sacrosancto domini euangelio, & in apostolorum literis. Quis uero statuatur aliena exempla quæ imitemur? Paulus pluribus in locis, præsertim ad Roman. 4. cap. ostendit fidem nobis imputandam ad iustitiam, sicut ea legitur Abrahæ imputata fuisse: & fides quidem, non diuersa, sed ea quæ cum nostra innititur in promissionem dei, ac in semen benedictum. Appellat enim illum patrem, non eorum dumtaxat, qui genus ducunt ex circumciso, sed eorum quoq; qui ingrederentur uestigijs fidei, quæ fuit in præputio Abrahæ. His accedit quod confirmatio regulæ Christianæ, quam alias appellamus Symbolum apostolorum, aut Fidei articulos, ex scripturis patrum ueteris testamenti petitur. Quod sanè eiusdem nobiscum fidei clarissimum est testimonium. Crediderunt isti in uenturum Messiam, quem nos uenisse credimus: qui etiam singula plenius & exactius perspicimus: sicuti mox dicemus, ubi uidelicet uerum fuerit ad declarationem discriminis utriusq; testamenti.

*Edem spiri-
tus ueteris
bus & no-
bis.*

De spiritu uero uno atq; eodem, gubernante patres nostros & noui testamenti populum, quis dubitet, postquam unus duntaxat dei spiritus est, ac disertis uerbis S. Petrus testatur in prophetis fuisse spiritum Christi? Sed & S. Paulus, Cum habeamus, inquit, eundem spiritum fidei, iuxta illud quod scriptum est, Credidi & ideo loquutus sum, & nos credimus, quapropter & loquimur. Ergo quauis idem ille apostolus alibi dicat, fideles non accepisse spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed spiritum adoptionis, per quem clamant Abba pater: non negat tamen ueteres fideles habuisse eundem spiritum. Clamarunt enim & illi ad deum tanquam patrem, quanquam id non ex lege (quæ terret) sint consequuti, sed ex gratia Messiae. Rursus idem apostolus, Quicumq; spiritu dei ducuntur, ait, hi sunt filij dei. Conuertitur autem hoc ipsum, ut filij dei, ducantur à spiritu dei.

*Exodi 4.
Deute. 14.*

Cæterum filios dei fuisse ueteres, ac ab ipso deo & Mose sic appellatos, nemo negauerit, nisi qui scripturas nunquam legit. Quid quod patres nostri appellati sunt reges & sacerdotes, adeoq; regale sacerdotium, & sacerdotale regnum? Quod S. Petrus accommodauit & Christi fidelibus, Nequit autem regnum et sacerdotium tale sine unionione spiritus constare. Dixit quidem in euangelio suo beatus Ioannes apostolus, Nondum erat spiritus sanctus, quia Iesus nõdum erat glorificatus. Sed quemadmodum non loquutus est de substantia spiritus sancti, quæ est essentia patris & filij coeterna, ita nõ negauit in uniuersum ueteres accepisse spiritum sanctum. Loquitur enim de excellenti dono, quod post ascensionem domini effusum est in omnes gentes credulas. Sic enim ipse Ioannes sese interpretans, præmittit, Hoc dixit (Qui credit in me, flumina de uentre eius fluunt aquæ uiuæ) de spiritu quem accepturi erant credentes in ipsum. Donum ergo spiritus eo tempore, cum hæc diceret dominus, nõ ita erat uulgare, & tanta in omnes effusum copia, quanta effundebatur post clarificationem Christi in credentes. Ac reuera non potuissent patres nostri & sancti prophetæ tam diserte omnia Christi & ecclesiae mysteria prædicere, quæ euangelistæ & apostoli completa esse testantur ad uerbum, nisi eodem illo spiritu fuissent gubernati prophetæ, quo postea instructi sunt apostoli. Neq; enim cogitare phasani entium furientiumq; instar. Vidit Abraham diem Christi, & gauisus est, capiens uidelicet & sentiens ex spiritali illa sua uisione spiritualem uoluptatem. Toties uero testatur Dauid sibi sacra & cælestia ecclesiasticos longe grauissimos fuisse: quod haud dubie nõ propter externas cæremonias, sed propter Christum maxime, quem spi-
ritu

ritu & fide contemplabatur in cæremonijs siue ritibus sacris, pronunciauit. Cumq; conset patres nostros gratia dei esse iustificatos, claret iustificationem illam nõ perfectam esse sine spiritu dei nostri: per quem et nostra hodie iustificatio perficitur. Gubernati sunt ergo eodem nobiscum spiritu. De his non aliter iudicauit S. Augustinus, cuius uerba C. V. ex 2. lib. de Peccato orig. contra Pelag. & Celest. ex cap. 25. uerbatim recitabo, Eodem spiritu fidei, inquit, a prophetis illa futura uidebantur, quæ a nobis facta creduntur. Neque enim qui nobis ista fidei dilectione prophetare potuerunt, eorum ipsi participes non fuerunt. Et unde est, quod dicit apostolus Petrus, Quid tentatis deum imponere iugum supra collum discipulorum, quod neq; patres nostri, neq; nos potuimus portare: sed per gratiam domini Iesu credimus salui fieri, quemadmodum & illi: nisi quia & illi per gratiam domini Iesu Christi salui facti sunt, non per legem Moysi, per quam non sanatio, sed cognitio est facta peccati? Nunc autem sine lege iustitia dei manifestata est, testificata per legem & prophetas, Si ergo nunc manifestata est, etiam tunc erat, sed occulta. Cuius occultationem significabat templi uelum, quod est ad eius significandam reuelationem Christo moriente, conscissum. Et tunc ergo ista gratia unius mediatoris dei & hominum hominis Christi Iesu erat in populo dei, sed tanquam in uellere pluuiæ, quam non debitam sed uoluntariam segregat deus hereditati suæ, inerat latens: nõc autem uelut siccatio illo uellere, hoc est Iudaico populo reprobato, in omnibus gentibus, tanquam in area cernitur patens. Hæc ille,

Iam uero proposita est Israel felicitas carnalis siue temporaria, *Eadẽ uete*
sed non sola. Nam in peritura & externa illa felicitate adumbrata *ribus spes*
est eis cœlestis illa ac æterna. Ostendit enim apostolus in 4. & 11. cap. *et hereditas quæ*
ad Hebræos, patres ex uisibili & tẽporaria hereditate sperasse inuisi- *nobis,*
bilem ac æternam, Nec alium in finem, tam diligenter ipsis Christi
promissus est, & in ipso benedictio & uita proposita, omnibus
quoq; & singulis propè cæremonijs præfiguratus, quàm ut spem
haberent uitæ, non alienæ aut diuersæ utiq; ab ea uita, in quam &
nos per Christum recipimur. Dominus enim in euãgelio dicit nos
cum Abraham Isaac & Iacobo in regno cœlorum congregandos, *Præstitam*
utiq; in eandem gloriam. At obijcitur mihi promissam illis dũtaxat *non tantum*
non præstitam esse uitam & salutem, sed reclusos in carcerem, expe- *promissam*
ctasse aduentum Christi, Ego uero nõ lego in sacris literis quicquã *fuisse patribus saluõs,*
de Carcere, in quem fuerint sancti patres reclusi, Petrus quidẽ Car-
ceris meminit, sed in ipsum collocat spiritus inobedientes, non obe-
dientes. Quod si quis obijciat Christum descendisse ad inferos: non

ad quidem negamus, dicimus autem ipsum descendisse ad demortuos sanctos, id est collectum esse ad cœtum beatorum spirituum, qui sanè cœtus non fuit in loco supplicij, id est in tormentis, sed in cœlesti gaudio, confirmante hoc ipsum, ipso ad inferos descendente domino, ac dicente ad latronem, Hodie mecum eris in paradyso. Potest & multis alijs scripturæ locis demonstrari, ueteres ab Adamo ad mortem usq; Christi sanctos patres, ex hac uita migrantes, propter Christum, in uitam non in carcerem concessisse. Nam dominus noster in euangelio secundum Marcum, Deus, inquit, non est deus mortuorum, sed uiuentium. Est autem deus Abraham Isaac & Iacobi: ergo Abraham Isaac & Iacob uiuunt: non corporaliter quidem. Corpora enim sepulta iam olim computruerant: ergo animæ ipsorum uiuunt in gaudio: corpora uero & ipsa in iudicio resurgent. In euangelio secundum Lucam meminist dominus sinus Abraham, in quem colligantur beati spiritus, & de eo pronunciat quod sit constitutus in ædificatio, ac locus sit non cruciatus & supplicij, sed gaudij ac refrigerij. Ideoq; frequenter legis in sacra historia de sanctis patribus, quod collecti sint ad suum quisq; populum, id est recepti sint in consortium illud patrum, cum quo in hoc sæculo in eadem religione & fide perstiterunt. Nam de sepultura corporali id non posse exponi, manifeste reuincunt sequentia locorum istorum, & circumstantiæ. Rursus dicit in euangelio secundum Mattheum dominus, Dico uobis, quod multi ab oriente & occidente uenturi sunt, & accumbent cum Abraham Isaac & Iacob in regno cœlorum, filij uero regni eiicientur in tenebras extremas, illic erit ploratus & stridor dentium. Quod si gentes colligi debent in regnū cœlorum, si aggregandæ sunt patrum consortio, certe necesse est patres prius in cœlum receptos, tum quoq; sensisse gaudia, cum hæc loqueretur dominus. Qui in euangelio secundum Ioannem clare dicit, Abraham exultauit, ut uideret diem meū, & uidit, atq; gauisus est, Quod etsi de iustificatione & gaudio conscientie intelligamus, non tamen disingimus gaudium uitæ æternæ, quod certò hoc ex illo sequatur. Præterea expendenda uidetur occasio, ex qua illud domini uerbum petiit ac pronunciatum uidetur. Dixerat dominus, Amen Amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Eam uero sententiam hisce uerbis exceperunt Iudæi, Abraham mortuus est, & propheta, & tu dicis, Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum, Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est: & propheta mortui sunt? Quem te ipsum tu facis? Ad hæc ergo respondens dominus, ostendit

ostendit Abrahamum per fidem, in sermone Christi, uiuificatū esse, aut in uita & gaudio conseruatum: hic utcumq; corpore mortuus sit, uiuat tamen & gaudio perfruatur anima iam apud deum. His accedit quod Dauid spem, expectationem & hereditatē suam exponens in Psalm. 16. inter alia dicit, Dominus mihi semper à dextris est. Propter hoc latratum est cor meum, exultauit gloria mea, in super & caro mea requiescet in spe. Quoniam non dereliques animam meam in inferno, neq; dabis ut sanctus tuus uideat corruptionem. Notam mihi facies semitam uitæ, satietas gaudiorum in conspectu tuo est, & iucunditates in dextra tua in perpetuum. Et quanquam S. Petrus & S. Paulus hoc Dauidis testimonium aptauerint Christo in Actis apostolorum, nemo tamen negare potest idem & suo modo congruere Dauidi, qui in illo Psalmo profiteretur fidem suam, spem exponit, ac Michiam suam, id est delicias suas, insignia, auricolum, aut clynodium suum prædicat. Competunt ergo illa in primis Christo, deinde etiam Dauidi, & omnibus fidelibus. Nam uita & resurrectio Christi, fidelium est uita & resurrectio. Idem alibi, Credo, inquit, uidere bona domini, in terra uiuentium. Porro in terra uiuentium non est mors aut dolor, sed satietas gaudiorum, & perpetua iucunditas. Hæc à deo per Christum in fide expectauit, eadem mirans ex hoc sæculo prorsus recepit, licet post multos demum annos nasceretur ac adueniret Christus, qui & nos hodie saluat, licet ueniret ante annos mille quingentos quadraginta nouem. Quod uero ad Hebræos. 11. cap. apostolus dicit, Atque omnes hi pares sancti testimonium promeriti per fidem, non acceperant promissionem, quod deus de nobis melius quiddam prouiderat, ne sine nobis consummarentur, simpliciter intelligendum putamus de consummata, ut ipse Paulus dicit, beatitudine seu felicitate, in qua patres sancti sine nobis non cōsummantur. Quia restat adhuc generalis resurrectio omnis carnis, quæ simul atq; facta fuerit, consummata erit & omnium sanctorum perfecta beatitudo, quæ non animæ duntaxat, sed etiã corpori obuentura est. Certe S. Petrus quoq; asserat salutem per Christum partam principio animabus, sanctorū nimirum, mox à morte corporea cōmunicari, deinde uero in fine sæculi sanctorum sepulta resuscitari corpora, quemadmodū omnium hominum ac iudicari. Iudicabit, inquit, dominus uiuos & mortuos. Nam in hoc innotuit euangelium mortuis, ut iudicentur quidē secundum homines carne, uiuant autem iuxta deum spiritu. Id est, efficax fuit mors Christi, fide mortuis paribus: sic ut iam nunc uiuāt animabus apud deum, atq; illi ipsi sicuti & reliqui homines omnes

iudicandi sint carne siue in corporibus suis, tum uidelicet cum uenturus est dominus iudicare uiuos & mortuos. Nondum itaq; salus nostra perfecta siue consummata est, cōsummabitur in fine sæculi.

Eadem ueribus inuocatio quæ nobis.

Præterea non inuocarunt patres nostri alium quàm unicum deum creatorem, credideruntq; illum hominibus propitiū esse propter semen benedictum. Et quamuis non adeo uulgaris fuerit illis sicuti nobis inuocatio nominis dei per mediatorem & intercessorem Christum, quemadmodū & dominus in euangelio testatur, dicens, Hactenus non petistis quicquid sub nomine meo: petite, & accipietis: non tamen fuerunt prorsus ignari mediatōris propter quē exauditi sunt Daniel in 9. cap, supplicans deo postulat exaudiri à deo, propter dominū, nimirū propter Christū promissum. Quoties deniq; sancti orantes, dixerūt, Memento Abrahā, Isaac & Iacobi, non utiq; respexerunt ad personas aut animas sanctorū patrum, sed ad promissionē patribus factā: quæ cum illa sit, Benedicentur in semine tuo omnes tribus terræ: & Paulus testetur semen illud, Christū esse: consequens est patres respexisse ad semē benedictū, orasseq; deum, ut exaudiat, ppter Christum. Nam & alibi promittit Ezechielæ liberationē deus, dicens, Pro regem urbem istam propter me, & propter seruū meum Dauid. As Isa. 7. & 28. claret partem esse urbi propter Christū uirginis filiū, qui est fundamentū in Zion collocatum, quem & Ezechiel 34. cap. Dauidem, & euangelium appellat Dauidis filium.

Eadem ueribus sacramenta quæ nobis.

Postremo eadem fuisse sacramenta ueteribus quæ nobis, ostendit apostolus Paulus, qui aliās quoq; Circumcisionem & Pascha illorum sacramenta nobis cōmunicat, ut Coloss. 2. & 1. Corinth 5. In 10. cap. minatur Corinthiis graue supplicium à domino, nisi abstinent ab idolothytis & gentili lasciuia. Profert ergo exemplum Israelitarum & suo instituto ad hunc modum accommodat, Nolo uos ignorare, patres nostros fuisse dei ecclesiam, et habuisse eadem nobiscum sacramenta. Nam omnes in Mose, id est, per Mosen, siue per ministrum Mosis, baptizati sunt in nube & mari. Nubes enim & mare fuerunt symbola baptismi. Deinde omnes eandem escam spiritualem ederunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Et mox per interpretationē subiungit, Bibebant enim de spirituali, quæ illos comitabatur perra, Perra uero fuit Christus. Certe Manna & Perra typū præferebāt spiritualis epuli, quo nos et illos reficit Christus, qui est panis & potus uitæ. Quamquā uero illi corporaliter externe siue uisibiliter participassent sacramentis, quia tamē fide & spiritu destituebantur, quia cultu idolorum, crapula & fornicatione pollutū sunt, diligerunt deo, & prostrati sunt in deserto. Nisi ergo uos quoq; abstia

abstinueritis à fordis illis flagitijs, nihil proderit baptisumus aut spirituale epulum, sed perdet uos dominus.

Cum itaq; clarissimis his scripturarū testimonijs demonstratū sit, eadem fuisse ueteribus sacramenta quæ nobis, eandem inuocationē dei, eandem spem, expectationem & hæreditatem, eundem spiritū, eandem fidem & doctrinam, confectum esse spero id quod ostendere uolui, patres testamenti ueteris fideles & nos noui testamenti credentes, unam esse ecclesiam, unum populum, qui omnes una sub congregatione, sub unico testamento, unica dumtaxat ratione salui fiant, per fidem Iesu Christi.

Dixi ista hæctenus de similitudine & congruentia siue unitate ueteris & noui testamenti ac populi dei, dicam iam pauca & de utriusq; discrimine & differentia. In substantia quidem nullum reperiatis discrimen, in modo administrandi & accidentibus quibusdam circumstantijsq; existit differentia. Promissioni enim siue doctrinæ fidei & primarijs legibus accesserunt externa quædam, addita ad tempus correctionis, ita ut regimen totum ecclesiasticū, modus tradendi doctrinam pietatis, & cultus dei exterior apud ueteres alius cernatur, alius apud nos. Verum poterunt discrimina utriusq; potissima hæc pauculis numerari & exponi capitibus.

De discrimine seu differentia ueteris & noui testamenti & populi.

Principio clariora seu illustriora sunt omnia noui testamenti. Reuelatio uerus habuit semper ferè subobscuri aliquid, instar nubis, testatq; fuerunt pleraq; & inuoluta umbris seu inuolucris. Porro prædicatio noui testamenti clara est, adeoq; lux dicitur quæ nihil obscuritatis habet. Moses imposuerat uelamen uultui suo, nec poterant filij Israel intendere oculos in faciem eius, nos autem non modo in facie Moysi resectam, sed in ipsius faciem Christi clarissimā & amantissimā inspicientes, gaudemus nos ipsam salutē reuelatam coram cernere. Hoc nomine dominus discipulos suos prædicauit beatos, dicens, Beati oculi, qui uident quæ uos uideris. Dico enim uobis, quod multi prophætæ & reges uoluerunt uidere quæ uos uideris, & non uiderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt. Certe beatus Simeon iustus, se felicissimum hoc nomine prædicat, quod circa & sponte moriturum se promittit, dicens, Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum uerbum tuum in pace. Quia uiderunt oculi mei salutare tuum: quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Quamuis autem ueteribus non tanta fuerit lux quantal nobis in Christo exhibito radiat, satis tamen fuit illis ea quam habuerunt ad salutem in Christo consequendam. Videmus & nos ipsi

Clariora omnia in nouo testamento & populo.

hodie in ænigmate, licet patribus nostris longe splendidius. Nam aliquando, nempe in gloria, uidebimus de facie ad faciem, sufficit tamen hæc nostra uisio ad salutem. Perplacet ergo similitudo istorum, qui dicunt, Ersi sub auroram non tantus sit fulgor quantum diffunditur circa meridiem, non tamen expectant uiatores plenum solis exortum, sed accinguntur ad iter, ac sufficit eis uidere uiam qua eant. Ita enim existimant & patribus nostris eam lucis portionem quæ fuit in aurora, satis fuisse, quippe quæ fide dace, per omnia impedimenta ad æternam beatitudinē perduxerit. Interim est quod nobis gratulemur, & propter quod æternas deo nostro agamus gratias, quia exortus est nobis in nouo testamento post luciferum istum & stellas lucidissimas ipse clarissimus sol iustitiæ Christus.

Nouum testam. t. nul. las habet figurar, sed omnium est completum. Deinde habuerunt ueteres in testamento ueteri typos, umbras, atq; figuras, nos rem ipsam accepimus figuratā siue adumbratam. Ergo quod illis promisit deus, id præstitit exhibuitq; nobis. Illi quidem uenturum Christum, & liberaturum credentes crediderunt: nos credimus illum uenisse, redemisse nos, & impleuisse omnia. Ergo in euangelio dixit dominus noster, Lex & prophetæ usq; ad Ioannem, ab eo tempore regnum dei annūciatur, & quiuis in illud uim facit.

Tolluntur per Christum omnia onera. Ex quibus iam illud quoq; deriuatur, ueniente aut præsentē re figurata, cadere & disparere utroq; omnes figuras & umbras prænūciantes res futuras. Proinde tollitur hic ab humeris nostris ingū et onus, quod sustinuerunt patres nostri. Culus illis erat opofus & onerosus, quo loco numeramus sacerdotiū Aaronicū, tabernaculū uel templū, instructissimum rebus & instrumentis exquisitissimis, item sacrificia multifaria, & huius generis multa alia. Ab his aut sumptibus & oneribus sumus liberati qui sumus noui testamenti populus. Liberauit aut Christus, in quo uno & solo omnia uitæ & salutis habemus. Placuit enim deo patri in hoc uno recapitulare, ut Paulus ait, ac uel in summam redigere, oīa uitæ & salutis, ut quæ hæctenus uelut dispersa uidebantur, iā nobis exhibeantur uniuersa plenissime in Christo. Est enim Christus cōplementū omniū figurarū & cæremoniarū: per cuius spiritum cum rem ipsam possideamus, nihil porro opus fuerit figuris uel umbris. Christus pauca instruit externa, eaq; sine apparatus & sumptu. Magna ergo libertate gaudet noui testamenti populus. Huc pertinere arbitror elegantissimum S. Pauli locum, qui extat 4. capite ad Galatas, ubi diligenter hoc negotium tractans fingit duas matres, alteram quidem generantem in seruitutem, alteram uero in libertatem, idēq; sub typis Agar & Saræ. Qua re significat doctrinam duplicem, legalem & euangelicam. Legalis in seruitute

seruitutem generat, Euangelica in libertatem. Iccirco generabat lex *Seruitus le*
 sanctos patres & prophetas in seruitutem, non ut manerent serui, *galis in ue*
 sed ut ipsos retineret sub disciplina, imò & ad Christum adduceret *teri testa.*
 legis perfectionem. Libertas patrum caeremoniarum mole oppri-
 mebatur, aut abscondebatur, ut quanquam liberi essent animis, co-
 ram deo, externa tamen specie nihil differrent à seruis, hærentibus
 adhuc in humeris ipsorum oneribus legis. Quia enim lex nondum
 erat abrogata, cogebantur eam diligenter præstare. At cum aduenit
 Christus & omnibus satisfecit, ceciderunt umbræ, cecidit & iugum
 illud graue ex humeris Christianorum. Sic gignit nos mater Sara
 in libertatem. Hæc est mater omnium nostrum. Ex illa matre (quæ
 & mater sanctæ ecclesiæ nuncupatur) habemus semen uitæ, eadem
 formauit & ædificauit nos in lucem, fouet nos in sinu suo, habens lac
 & cibum, ipsum inquam uerbum dei, quo nos educat, alit & seruat.

Dirupta autem macerie & ruptis uinculis, deus ecclesiam suam *Populus te*
 regit liberalius, nec tenet amplius sub tā arcta custodia. Neq; enim *stamenti*
 continetur dei populus in ira terminos terræ promissæ. Nam expan- *noui nouus*
 ditur ad fines terræ, neq; iam sunt illius populus circumcisi & seruan- *& amplissim*
 tes legem, (quanquam tunc quoq; non dubium est quin suos ha- *mus.*
 buerit inter gentes, ut Iob & alios quos ipse nouit) sed qui Christū
 agnoscunt, licet nec circumcisi sint, nec lege occupentur. Nouus hic
 est populus, ex toto terrarum orbe collectus spiritu & fide. Idem no-
 men dedit testamento nouo: in quo Iudæi nullam hæreditatem ha-
 bent, nisi legalibus desertis & Christo legis sine fide apprehenso. Sūt
 autem omnium prophetarum libri referri testimonijs de Vocatione
 Gentium in cōsortium populi dei, item de repudio Iudæorum qui
 propter pertinax legis studium abdicantur.

Præterea ponit aliud discrimen apostolus Paulus, ex uaticinio Ie- *Noui testa*
 remiæ in 8. cap. epistolæ ad Hebræos. Tribuit enim noui testamenti *menti dona*
 populo eximia aliquot dona, nempe plenariam peccatorum remis- *amplissima*
 sionem. Dicit enim, Quoniam propitius ero iniustitijs eorū, & pec- *& uberrima.*
 catorum eorum & iniquitatum non recordabor amplius. Tribuit
 ei & exactissimam mentium reformationem & illuminationem ab-
 solutissimam. Dicit enim, Ponam leges meas in mentes ipsorum, &
 in cordibus eorum inscribam eas: & non docebit unusquisq; proxi-
 mum suum, & unusquisq; fratrem suum, dicendo, Cognosce domi-
 num: quia omnes me scient à paruo usq; ad magnum. De lege ue-
 ro scribitur quod exarata sit in tabulas lapideas. Nemo tamen pu-
 tauerit patres nostros nullam peccatorum ueniã cōsequutos fuisse.
 Et enim & ipsi gratuitam peccatorum condonationem acceperunt.

per fidem, ita deus eorum cordibus olim quoque legem inscripsit, & spiritum suum infudit. Quis enim hodie nostrum dicat, se superare sciētia, fide, illuminatione ipsum Abrahamum, Moſen, Samaelem, Dauidem, Iſaiam, Danielem, Zachariam? Discrimen ergo in hoc non est quod patres testamenti ueteris & remissione peccatorum & spiritus illuminatione caruerint, nos qui sumus noui testamenti populus illa sibi consequuti sumus, sed in doni magnitudine, amplitudine, copia & ubertate discrimen agnoscitur, nempe quod liberalissime profunduntur illa iam in plures. Vocatę enim omnes gentes, plenis uolunt hauriunt aquam uitę. Eifundit deus super omnem carnem spiritum suum. Olim nouus in Iudęa deus, iam uero cum Christus orbi exhibitus est, egrediuntur discipuli in orbem terrarum, & cognitione dei imbuunt omnia regna terrę. Olim potuerunt numerari heroes, uiri excellētes & prophetę: quia sola terra promissatales ferē profundebat. Quis uero iam numeret reges, principes, heroes, prophetas, episcopos, doctores, martyres, & omnis generis sexus & ætatis insignes personas, quas nobis dedit & dat hodie quoque, non Iudęa sola, sed Arabia, Idumęa, Phœnitia, Mesopotamia, Persia, Asia, Aegyptus, Africa, Gręcia, Italia, Oriens, Meridies, Occidens & Septentrio? Omnibus regnis prædicata est gratuita peccatorum remissio. Omnes fideles ex omnibus regnis totius mundi in gratiam dei per Christum sunt recepti. Omnes acceperunt spiritus donum amplissimum. Omnes prophetarunt. Omnes cognouerunt dominum. Et lex quidem perficiebat neminē, sed ducebat ad spem potiorem. Euangelium simpliciter perficit, recta, sine ullo interuentu, ad Christum ducit, & in ipso acquiescere facit.

Novū testamētū non habet conditionē certā et conditā terrę. Postremo loco non dissimulabo & hoc discrimen, licet leuicolum sit, & alia eiusdem generis obseruari possint non pauca, quod lex ex parte intentā in terram certis metis distinctam, populo ueteri possessionem eius seruanti legem, eiectionem ex ea præuaricanti legem, & promissit & minata est. Nobis uero nulla certis terminis distincta terra promittitur. Domini enim est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & quęcunq; sunt in ea. Quanquam uero hic nihil certi, ut quondam, nobis designet, nusquam tamen nos negligit: alit enim, benedicit & seruat in quauis terra. Proinde finem suum consequutę sunt, & disparuerunt omnes promissiones factę quondam de terra illa sancta patrum. Ut ante sæculum unum & alterum infamisse uideantur, qui multas gentes commouerunt ad capiendam pro recuperanda terra sancta. Christus aduentu suo in mundum

dum totam terram sanctificauit, Nam sunt in omnibus terræ plagis aliquot filij dei.

Paucioribus hæc de similitudine & congruentia, item de discrimine & differentia utriusq; tam ueteris quam noui populi & testamenti, perstrinxi, quod hoc negotij attigerim Sermone 1. Decad. 1. item Sermone 6. Decadis 3. deniq; in negotio de abrogatione legis, & quod olim quoq; de Antiqua fide & de unico æternoq; dei testamento tractatus ediderim, quos scio uobis esse familiarissimos.

Nolo per epilogum colligere potissima huius sermonis capita, cum quod aliàs plus æquo prolixior fui, tum quod perspicuo maxime usum me ordine existimem, confidamq; singula cuiusq; memorie insculpta sic satis hæere. Absolui autem his, per gratiam dei, totum Legis diuinæ negotium, quo de multis diebus sermonibusq; disserui. Deus & pater noster cœlestis sit benedictus in sæcula, & benedicat nobis per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

De Libertate Christiana & Scandalo: de Bonis operibus & mercede suis præmio bonorum operum. SERMO IX.

IS SERVI diu Sermonibus multis de Lege diuina, quoniam uero ex Legis consideratione tractationeq; quædam non contemnenda prætereundæ capita existunt, & cum illa ceu conserta & concomitantia cohererent, cuius generis est Libertas Christiana, Bonum opus, & merces, siue præmium boni operis, deniq; peccatum, & peccati præmium, uel supplicium, dicam & de his ordine, quæ dominus loqui dederit: quem modo orabimus ne quid de his, & de alijs dogmatibus sanctis, nos loqui contra eius sanctam uoluntatem patiamur.

Ex abrogatione legis dependet Libertas Christiana, ueluti effectus legis abrogatæ, quæ libertas mox suppeditat occasionem discutiendi de Scandalo. Ac de Libertate Christiana diligenter & copiose disputauit sanctissimus Christi apostolus Paulus, unde colligere possumus considerationem libertatis Christianæ, nec parui momenti, nec exigui esse fructus. Præcipue uero necessaria est eius tractatio nostro sæculo, in quo non pauci libertatem Christianam, uel non intelligunt, uel malitiose ea abutuntur ad explenda desideria carnis. Dicam ergo quis sit liberator, qui in libertatem afferit, Quos liberet, A qua re uel quatenus liberet. Quibus perspectis facile erit uidere,

De Libertate Christiana.

quid sit libertas Christiana, quod ingenium libertorum, & quantum opore hi caueant ne usquam quenquam offendant, aut sua abutantur libertate.

Liberator quis.

Liberator non alius nobis promittitur, exhibetur & annunciatum quam Christus Iesus dei filius. Qui enim alios liberat, eum oportet liberum esse, nec ijs obnoxium, quibus cōstricti tenentur, qui expectant & expectant liberationem. Nullus autem talis inuenitur in toto terrarum orbe, & in omnibus ætatibus, adde & in ipso cælo, nisi unus dei filius, qui eo nomine in euangelio dixit, Si filius uos liberauerit, uere liberi eritis.

Quos liberet.

Liberat autem seruos dominus, ergo liberat à seruitute asseritque in libertatem filiorum dei. Et omnes quidem seruos liberat, nullum excludit nisi eum, qui seipsum sua culpa, sua incredulitate & inobedientia excludit. Venit enim dei filius liberandis omnibus seruitute implicitis. Eatenus ergo liberat, quatenus serui sumus. Opponitur enim Libertati Seruitus, ut illa non possit nisi hac considerata plene intelligi. Proinde dicendum erit hic quoque, quantum nostro seruiti proposito, de seruitute: quæ nihil aliud est, quam seruorum conditio. Serui autem uel nascuntur, uel fiunt. Nascuntur ex ancillis siue uernis. Fiunt, uel ex captiuitate, unde & nomen sortiti sunt. Pomponius enim, Serui ex eo appellati sunt, ait, quod captiuos uendi imperatores iuberent, ac per hoc seruare nec occidere: qui & Mancipia dicuntur, eo quod ab hostibus manu caperentur. Vel fiunt serui iure ciuili, cum homo liber, maior uiginti annis, ad precium participandum, sese uendari passus est. Amiserunt ergo serui omnem libertatem, pendunt toti ab imperio dominorum suorum, qui in ipsos

Duplex seruitus.

habent potestatem necis & uitæ. Est autem seruitus duplex, politica siue ciuilis, & spiritualis. Ciuile gratia & prædicatione sua non sustulit dominus ex ecclesia fidelium, ne uidelicet sint serui, uel ne faciãnt suum officium, neque debita sua persoluant. Nam apostolus

Corporalis seruitus.

Christi Paulus, Vnusquisque, inquit, ut uocauit eum dominus, ita ambulet. Et sic in ecclesijs omnibus ordinò. Seruus uocatus es? Ne sit tibi curæ. Attamen si potes liber fieri, magis utere. Et iterum, Serui obedite ijs qui domini sunt iuxta carnem, cum timore & tremore, cum simplicitate cordis uestri, tanquam Christi: non ad oculum seruientes, uel ut hominibus placere studentes, sed tanquam serui Christi, facientes quæ uult deus, ex animo, cum beneuolentia, seruientes domino, & non hominibus: illud scientes quod unusquisque quod fecerit boni, hoc reportabit à deo, siue seruus fuerit, siue liber. Et ad Timotheum, idem, Quicumque sub iugo sunt serui, inquit, suos dominos

minos omni honore dignos ducant, ne nomen dei & doctrina male audiat. Qui uero fideles habent dominos, ne contemnant, quod fratres sint, sed magis inferuiat quod fideles sint ac dilecti, & qui bene uicia rependere possunt. Habent tamen in hac seruitute fideles euangelica prædicatione quod consoletur, nempe quod liberi sunt animis, licet seruiant corpore. Rursus enim dicit apostolus, Qui in domino uocatus est seruus, libertus domini est. Similiter qui liber uocatus est, seruus est Christi. Extenditur hæc consolatio ad omnes fidelium hominum afflictiones, qui sciunt saluum & liberum esse spiritum suum, utcumq; atrociter uel uinciatu r uel excrucietur corpus. Liberrimi ergo sunt sancti, quanquam in arctissima conficti teneantur custodia: uictores et superiores sunt, licet uinciantur & opprimantur: deniq; fruuntur uoluptatibus selectissimis etiã tunc cum torquẽtur infinis malis acerbissime. Scio à filijs huius sæculi hanc libertatem & has uoluptates fidelium rideri, tanq; somnia stultorũ. Verum dignas irrisiois suæ pœnas iusto iudici deo persoluunt, nõ tantum in futuro, sed etiam in hoc præsentis sæculo: quippe cum illi sint maxime captiui & ter miseri, etiam tunc, cum se arbitrantur liberrimos & omnium felicissimos esse. Seruiunt enim seruitium foridũ, & modis omnibus probrosum, addicti scortis foridis, ebrietati insanæ, mammonæ iniquitatis, & alijs uoluptatibus turpissimis, in quibus cum ignominia conficiuntur & cõputescunt. De sanctorũ uero seruitio & afflictionibus, libertate nihilominus fruuntur & exultant in domino, loquens apostolus, In omnibus premimur, inquit, at non anxij reddimur: laboramus, at non destituimur: persecutionem patimur, at nõ in ea deserimur: deijcimus, at non perimus: semper mortificationẽ domini Iesu in corpore circũferentes, ut & uita Iesu in nostra mortali carne manifestetur. Et iterum, In omnibus nitimur nos exhibere, ut decet ministros Christi, in tolerantia multis, in afflictionibus, in necessitatibus, in anxietatibus, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in uigilijs, in ieiunijs: per gloriã & ignominiam, per conuitia & laudes: quasi impostores, & tamen ueraces: quasi ignoti, & tamẽ noti: quasi morientes, & ecce uiuimus: quasi correpti, & non occisi: quasi dolentes, semper tamen gaudentes: quasi pauperes, multos tamen ditantes: ut nihil habentes, omnia tamen possidẽtes. Habetis quomodo in extrema seruitute sancti consolationẽ suam habeant, & sint liberrimi. Exempla infinita suppeditant Acta apostolorum, & historia ecclesiastica. Descendimus iam ad alteram seruitutis partem.

*Paradoxo
de libertate.*

Spiritualis seruitus similitudinem habet cum corporali seruitute.

*Spiritualis
seruitus.*

Nam factus est Adam seruus, & sua quidem culpa: nos nascimur ex seruo serui. Fuerat ille liber & habuerat dominū optimū & clementissimum, sed ab eo defecit perfide, ascuitq; sibi dominū alium, crudelissimum inquā tyrannū sathanā, qui ppter peccatū ius in ipsum affectus, miserum grauissime pressit. Nascimur autē ex corrupto patre corrupti & peccatores, ac propter peccatū subijcitur & nos dominio diaboli: subijcitur legi & legis execrationi. Sumus enim serui peccati. Subijcitur varijs calamitatibus propter peccatū. Spiritua-
lis ergo dicitur hęc seruitus, non quod in animo hominis duntaxat locū habeat, sed propter oppositionē, quatenus uidelicet opponitur ciuili uel corporali seruituti. Alioqui enim peccatū subdidit & corpus nostrū maledictioni. Neq; animo duntaxat, sed & corpore peccamus. Nam peccato omnes partes, & omnia membra corporis seruiunt, deniq; & peccato afficiuntur. Proinde seruimus seruitutē miserissimam, dum sub diaboli dominio uiuentes facimus quę carni libent, & quę suggerit affectus prauus, fructificantes aut abortientes potius domino illi teno nostro diabolo. Hęc uidelicet est grauissima seruitus nostra.

*Spiritualis
libertas, &
quatenus
liberari
nos Chri-
stus.*

Videamus iam ex oppositio quę sit libertas Christiana, hoc est, a qua re, uel quatenus liberauerit nos dñs noster. Et ut uno uerbo rem totā cōprehendamus, liberauit nos Christus dñs a graui illa seruitute, quatenus uidelicet eramus serui, eatenus nos liberauit. Id copiosius modo ita exponimus. Venit filius dei in hunc mundū, ac principio quidē oppresso per mortē tyranno sathana, cōtritoq; capite eius, in suū nos regnū transtulit, dñs & rex noster factus. Deinde adoptauit nos in filios dei, legisq; maledictionē sua benedictione sustulit. Nam omnia peccata sustulit, & fideles suos purgauit. Hinc conuulit donū spiritus liberrimū, ut filij dei sua sponte & ulno subijciant se diuinę uoluntati, & faciant quod uult deus. Nō enim remanet legis odium, licet remaneat infirmitas carnis. Postremo tulit idem dñs & rex noster ex humeris suorū onera legis, typos seu figuras, cū omnibus sumptibus, liberatosq; uenit rursus se subiugare legibus quibuslibet hominū. Ex quibus omnibus sic cōstituiamus, Liberare est a seruitute in libertatē asserere. Liber uel liberus est, qui liberatus a seruitute, iam libertate gaudet. Libertas ergo aliud nihil est q̄ liberi conditio, fructus inquā quem liber ex liberatione percepit, & quo iam fruatur, nempe q̄ liberatus a dominio diaboli, a peccato, ab execratione legis, & a morte, filius dei factus, hęc est uitę eternę: item q̄ spiritum accepit libertatis, per quem totū se seruū statuit deo, cui tota uita seruit: deniq; quod a lege Mosaica & ab omnibus homi-
num

*Libertas
Christiana*

num legibus assertus, ab unico iam pender euangelio, liberū habens usum rerum externarum, uelut cibi, potus, uestimenti, aliarumq; similitium indifferendum. Atq; in his tribus iam secundum recensius capitibus potissimum continetur libertas Christiana.

Illis porro subiicimus hæc scripturarum testimonia, quæ expositionem nostram & confirmant melius, & illustrēt splendidius. Collocabimus autem primo loco testimonia euangelica, secundo apostolica. Zacharias sacerdos pater Ioānis Baptistæ in hymno suo gratulatorio apud Lucam in 1. cap. prædicat ueritatem & bonitatē dei, quod ea quæ patribus pmisit, nobis præstitit, nimirū ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati ipsi seruiamus: in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus uitæ nostræ. Habemus in hoc testimonio ueram libertatem, illam uidelicet, qua liberati per dominum ab omnibus hostibus nostris, tum inuisibilibus tum uisibilibus, his non seruiamus amplius in timore, sed citra timorem, cum gaudio, seruiamus iam ipsi deo. Apponitur præterea seruiendi modus & ratio, In sanctitate & iustitia, Sanctitas refecat omnem impuritatem & intemperantiam. Iustitia tribuit unicuiq; suum illud: quod uidelicet debemus singulis, comprehenditq; liberalitatem & beneficentiam. Hoc autem seruiendi genere seruiunt deo liberi, non paucis diebus aut annis aliquot, sed omnibus diebus uitæ. Vera ergo libertas Christiana est perpetua seruitus, qua seruiamus deo.

Testimonia de libertate Christiana.

Ioan. 8. cap. iactantibus Iudæis uanam & ampullosam suam libertatem acceptam à suis patribus, hæc obiicit dominus, Amen amen dico uobis, quod omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo in æternum: filius manet in æternum. Si ergo filius liberos reddiderit uos, uere liberi estis. Meminit hisce uerbis dominus seruitutis, meminit & libertatis. Seruit peccato tanquam crudeli domino seu tyranno, qui facit peccatum. Obedit enim peccato. Tales serui sunt omnes filij hominum: id supplicij coniunctum, imò irrogatum habentes, quod in domo paterna, in cœlesti utiq; patria, nulla participant hæreditate. Quos uero filius dei liberauerit, illi participant & consortes fiunt cohæredesq; filij dei. Liberat autem credentes, filij ergo dei & cohæredes Christi propter Christum liberatorem fiunt liberi. Neque est in cœlo aut in terra alius, qui præter solum Christum, in libertatem asserere possit.

Paulus ad Rom. 6. cap. Ne regnet, inquit, peccatū in mortali uero corpore, ut obediatis ei per cupiditates eius. Neq; accommoderis membra uestra arma iniustitiæ peccato, sed accommoderis uosipfos deo,

uelut ex mortuis uiuentes, & membra uestra arma iustitiæ deo. Peccatum enim uobis non dominabitur. Non enim estis sub lege, sed sub gratia. Hortatur autem purgatos & liberatos per Christum ut uiuant in sua seruitute spiritali sancte. Non autem dicit, Ne sit peccatum in uobis, aut in mortali uestro corpore: sed ne regnet peccatum in uobis, aut in mortali uestro corpore. Quādo autem regnat? Quādo obediūmus peccato per cupiditates eius, id est, cum non repugnāmus, sed explemus cupiditates carnis. Non regnat ergo in mortali nostro corpore, quando sentitur quidē in corpore, sed non obeditur aut permittitur ei imperium, quin calcantur magis cupiditates. Hęc ipsam sententiā per aliam magis illustrem declarat, Nolo uos membra uestra peccato ceu tyranno permittere, quibus ceu instrumentis utatur ad perficiendam omnē iniustitiā. Hoc potius flagito, ut uos ipsos deo gubernandos regēdosq; offeratis. Quia enim is ex morte liberauit, & reuocauit in uitā, æquum est ut mēbra uestra ceu uitalia instrumenta detis deo per quæ omnē perficiat iustitiā. Atq; id quidē facile poteritis, qui sub gratia estis, non sub lege. Huc iam pertinent reliqua omnia, quæ in eo capite ad finem usq; subiūciuntur. Quid igitur, inquit, peccabimus, quod non sumus sub lege, sed sub gratia? Abst. An nescitis q; cui accommodatis uosipfos seruos ad obediendū, eius serui estis cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iustitiā? Gratia autem deo quod fuistis quidē serui peccati: sed obeditis ex animo, in eam in quam traducti estis formā doctrinæ. Cæterum liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ. Demonstrat autem liberos Christi nō abuti sua libertate & sese regendos præbere dño ueteri, Fingit enim duos dominos, Peccatum & Iustitiā. Apponit cuiq; suum præmiū aut stipendiū, mortē & uitam. Sed & generalē ponit sententiā, eius nos esse seruos, cui nosmetipsos ad obediendū tradimus. Inde sic colligit, Gratia dei cū simus redempti à seruitute peccati & stipendio eius, morte, certe translati sumus in seruitutem iustitiæ ut uiuamus. Significantius enim subiungit, Humanū quiddam dico, propter infirmitatem carnis uestræ, Quemadmodū enim præbuisstis membra uestra serua immunditiæ & iniquitati, ad iniquitatē: sic & nunc præbete membra uestra serua iustitiæ, ad sanctificationem. Cum enim serui essetis peccati, liberi eratis iustitiæ. Quem igitur fructum habebatis tunc in his, de quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors. Nunc uero manumissi à peccato, serui autem facti deo, habetis fructum uestrum in sanctificationem, finem autem uitam æternam. Etenim stipendia peccati mors, donū autem dei uita æterna, per Iesum Christū dominū nostrū. Hęc autē omnia

omnia tam sunt clara & simplicia, ut nostra non indigeant explanatione fusiore.

Illam uero omnia adhuc plenius exponit per collationem parabolicam in cap. 7. Mulier, inquit, uiro subiecta & obnoxia est, quam diu uiuit uir. Si diuertat à uiro ipso adhuc uiuente, iudicatur adultera. Si uero moriatur uir, licet alteri cui libet nubere. Sic inquam nos legi sumus mortui. Christus enim mortuus est pro nobis, oblatu in expiationem peccatorum nostrorum corpore suo, ut porro ipsi copularemur, impregnatiq; spiritu eius, pariamus pulcherrimam bonorum operum prolem uel sanctissimum fructum: qui dum peccato seruiebamus, eiq; ceu domino subiecti essemus, pariebamus terram mortis sobolem, iniquitatem uidelicet & flagitia, quibus puniendis mors destinata est. Sed libet ipsa audire apostoli uerba, Itaq; fratres mei, uos quoq; mortificati estis legi per corpus Christi, ut iungemur alteri, nimirum ei, qui ex mortuis surrexit, ut fructificemus deo. Cum enim essemus in carne, affectus peccatorum, qui sunt per legem, uigebant in membris nostris, ad fructificandum morti: nunc autem liberati sumus à lege, mortui (ei) in qua detinebamur, ut seruiamus per nouitatem spiritus, & non per uetustatem literæ.

Notus est locus in 8. cap. Lex spiritus uitæ per Christum Iesum liberum me reddidit à lege peccati & mortis. Modum autem liberationis huius mox suppingit, Etenim quod lex præstare non poterat, hoc deus proprio filio misso, præstitit. Et quæ sequuntur. Nam uerba illa notissima sunt omnibus.

In 1. ad Corinth. 7. Pretio empti fuistis, nolite fieri serui hominū. Hortatur autem apostolus ne seruitutis mundanæ uel ciuilibus prætextu, serui aliquid designent in gratiam dominorum, quod pugnet cum sinceritate & integritate religionis: ne uidelicet legibus hominum iniquis, quia serui uocati sunt, pareant. Ratio autem quæ hinc retrahat est, Quod pretio sanguinis Christi redempti & asserti sumus in libertatem. Indignissimum ergo foret, si contra libertatis ingenium, prauis legibus hominum obtemperaremus. Hoc extenditur etiam ad leges humanas in negotio religionis conditas. Nam Matth. 15. dicit saluator, Frustra me colunt docentes doctrinas præcepta hominum. Et, Omitte illos, duces sunt cæci cæcorum. Et Paulus, Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, ait, quid quasi uiuentes in mundo decretis tenemini? Ne tetigeris, ne gustaris, ne contrectaueris: quæ sunt omnia in corruptionem ipso abusu, secundum præcepta & doctrinas hominum, quæ speciem quidem habent sapientiæ, in superstitione, & humilitate animi, & neglectu corporis.

*Liberi ab
humanis
constitutionibus.*

non in honore aliquo ad expletionem carnis. Principio ostendit Christi fidelibus nihil negotij esse cum decretis hominum, neque eos his teneri quoniam decretis sint mortui cum Christo, id est per mortem Christi redempti à decretis, quæ in morte Christi interierint, dū ipse nos suos fecit, & liberos quidem. Deinde qualia sint illa decreta commemorat per Mimesim, Ne tetigeris, ne gustaueris, neque prorsus contrectaueris. Latissime se hæc extendunt ad multas constitutiones. Quas & protinus refutat argumentis. Principio quia in rebus, quæ usu corrumpuntur, constituunt cultum dei. At regnum dei non est esca uel porus, sed uersatur in rebus spiritualibus. Et quæ ingrediuntur os, non coinquinant hominem. Deinde quia conditæ sunt non à deo omnis boni authore, sed ab hominibus. At frustra me colunt, ait in euangelio dominus, docentes doctrinas præcepta hominum. Nec dissimulat aut præterit illa apostolus, quæ decreta illa hominum maxime commendant. Commendantur primum specie sapientiæ. Videntur enim à sapientibus non insipienter constituta esse, quæ personis, tempori & loco inseruiant appositissime. Clamant propugnatores legum humanarum, Sanè non fuerunt stulti patres nostri, sed leges eorum sunt sapientissimæ. Verum clamat Ieremias, Verbum domini proiecerunt, quæ ergo illis sapientia reliqua esse poterit? Commendantur deinde *ἰστορικῶς*. Est is cultus electius, quem nostro uidere & arbitrio ex nobisipsis confinximus. Atqui hominibus ualde probantur humana commenta, quod consentanea sint ingenio humano. Sed & Christus dixit, Si de mundo fuissetis, mundus quod suum est diligeret; iam quoniã selegi uos de mundo, odit uos mundus. Atqui idem ille rursus in euangelio dicit, Quod hominibus excelsum est, abominandum est coram deo. Commendatur præterea humilitate: id autem duplici nomine, Principio enim humilitas esse dicitur, si quis prompte obediat, nec diffidulter recipiat quod à potentibus obtruditur. Deinde uidentur leges hominum exercere humilitatem, & retinere homines in humilitate. Cæterum sacrilega uerius dicitur illa esse obedientia & humilitas, quæ uerbo dei nõ gubernatur, nec uerbum dei unice obseruat, sed præterea auctoritatem dei transfert ad homines. Postremo commendantur traditiones hominum ex neglectu carnis. Videtur enim illis tradi egregia corporis disciplina & castigatio, qua opprimatur carnis insolentia. Ad hæc autem apostolus, Non per honorem aliquem, inquit, ad expletionem carnis. Id est, quæ tamen si speciem habeant religionis & pietatis, reuera tamen nihil honoris habent, cum externa illa à deo ordinata sint ad subleuandam hominis necessitatem.

Quibus rebus cõmendantur huiusmodi traditiones.

Corporis cura.

tem. Imò uiruperat Paulus decreta illa, quod honorem corpori nullum habent, pro corporis expletione, id est pro modo necessitatis. Corporis enim cura moderata non tantum est permiffa, sed etiam mandata, ne uidelicet corruppamus corpus inedia, aut inuile redamur ad opera bona. Nec damnatur ullibi carnis sollicitudo simpliciter, nisi quatenus seruit cupiditatibus. Proinde apostolus dicit, Ne habeatis carnis curam ad concupiscentias. Ad necessitatem ergo conceditur homini à deo cibus, potus, somnus, uestis, quies, licita uoluptas, & aliarum necessariorum rerum usus.

Ad Galat. cap. 4. Vbi uenit, inquit Paulus, plenitudo temporis, emisit deus filium suum, natum ex muliere, legi obnoxium, ut eos qui lege erant obnoxij, redimeret, ut adoptione ius filiorum acciperemus. Quoniam autem estis filij, emisit deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem abba pater. Itaque iam non es seruus, sed filius: quod si filius, ergo hæres per Christum. Et mox, In libertate igitur qua Christus nos liberauit, stete, & ne rursus iugo seruitutis implicemini.

Ad Hebræ. cap. 2. Christus, inquit, carnis & sanguinis nobiscum particeps factus est, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est diabolus. & liberos redderet eos, quicunque meum mortis per omnem uitam obnoxij erant seruituti. Illa scripturarum testimonia instituto nostro sufficiunt.

Eadem probe expensa, docebunt clare quale sit libertorum ingenium, nempe religiosissimum sanctissimisque dediuissimum rebus, *Libertorum ingenium,* hoc est per omnia addictum spiriui, sine quo nulla est libertas, & per quem reguntur omnes filij dei. Cauent liberi diligentissime, ne quenquam sua libertate offendant temere, nec ubi abutantur ipsa. Semper enim mentibus & oculis ipsorum obuertantur grauissimæ sanctissimorum Christi apostolorum sententiæ. Petrus scriptum reliquit, Tanquam liberi, & non ueluti prætextum uel uelamen habentes malitiæ, libertatem, sed tanquam serui dei. Paulus uero dixit, Vos in libertatem uocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem deis carni, sed per charitatem seruite inuicem. Etenim cum liber sim ab omnibus, omnibus meipsum seruum feci, quo plures lucrificiam.

Abutantur ergo Christiana libertate illi primum, qui carnalia *Abusus libertatis Christianæ* sub prætextu spiritus & libertatis quærentes, iactitant se euangelicæ prædicatione liberatos esse omnibus corporalibus debitis & officijs: ideoque dominis suis, creditoribus, magistratibus & principibus debita negant officia, adeoque & deficientes ab eis rebellant. Seditiofili sunt turbatores, non euangelicæ prædicationis cultores. Paulus

clamat, Reddite omnibus quod debetur, cui tributum tributum, cui uectigal uectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi hoc ut inuicem diligatis. Deinde abutuntur illi quoque libertate Christiana, qui cum nondum accepterunt spiritum libertatis & filiorum dei, cum nondum à satana libertati, quidam sibi propter libertatis opinionem licere putant, ac bonis legibus & disciplinæ seueriori contradicunt, clamantes, legibus irretiri prodi & pessundari libertatem. Contra hos & in primis contra doctores uanæ & perniciosæ libertatis destomachans S. Petrus, Isti sunt fontes, inquit, aqua carentes, nebulæ quæ à procella feruntur, quibus caligo tenebrarum in æternum seruata est. Si quidem ubi uehementer fastuosa uerba sonuerint, inescit homines per concupiscentias, carnis uoluptatibus, eos qui uere aufugerant, eos qui in errore conuersantur, dum illis libertatem pollicentur, cum ipsi serui sint corruptionis. Siquidem à quo quis superatus est, huic etiam in seruitutem est addictus. Et quæ sequuntur. Cum autem ad eum modum libertate homines abutuntur, ea quidem licentia seu libido est, indigna libertatis sancto uocabulo. Postremo abutuntur Christiana libertate, quicumque indifferentibus abutuntur, nec ullam infirmorum rationem habent, sed hos offendunt remere. Obseruanda est itaque in præsentis negotio hæc nobilis S. Pauli sententia, Omnia mihi licent, sed non omnia conducunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Plura ea de re petas licebit ex 14. capite Pauli ad Romanos.

Licentia.

De Scandalo.

Atque hic per occasionem, imò necessitate adactus, dicam pauca & quantum pijs nosse satis fuerit de Scandalo. Scandalum uox perita à Græcis, significat ruinam & impactioem, item offendiculum remoram & impedimentum: cuiusmodi sunt in itinere eminentia saxa, uel pedicæ collocatæ aut absconditæ ex insidijs, ad intercipiendum prodeambulantes. Qui enim in has incidunt aut impingunt, concidunt uel detorquentur ab itineris rectitudine. Transfertur hoc ad res religionis & mores hominum. Scandalum enim dat, quisquis dictis uel factis prauis, ineptis aut intempestiuis, obijcit alteri unde peccandi occasionem accipit. Proinde scandalum est oblata ad peccandum præuaricandumque occasio, sed & ipsa ad ruinam uel in malum impulsio & impactio. Alij, Scandalum, inquit, est offensio coniuncta cum contemptu. Solet enim offensio post se trahere contemptum, aut exoriri ex contemptu. Ponitur ergo alicubi pro ilata iniuria.

Offensa

Offendimus autem alios, uel dictis nostris, uel factis. Scandalum quod dictis datur, partim est in doctrina praua, inepta & intempestiua, partim uero in colloquijs quotidianis. Grauisimum scandalum est prauæ doctrinæ pugnantis cum uera euangelij doctrina. Proximum est scandalum ineptæ & intempestiuæ doctrinæ: quæ quamuis deriuetur ex fontibus uerbi dei, non applicatur tamen aut profertur commode & prudenter. Vel enim peccatur nimia licentia & lenitate: uel nimia mordacitate & morositate, ut audientes offensus, resiliant in uniuersum ab omni doctrina euangelica. Interim lucerna euangelica non est abscondenda, aut dissimulanda ueritas, propter offendicula hominum, aduigilandū tamen ut uerbum dei prudenter annuncietur, siue ut recte legetur. Quæcunq; pugnant cum legibus dei, constanter sunt accusanda, & retutanda intrepide ac diligentiissime, utcunq; insanat mundus. Colloquijs uero quotidianis scandalizant fratres, qui linguæ frena laxant, nec quid dicant expendant, sed pro libidine sua quiduis effundunt: cuiusmodi sunt dicta obscœna & spurca, in primis uero blasphemæ uoces eiacularæ contra deum, contra scripturas sanctas, & cōtra fidei articulos. Corruptunt enim mores bonos colloquia praua. Hic non excludimus literas uel scripta temere offendencia fratres.

Quibus
modis præ
beatur scân
dulum.

Iam obijciuntur etiam scandala hominibus per promissiones & minas: quæ uidelicet per pmissionum illecebras, & minas terrificas horrendasq; homines à recto itinere aueruntur in auia & errores. Sic enim posuit Pharaõ scandalū regi Zedechiæ, quæ pellexit in fœdus, cui plus fidebat, quàm potentia & liberationi diuinæ. Tyranni per frequenter ponunt infirmis Christianis scandala, quãdo per tormenta ipsos adigunt ad abnegationem nominis Christi.

Cæterū facta quibus offenduntur homines, uel licita sunt ac libera, uel illicita & prohibita. Licita autē abusu fiunt illicita. Nam licitū est pijs uesci quibuslibet. Omnia enim mundis munda. Fit tamen manducatio tua illicita, si edas cum offendiculo fratris. Nō enim intelligit hic licere quibuslibet uesci: nec tu ignoras illum iri offensum si edas, nihilo minus tamen edis, & illū aspernaris, ponis ergo offendiculum facti, & peccas non leuiter in fratrem tuum. Hic collocamus omnē intempestiuū usum rerum liberarum aut indifferentiū.

Attamen recte hic monent doctores ecclesiastici, distinguendum esse diligenter inter Infirmos & Contumaces. Infirmi sunt rerū imperiti, sed tamen uidentes deum, & iractabiles, non malitia pertinaciter errantes, sed imbecillitate quadam fidei & religione attracti, erudiri interim sustinentes. De his scriptum reliquit apostolus, Eum

Infirmi &
Contumaces
ces.

qui infirmatur fide assumere, non ad dijudicationes disceptationū. Porro Conumaces sunt, qui nec ueritatem nec libertatem sanctorum ignorant, interim animi sui pertinacia obstinati, sese ueritati & libertati opponunt, cupientes sibi concedi multa, non ut aliquando locum cedant ueritati, sed ut hac sibi data occasione, aliquando & ueritatem & libertatem subuertant, suam autem superstitionem stabi-
 liant. De huiusmodi hominibus pronunciauit dominus, Omitite eos, duces sunt cæci cæcorum. Et Paulus ad Galatas 2, cap. Titus cum Græcus esset, non tamen circumcissus fuit, propter obiter ingressos falsos fratres, qui subintroierant ad explorandum libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, quo nos in seruitutem adigerent. Quibus ne ad tempus quidem cessimus, per subiectionem, ut ueritas euangelij permaneret apud uos.

Scandalū datum & acceptum.

Præterea huc pertinet quod alij distinguunt prudenter inter scandalum datum & acceptum. Scandalum datum est, quando tua culpa, tua inquam importunitate aut leuitate facis uel dicis, unde frater tuus merito offenditur. Aliud uero non est datum, sed acceptum uel ascitum, non tua quidem, sed alterius malitia & culpa; uidelicet cum tu nec dicto nec facto peccas, neque quicquam insolentia aut intempestiue dicis uel facis, sed id dicis uel agis quod dicere uel agere licitum & liberum est, alius tamen hac tua libertate offenditur. Perinde ac si quis in plano itinere, in quo nulla posita est offensus, impingat, existimans sibi obiectum esse scopulum.

Iam illicita & prohibita hominis facta, quibus offenduntur homines, tendunt contra deum & leges eius, & fiunt contra decorum, contra æquū, contra phas & ius, aliosque incitantia ad paria studia & scelera. Hic enim cōmemoro idololatriā, cædes, stupra, auaritiā, luxum & superbiam. Ita collocat uiulos aureos in scandalum totī genti Izraeliticæ impius Ieroboam. Sic multi suis perpotationibus & luxu uestium non tantum offendunt alios, sed & deteriores reddunt, cum eos exemplo suo in similia secum abripiunt scelera.

Grande est peccatum scandalū.

Porro peccatum scandalī atrocissimum esse, uel unica domini in euangelio sententia confirmat. In Matthæo enim dicit, Væ mundo ab offendiculis. Necessè est ut ueniant offendicula: uerum tamen uæ homini, per quem ueniunt. Qui offenderit unum de pusillis illis, qui credunt in me, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in cololum eius, ac demergatur in profundum maris. Paulus quoque apostolus ad scandalifantes fratres dicit, Per tuam offensionem perit frater tuus, pro quo Christus fuit mortuus. Et iterum, Sic autē peccantes in fratres, & uulnerantes eorum consciencias infirmas, in ipsum Christum

Christum peccatis. At hoc quid poterat uel cogitari atrocius? Cauemus ergo omnes, ne scandalum ullum, ab utentes Christiana libertate, obijciamus infirmis: sed ea quę charitatis sunt faciamus semper.

Ante omnia tamen obfirmandus est hic animus contra hostes *Non ex eo* euangelij, congerentes in euangelicę doctrinę & concionatores et *uangelio,* studiosos, ingentes acruos scandalorū seu offensionum. Vobis de *sed hosti-* bebimus, inquit, omnes turbas, omnia dissidia, bella & mala, quibus *bus euange-* hodie conturbatur orbis. Obfirmandus est, inquā, animus celeberrimij *lij scādala.* dicto Christi in euangelio dicentis, Nō ueni ad mittendū pacē, sed gladiū. Nam ueni, ut dissidere faciā hominē aduersus patrē suū, & filiā aduersus matrē suam, et sponsam aduersus socrū suam: & inimici hominis erunt domestici eius. Reuocanda hic sunt ponendaq; ob oculos prophetarū & apostolorū illustria exempla. Audit à rege Achab propheta dei Helias, se esse conturbatorē ac pestem regni. Sed regerit in ipsum regē propheta malū. Obijciunt Iudæi rebelles Ieremę, ab eo die quo relicto cultu deorū, uerbum dei prædicari cęperunt, nullū ulli felicitati fuisse locū, sed agminatim omnia in ipsos irruisse mala. Sed audiunt id esse ex peccatis, & præcipue ex ingratitude ac rebellionē ipsorum. Contra Paulum & Silam clamant increduli Thessalonicę Iudæi, Hi qui terrarum orbē conturbarunt homines, huc quoq; uenerunt. Cæterū Paulus contra calūniatores & persecutores suos Iudæos, loquens, Hi, inquit, ut dominū Iesum occiderunt, & proprios prophetas, ita & nos persecuti sunt, & deo nō placent, & omnibus hominibus aduersantur, qui obstitūt nobis ne prædicemus gentibus euangelium, ut salui fiant, ut expleant peccata sua semper, & tandem perueniat ira dei super eos in finem. Hęc & similia cogitent & uersent secum piij, perseverentq; patientes & constantes in propaganda doctrina euangelica, ut ut fremat hic mundus & offendicula obijciat, Hęc autem hastenus de Scandalo.

Restat modo, ut postremo huius Sermonis loco, sicuti initio *De Bonis* profertur, dicamus & de Bonis operibus. Didicimus enim libertatē *operibus.* Christianam non esse licentiam, sed adoptionem in numerū filiorū dei, qui omnem uiram suam studio uirtutum impendunt. Didicimus legem dei regulam & doctrinam esse bonorum operum, ordine itaq; differendum est de bonis operibus.

De significatione certa operum, constituamus ante omnia, quod *Operum in* uariis sit usus uocabuli & pateat latissime. Opera enim sunt labores *scripturis* & exercitia hominum, quibus uictū sibi parant. Præcipit enim apos- *significa-* stolus proprijs operari manibus. Vetat lex ne ullum opus faciamus *tio.* in sabbato. Et Iſraelicę opprimebantur in Aegypto operibus duris.

Sunt & operarij quibus in Euangelio dñs iubet numerare mercedem. Opus est illud q̄q̄, quod fit uel exprimitur ab artifice uel operante. De figulo enim loquens Ieremias, Faciebat opus, inquit, super rota. Significat opus officii. Nam Paulus, Opus perforce, inquit, euangelizati. Et spiritus sanctus loquens in ecclesia Antiochena, Segregate mihi, inquit, Paulū & Barnaban in opus ad q̄d delegi eos. Vocantur autē opera domini magnifica dei facta, quibus suā potentia & bonitatem declarat hominibus: adeo q̄ cœlū, terra, & ipse homo dicitur esse opus manū dei. Opera sunt etiā beneficia dei. In euangelio enim dicit, Opera bona multa ostendi uobis. Iam sunt opera mala, opera, inquam, iniquitatis. Vnde appellantur operarij iniquitatis. Illis respondent opera carnis & tenebrarum. Rursum sunt opera bona, uirtutes, in quā, uarię, fidei fructus, cuiusmodi est iustitia, charitas, temperantia, patientia, spes, &c. Dixit enim in euangelio dñs, Sic luceat lux uestra corā hominibus, ut uideant uestra opera bona, & glorificent patrem in cœlis. Apostolus ait conditos esse nos ad opera bona, ut in eis ambulemus. Eadē appellatur fructus pœnitentię, & opera pœnitentię digna. Appellatur opera lucis & fructus spiritus. Eadē sunt humanitatis beneficentię & charitatis opera, qualia commendantur in Thabita illa, quę legitur fuisse plena bonorum operum. Paulus, Operemur bonum, ait, dum habemus tempus, cum erga omnes, tum maxime erga fidei domesticos. Huiusmodi opus humanitatis & charitatis impendit Maria seruatori nostro, qui dixit, Bonum opus operata est in me. His ad hunc modum explicatis, describemus iam bona opera suis coloribus & attributis.

Bona opera quid.

Bona opera actiones sunt, quę fiunt à renatis ex spiritu dei bono, per fidem, & secundum uerbum dei, ad gloriam dei, uitę q̄ ornamentum & honestatem, deniq̄ ad utilitatem proximi. Hanc breuem descriptionem, per partes prosequentes, quantum gratiæ concesserit dominus, explicabimus.

Causa bonorum operum.

Principio fontem bonorū operum non alium indicamus, quam ipsum deum omnium bonorum authorem. Propheta enim, Omnis homo mendax, ait, solus deus uerax. Et dominus in euangelio, Nemo, inquit, est bonus, nisi solus deus. Oportet itaq̄ bona opera, non oriri ab homine, qui mendax & corruptus est, sed ab ipso deo omnium bonorum fonte. Regenerat autem hic homines per spiritum suum, & per fidem in dominū Iesum, ut renati iam non sua propria, id est, carnis, sed spiritus, gratiæ, adeo q̄ dei ipsius opera faciāt. Opera enim renatorū enascuntur ex inhabitante dei spiritu bono, qui ut succus uitalis plantas uegetat ad proferendos fructus, ita ille uarias

ex homine progerminat uirtutes, attestante domino & dicente in euangelio, Ego sum uitis: uos palmites estis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in uite: sic nec nos nisi in me manseritis. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Ad eandem refertur causam, cum dicimus bonum opus fieri per fidem. Nam fides donum dei est, quam Christum apprehendimus, per quam & iustificamur, & uiuificamur, dicente scriptura, Iustus ex fide sua uiuet. Et alibi Paulus, Per fidem inhabitat Christus in cordibus uestris. Et iterum idem ille, Uiuo iam non ego, sed uiuit in me Christus. Et uitam quam nunc uiuo in carne, per fidem uiuo filij dei, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me. Caterum uiuus uiua facit opera, per eum haud dubie, per quem uiuificatus est: & iustificatus operatur opera iustitiae, nimirum per eum, per quem iustificatus est: id est iustus per Christum facit iustitiam: ac iustitia totum comprehendit chorum uirtutum. Ira solus deus manet fons & origo bonorum operum. Sed uideamus testimonia, ex quibus liquide discamus, ipsi deo in renatis per spiritum & fidem operanti, renatorum opera tribui. Moses testatur & ait, Benedicet tibi dominus, & circūcidet dominus deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas dominum deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, ac uiuas. En quod p̄ legitime deum diligunt, ex circuncisione profuit. Circūcidit autem dominus. Isaias propheta clarius dicit, Domine tu ordinabis pacem: quoniam tu etiam operatus es in nobis omnia opera nostra. In euangelio secundum Ioannem dicit ipse saluator, Qui operatur ueritatem, uenit ad lucem, ut conspicua fiant opera eius, quod per deum facta sint. Et iterum, Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Quia sine me nihil potestis facere, Apostolus quoque ad Philipp. Uobis, inquit, donatum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis, uerum etiam ut pro illo patiamini. Et adhuc illustrius, Deus est qui agit in uobis, & ut uelitis, & ut efficiatis pro bono animi proposito. Sic & S. Iacobus apostolus, Omnis, ait, donatio bona & omne donum perfectum, est supernis est, descendens à patre luminum. Sed & S. Petrus apostolus omnes boni operis partes deo transcribens ait, Deus omnis gratiae, qui uocauit nos ad æternam suam gloriam per Iesum Christum, instauret uos, fulciat, roboret atque stabiliat. Nam nos non sumus idonei, ut iterum dicit S. Paulus, ex nobis ipsis, cogitare quicquam, tanquam ex nobis ipsis, sed omnis idoneitas nostra ex deo est. Proinde solus deus manet unicus bonorum operum fons, profundens per sanctos opera uere bona.

*Dei opera
imputatur
homini.*

Hoc tamen hic oportet adlitum, ipsa opera bona, tamen si reuera dei & proprie loquen lo spiritus & fidei fructus sint, dici nihilo minus & esse etiam nostra, id est hominum fidelium opera, partim quod per nos operatur deus, nostrorum ministerio in his efficiendis utitur, partim quod per fidem filij dei facti, atque iccirco fratres & coheredes Christi, effecti sumus. Ex hoc enim hereditatis iure, omnia dei opera donaque nostra, non ueluti aliena, sed maxime propria esse incipiunt. Sed & scriptura illa nobis tribuit, tanquam filiis & ingenuis. Nam dominus in euangelio, Seruus non manet, inquit, in domo in æternum, filius manet in æternum. Quemadmodum ergo omnia que sunt in domo paterna, iure hereditatis proprietatisque filio obueniunt, tamen ipsa non sua parat in iustitia, sed acceperit liberalitate parentum: ita & opera dei, que ille in nobis & per nos operatur, dona que ab ipso habemus, nostra dicuntur & sunt, quia sumus filij familias, seu adoptati, & iccirco iusti heredes. Interim ingrati animi foret indicium, si filius adoptatus, paternam munificentiam & liberalitatis immemor, omnes illas facultates hereditate acceptas, suo studio suaque uigilia paratas gloriaretur. Vnde religiofissime dixit apostolus, Quid habes quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti? Religiose sentiebat S. dei martyr Cyprianus, qui dicere solebat, In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. Huc pertinere uidetur quod apud Isaiam legitur, Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat cum ea? nunquid gloriabitur ferra contra eum qui ipsam agit? Certe nos sumus organa dei per que operatur. Nam apostolus, Dei, inquit, sumus cooperarij, dei agricolatio, dei ædificatio estis, iuxta gratiam dei, que data est mihi. Ergo secundum scripturam apostolicam sensum pronunciauit S. Augustinus, cum lib. de Gratia & libero arb. in 6. cap. ita scribit, Cum data fuerit gratia, incipiunt esse etiam merita nostra bona, per gratiam tamen. Nam si illa sese subtraxerit, cadit homo, non erectus, sed præcipitatus libero arbitrio. Quapropter quando cœperit homo habere merita bona, non debet sibi tribuere illa, sed deo, cui dicitur in Psalmo, Adiutor meus esto, ne derelinquas me. Dicendo, Ne derelinquas me, ostendit, quia si derelictus fuerit, nihil boni ualet ipse per se. Proinde hisce uerbis euidenter factis ostendit S. Augustinus, opera bona ita esse nostra, ut interim dei esse non desinant, imò debeantur nihilominus gratie operantis dei.

Nulla opera iustificant.

Ex his uero que iam de uera bonorum operum causa protulimus ex scripturis, facile erit intelligere quomodo tribuat scriptura operibus nostris iustitiam, Alibi enim euidenter satis demonstra-

mus (& adijciemus quædam ubi uenium fuerit ad tractationem
 Euangelij) fidem, non opera nostra, iustificare. Id quod caput &
 fundamentum est euangelicæ & apostolicæ doctrinæ. Opera no-
 stra in uniuersum omnia, uel naturæ aut carnis, uel legis aut legalia,
 uel fidei aut gratiæ opera sunt, Naturæ autem uel carnis opera dam-
 nant, non iustificant. Quia quod natum est ex carne, caro est. At af-
 fectus carnis mors est, & inimicitia contra deum. De operibus le-
 gis quid pronūciarit apostolus, copiose exposui proximo sermone.
 Ex operibus legis non iustificabitur, ait, ulla caro. Cæterum si ope-
 ra gratiæ uel fidei excutiamus, inueniemus, ea fieri uel facta esse à si-
 delibus & iustis. Vnde manifestum est quod iustificatio præcessit o-
 pera iustitiæ. Iustus enim operatur iustitiã, ut iustitiã iusti sit fructus.
 Gratis quidem homo iustificatur, non per opera, quæ iustificatio-
 nem sequuntur. Quid quod scriptura aperte testatur, ne ipsum qui-
 dem Abraham, omnium credentium patrem, ex operibus gra-
 tiæ uel fidei fuisse iustificatum. Vixit is ante legem annis 430. credi-
 dit deo, & ex fide uera excellentissima opera fecit: uerum ex his suis
 fidei operibus minime est iustificatus. Paulus enim manifeste sic ar-
 gumentatur, Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet quod
 gloriatur: at non apud deum. Quid enim scriptura dicit? Credidit
 Abraham deo, & imputatum est ei ad iustitiã. Ei uero qui opera-
 tur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debi-
 tum. Porro ei qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat im-
 pium, imputatur fides sua ad iustitiã. Quod autem concludimus
 & nos ad Abraham exemplum fore iustificandos, ex fide, non operi-
 bus, non ex nobis ipsis, sed apostolica doctrina concludimus. Dicit
 enim Paulus, Nō scriptum est autem propter Abraham tantum im-
 putatam illi fidem ad iustitiã, sed etiam propter nos, quibus impu-
 tabitur, si credamus in Christum. De hac re disputatum est etiam 6.
 sermo. decadis primæ. Certe imo pectore recondendum censeo si-
 delibus hoc dogma apostolicum & euangelicū, gratia dei, non meri-
 tis nostris, per fidem in Christum, non per opera nos iustificari.

Bona ope-
 ra non res
 ieiuntur;
 sed damna-
 tur eorum
 abusus.

Cum autem hoc dogma urgemus & inculcamus, dicimur à mul-
 tis patroni esse omnis nequitie, & hostes omnium uirtutum aut bo-
 norum operum. Nos uero doctrina & asserione illa nostra de sola
 fide iustificante, non uituperamus bona opera, non putamus illa
 esse superuacua, non dicimus illa non esse bona: oppugnamus po-
 tius abusum bonorum operum, & doctrinam de operibus bonis
 corruptam uel uitiatam fermento pharisaico. Docemus enim facere
 bona opera, sed nolumus illa uenium exponi, & emi nescio quibus

contra tribus, nolumus illis fidere quenquam, nolumus de donis dei gloriari quenquam, nolumus illis simpliciter tribui uel uitam iustificandi, uel promerendi uitam æternam. Ita enim uilesceret & opugnaretur Christus, qui solus morte sua promeruit nobis regnum cælorum. Neq; hoc modo, sicut multis uidetur, separamus opera à fide. Docemus illa ab hac minime auelli, sed colligere arctissime: ita tamen ut proprie tribuatur fidei iustificatio, non operibus. Hæc enim in nostram dignitatem incumbunt, fides innititur promissioni dei, quæ nobis iustitiam & uitam in solo dei filio proponit. Ac sauis quidem per seipsum & suapte uirtute efficax est Christus ad iustificandum credentes, neque ullo nostro indiget operum supplemento.

*Quomodo
scriptura
tribuat no-
stris operi-
bus bonis
iustitiam.*

Simul autem agnoscimus scripturam passim bonis operibus in speciem tribuere uitam et iustitiam. Atqui scriptura secum non pugnat: inquirendum est ergo qua ratione aut quomodo & uita & iustitia nostris tribuatur operibus. S. Augustinus ita soluit, ut bona opera ad gratiam dei referat. Nam in libro de Gratia & libero arbitrio capite octauo, hæc scribit, Si uita æterna bonis operibus redditur, sicut apertissime scriptura dicit, Quomã deus reddet unicuique secundum opera sua: quomodo gratia est uita æterna, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur? ipso apostolo dicente, Ei qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum meritum. Et iterum, Reliquiæ, inquit, per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Et mox addit, Si autem gratia, iam non ex operibus: alioqui gratia iam non est gratia. Quomodo ergo gratia est uita æterna, quæ ex operibus sumitur? An forte uitam æternam nõ dixit apostolus gratiam? Imò uero sic dixit, ut negari omnino non possit: nec intellectorem acutum, sed tantummodo intentum desiderat auditorem. Cum enim dixisset, Stipendium peccati mors, continuo subdit, Gratia autem dei uita æterna, in Christo Iesu domino nostro. Ita ergo quæstio nullo modo uidetur mihi posse dissolui, nisi intelligamus & ipsa bona opera nostra, quibus æterna redditur uita, ad dei gratiam pertinere: propter illud quod ait dominus Iesus, Sine me nihil potestis facere. Et ipse apostolus, cum dixisset, Gratia salui facti estis, per fidem, addit, Et hoc non ex uobis: dei donum est: non ex operibus, ne quis gloriatur. Hæc Augustinus hæctenus. Et quamuis satis sit pia & clara hæc beati Augustini responsio, ueritatem simpliciter indaganti, non dubito tamen pluribus ea non fieri satis. Illi ipsi conabuntur, sat scio, ex Augustini uerbis colligere, etiam opera, non fidem duntaxat iustificare. Sic enim colligunt, Per gratiam

gratiam iustificamur, & æternam uitam consequamur: at opera bona pertinent ad dei gratiam: illa ergo iustificat. Liber autē cum his paululū cōserere manus, ut ex hisce pauculis colliqueſcat ſophiſmata eſſe quæ iſti uenditant pro ſolidis argumētis. Et principio norūt omnes non ſtupidi Paulinæ doctrinæ ſtudioſi, non poſſe hæſce propoſitiones ſimul conſiſtere, Gratia iuſtificamur: & Opera iuſtificamur, Sole enim clarior eſt illa Pauli ſententia, Si ex gratia, iam nō ex operibus: alioqui gratia non eſt gratia. Vtrāq; propoſitionem fatemur ingenue, uidelicet & gratiam iuſtificare, & Opera pertinere ad gratiam dei. Ceterum conſequentiā eſſe falſam deprehendimus. Similiter enim uere diceretur, Homo quidē uidet: & manus pertinet ad hominem. Quis uero inde colligat: ergo manus uidet? Omnes enim intelligunt hominē conſtare membris, & ſingula habere ſuas uires & ſua officia. Rurſus Gratiā dei, indiuiſam alioqui, diſtingui ſecundum operationes, quis eſt qui ignoret? Eſt enim gratia in deo ueluti generalis, qua cunctos condidit mortales, qua pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Sed hæc non iuſtificat, alioqui iuſtificarētur omnes impij. Deinde eſt gratia ſingularis illa, qua gratis nos propter filiū unigenitum adoptat pro filijs: non omnes quidē, ſed credentes duntaxat, quibus uidelicet peccata non reſtat, iuſtitiam uero filij ſui unigeniti impurat. Et hæc uere & ſola iuſtificat. Rurſus eſt gratia, que diſtufa in animos noſtros, opera bona per iuſtificatos profert. Hæc non iuſtificat, ſed ex iuſtificatis iuſtitix fructus progignit. Concedimus ergo ad gratiam peruenire bona opera, ſed ſua ratione, ſuo modo & ordine.

Obijciunt iterum, Verum gratia uel fides & opera, item iuſtificatio & ſanctificatio inſeparabiliter coniuncta ſunt: ergo quod uni congruit, comperit alteri. Ac nullo quidem modo inficias eo fidem & opera inter ſe cohærere: nego autem modis omnibus utraq; illa unum eſſe, ut quod uni attributum eſt, alteri quoq; cōgruere poſſit. Fides enim quanquam ſit imbecillis & imperfecta in nobis, niuitur tamen perfectione Chriſti, huiusq; ſolius, et eatenus iuſtificat. Opera uero noſtra ſemper aliquid uitij, ut ne quid dicam acerbius aliud, habent aſperſum, propter morbum nobis omnibus agnatum: ſed inde non ſequitur gratiam dei ullo noſtro pollui uitio. At hoc conſequi oporteret, ſi propter coniunctionem arciffimam unius eſſet quod eſt alterius. Solis lumen quanquam nunquam ſeparetur à calore, autem calor non eſt. Nec ſequitur, Sol orbem illuminat, ergo calor orbē illuminat. Quia in ſole ſunt calor & lumen indiſſociata, Quinimō ſol ſecundū lumē orbē illuminat, interim minime illumi-

Paralogiſmi eorum qui operibus tribuunt iuſtificationem.

nat secundum calorem. Et tamen Sol calefaciens illuminat etiam. Sic iustificamur gratuita dei misericordia propter Christum dominum gratis, non secundum gratiæ opera: licet hæc progignatur & prouehatur per illam. Ita uero oportet omnem gloriam in solidum gratiæ dei tribuere, nec phas est ut inde nobis partiamur quicquam.

Rursus uero sophisticantur illi, Eiamsi doceamus non solum propter fidem in Christum, sed etiam propter opera fidei, fidelibus reddi à deo uitam æternam, deo nihilo minus omnis ceder gloria: præsertim cum fateamur opera illa per gratiam dei fieri in nobis. Respondemus, Deo gloriam ita tribuendam prout ipse uult sibi tribui. Si dei uoluntas aut consilium esset, nos in suam amicitiam recipere, propter opera quæ in nobis facit dei spiritus & gratia, temere unigenitum filium suum misisset in mundum, temere testinasset illum morti acerbissimæ. Deus autem nihil in uniuersa creatura sua, nec in cælo nec in terra, multo minus hac in causa omniã maxima, frustra fecit. Quare certissimum est, consilium dei nunquã fuisse, nos propter uirtutes & opera fidei redimere à diabolo & acceptare pro filijs, sed propter unicam Christi filij sui unigeniti domini nostri hostiam uel satisfactionem. Firmum enim & inuictum perstat hic Pauli iudicium, dicentis, Si ex operibus legis est iustitia, ergo Christus frustra fuit mortuus. Inuicta triumphat hæc S. Petri diuina sententia, Non est in alio quoquam salus.

Iam uero & scripturæ aliquot locos inter se committentes colligunt, Quamquam Paulus alicubi dicat, Gratia salui facti estis, per fidem, idem tamen alibi scribit, Spe seruati sumus. Quis autem nesciat spem patientiã quasi uegetari? Christo etiam in euangelio astipulante & dicente, In patientia uestra possidebitis animas uestras. Proinde non sola fides seruat, sed & spes ac patientia. Dicitur diuum apostolum satis se explicare, si quis omnia eius legat ex integro, expendatque quo quæque dicat consilio. Gratia, inquit, estis seruati, per fidem: idque non ex uobis, dei donum est: non ex operibus ne quis gloriemur, &c. An non pauculis hisce uerbis quid de gratia uel fide & operibus sentiat exposuit clarissime? Quis plura postulauerit? Nemo tam bardus, qui non intelligat gratiæ in solidum & merè tribui totum salutis beneficium. Neque enim partitur salutem uel iustitiam, operibus partim, partim fidei uel gratiæ, neque potiores fidei, inferiores operibus tribuit. Excludit omnem gloriationem. Gratia per fidem, inquit, seruati estis: & addit mox, Idque non ex uobis, Causam subiungit, Dei donum est. Et iterum

iterum, Non ex operibus. Causam subnectit, Ne quis gloriatur. Qui hæc torquet & calumniatur, expuit in solem, & dicit lucem esse tenebras. Quod uero idem apostolus alibi dicit, Spe seruati sumus, ex totius loci contextu colligitur ipsum tale quid enunciasse, Dixi eos qui credunt Christo, esse filios atque hæredes dei, eoq; uere saluos atque beatos: uerum hoc uelim quemlibet intelligere spe & expectatione, nondum re ipsa aut præsentis perfruitione. Quis uero hinc colligat, Ergo spes iustificat? Quinimò nos sic colligimus, Patientia prorsus nulla est, nisi patiens uera fide prius iustificatus sit: iccirco patientiæ laus & uirtus tota pendet ex fide: non autem fidei ex patientia, esse declaratur & exerat se per patientiam.

Nam omnibus modis homine Christiano indigna est sententia, quæ afferit operibus nostris perfici fidem, id est, per opera faciri quod fidei diminutum uideatur. Cum enim fidem dicimus, non qualitatem in animis nostris hærentem dicimus, sed ipsum cum iustitia & donis suis Christum dominum: cui ut unico fundamento innicitur fides nostra. At uelle imperfectionem Christi supplet, quid aliud est, quàm filium dei sathanica defædare blasphemia? Operibus quidem exerit & declarat se fides sanctorum: sed opera nequaquam perficiunt quod perfectioni Christi uideatur deesse. Nihil enim desideratur in liberatione, redemptione & iustificatione Christi. Dixit sanè apostolus Iacobus, Vides quod fides ex factis perfecta fuerit: uerum non uoluit aliud dicere, quàm, Vides fidem insequentibus operibus, declarasse, quod uera & iusta sit, non hypocritica. Nam ante hæc uerba dixit, Vides quod fides eius efficax fuerit per opera. Rursus dixit apostolus Paulus, Suppleo uel adimpleo ea quæ desunt afflictionibus Christi, in carne mea, pro corpore eius. Cæterum *τὰ ὑστερήματα* rectius ueteris quæ supersunt, quàm quæ desunt afflictionibus Christi. Nam Græci *τὰ ὑστερήματα* appellant non modo ea quæ desunt, sed ipsas quoq; reliquias (quo uerbo usus est S. Ambrosius) quæ in quâ supersunt, & posterius relicta sunt. At beatus Petrus, Christus, inquit, passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut insequeremur eius uestigia. Hæc ergo reliquias explese patiando asseuerat apostolus.

Poithæc proferunt apostoli Pauli uerba, Si habeam omnem fidem, adeò ut montes loco dimoueam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Hinc enim colligunt, Ergo non tantum fides, sed & charitas: imò magis charitas quàm fides iustificat. Nos uero

dicimus Paulum in presenti nec negare fidem solam iustificare, nec charitati sanctorum iustificationem tribuere. Nam cum fidem nos iustificari asserimus, uel fidem iustitiæ causam constituimus (id quod sæpius repetendum adeoq; & inculcandum uideatur) non intelligimus fidem tanquam uirtutem in nobis efficere, & qualitate sua nobis adhærente mereri iustitiam apud deum: sed quoniam fidem nominamus, intelligimus gratiam dei in Christo exhibitam, quæ per fidem gratuito nobis applicatur, uelutiq; gratuitum donum dei apprehenditur recipiturq;. Et eo modo usurpat & Paulus fidei nomen, cum fidem iustificare contendit. At in loco ad Corinthios 13. cap. fidei uocabulum non ita usurpat, sed pro uirtute miracula designandi. Id quod ex his patet, quæ protinus sequuntur, Ita ut montes transferam, Ea non apprehendit rotum Christum, sed tantum potentiam in ædendis miraculis. Ideoq; interdum esse potest in homine iniusto uel hypocrita qualiter erat in Iuda Ischarioia, cui nihil profuit fides signorum, cum careret fide iustificante, quæ protinus progignit ex se charitatem.

Rursus cum obijciunt illud ex euangelio Ioannis, Qui habet præcepta mea & seruat ea, ille est qui diligit me: & pater meus diliget eum, & ad eum ueniet, & mansionem apud eum faciet: ergo propter obseruationem præceptorum, id est, propter opera coniungitur nobis deus. Nos uicissim illud eiusdem Ioannis apostoli et euangelistæ obrendimus, Ex hoc cognoscimus quod in eo manet is dei spiritus, munus gratuitum, ergo obtingit nobis coniunctio illa cum deo gratis. Sequitur in Ioanne, Et nos uidimus & testamur, quod pater misit filium seruatorem mundi. Audis opinor per quid seruetur mundus, & quis sit saluator mundi, Christus. Quis uero nescit hunc à patre nobis missum esse mera dei gratia? Sequitur quomodo illa gratia recipiatur, Quisquis confessus fuerit q; Iesus est filius dei, deus in eo manet, & ipse in deo. Cæterum Ioan. 6. pro confiteri reponitur credere. Nec mirum, cum ex uera fide exoritur confessio uera. Fide ergo recipimus salutem, fide cõiungimur cum deo. Sed præteritis rixatoribus, quibus nunquam deerunt sophismata,

Conciliantur in specie pugnantibus. reuertimur ad institutum nostrum, ut ostendamus qua ratione operibus tribuatur uita & iustificatio.

res loci de fide & operibus. Exercitati in literis diuinis ad reconciliandas in speciem dissidentes scripturæ sententias, docent fidem & opera non dissociari re ipsa. Nam idem spiritus sanctus, qui fidem largitur, simul regenerat intellectum.

intellectum & uoluntatem, ut fidelis ardentem cupiat et conetur deo per omnia inferuire. Dicimus ergo propter inseparabilem illam conjunctionem fidei atque uirtutum, quæ comitantur & sequuntur fidem, illis aliquando minus proprie tribui, quod magis est proprium fidei, propriissimum autem Christi per fidem apprehensi, fidei quoque fundamentum. Hoc ipsum conabimur adhuc clarius exprimere. In fide uerè spectantur duo, Reconciliatio & Obedientia. Reconciliatio quidem, quia fide intelligimus & firmiter tenemus deum nobis reconciliatum esse, propter Christum, per quem adoptati sumus in numerum filiorum dei. Obedientia autem, quia reconciliati sese totos ei dedicant, cui reconciliati sunt; cupientes facere uoluntatem eius. Iam ergo dicimus duplicem esse iustitiam, nempe iustificantem & obedientem. Iustificantis meminit apostolus, cum dixit, Iustificati ex fide pacem habemus erga deum, per dominum Iesum Christum, per quem reconciliati sumus. Obedientis idem meminit cum dixit, An nescitis quod cui accommodatis uos ipsos seruos ad obediendum, eius serui estis, cui obeditis: siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iustitiam: id est, quæ obedientia efficit ut faciatis ea quæ iusta sunt, siue serui iustitiæ, quod cedit uobis ad uitam: & non serui peccati, quod cedit ad mortem. Iam ergo iustitiæ reconciliatrici per Christum proprie tribuitur iustificatio, improprie iustitiæ obedienti. Nam hæc ex illa existit, & sine illa non appellaretur iustitia. Quibus & hoc accedit quod iustificati in hanc obedientiam prorsus nihil confidunt, ut pote semper propter carnem nostram in hoc mundo contaminatam.

Huic non dissimilis est & hæc, quam addimus, explicatio, Fidelis propriissimum opus est purificatio & sanctificatio. Nam S. Petrus discrete dicit, fide purificari corda. Cæterum in sanctificatione duo præcipua ostendunt sacræ literæ. Prius, Iesu Christi sanguine purificari gratis omnes credentes. Iterum enim S. Petrus, Scitis uos redemptos esse, inquit, non caducis rebus uelut auro & argento, sed pretioso sanguine uelut agni immaculati, S. Paulus, Per uoluntatem, ait, dei sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi, semel peractam. Vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuum eos, qui sanctificantur. S. Ioannes quoque, Sanguis, inquit, Iesu Christi filij dei emundat nos ab omni peccato. Proinde propriissime loquendo sanctificat nos per fidem sanguis Christi, qui dixit, Ego sanctifico me pro ipsis, ut sint et ipsi sancti per ueritatem. Posterius est, sanctificatos Christi sanguine per fidem, indies se sanctificare & studere sanctimonia. Ut autem hoc faciant sancti, sedulo adhortantur apostoli. Petrus enim, Quoniam is, inquit, qui uocat

uit uos, sanctus est, ita ipsi quoque sancti in omni conuersatione red-
damini, propterea quod scriptum est, Sancti estote: nam & ego san-
ctus sum. S. Paulus, Hæc, inquit, est uoluntas dei, sanctificatio ue-
stra, &c. 1. Thesal. 4. S. Ioannes, Nunc filij dei sumus, nondum ta-
men quid futuri simus, apparuit. Certo autem nouimus quod cum
ille apparuerit, similes ei erimus: quoniam uidebimus eum sicuti est.
Et omnis qui habet hanc spem in eo, purificat se, sicuti & ille purus
est. Hæc autem purificatio, quæ uidelicet nostra cura sit & industria,
dicitur sanctificatio, non quia facta sit à nobis, sed quia à sanctifica-
tis Christi sanguine sit facta. Nisi enim ea sanctificatio, quæ sola est
uera, præcedat, nostra certe nulla est: sin uero præcedat illa, hæc no-
stra imputatur pro sanctificatione, licet interim fides peccatorum
manentes in uobis hanc coinquinat, nec quicquam si ducit in ipsam
collocemus. Quoties ergo operibus nostris bonis iustitiam in sa-
ceris literis ascribi legeris, eas ob causas, quas hætenus exposui, fa-
ctam putabis. Nequit enim spiritus apostolicus sibi ipsi aduersari.

*Apostoli
contra iu-
sticiam ope-
rum.*

His permultum lucis accesserit, si cogitauerimus & hoc, aposto-
lis Christi certamen fuisse cum duobus hominum generibus, quo-
rum alij contemdebant se suis uiribus legi posse satisfacere, suisque me-
ritis uel bonis operibus promereri uitam æternam: imò meritum
Christi per se non esse sufficiens parandæ saluti, nisi & hominum
accedat iustitia. Contra hos constanter & acriter pugnauit Paulus
in omnibus epistolis. Nam isti & Christum & gratiam dei euacua-
bant. Alij uero doctrina gratiæ & si dei abutenes, uoluerant se in

*Apostoli
contra abu-
sentes gra-
tiam & fide.*

sceleribus, putantes satis esse ad salutem, si dicerent se credere, fidem
autem suam nullis declarabant, etiam cum daretur occasio, bonis
operibus. Contra hos constanter & acriter certauit S. Petrus 2. epi-
stola cap. 1. & S. Iacobus cap. 2. Contendit enim hic Abrahamum
iustificatum esse non tantum fide, sed per opera: id est non inani opi-
nionem esse iustificatum, sed per fidem bonorum operum feracem.
Aliter enim uocabula Fidei & Iustificationis usurpat Iacobus, aliter
Paulus. Huic fides est certa fiducia meriti Christi: Iustificatio absolu-
tio à peccatis, & adoptio in numerum filiorum dei, adeoque & impu-
ratio iustitiæ Christi. Illi autem fides significat inanem opinionem:
iustificatio non impurationem iustitiæ, sed declarationem iustitiæ ac
adoptionis. Nam indubitatum est, si delissimos Christi apostolos S.
Petrum & S. Iacobum noluisse scriptis illis suis, gratiam et meritum
Christi euacuare, & merita hominum attollere: sed illorum potius
impuritati obitare, qui fidem Christi magno cum offendiculo bo-
norum omnium iactabant, uiuentes interim in sceleribus, sine præ-
nitentia

nitentia, impurissime. Requirentes ergo opera bona à fidelibus apostoli Christi, ueram fidem in primis requirunt, & omnia ad gratiam dei referunt.

Retineamus ergo firmissime, apostolos improprie operibus bonis: fidei autem ueræ proprie: sed propriissime ipsi Christo quo fides fundatur, tribuere iustitiam, uitam, & salutem hominis. Quam enim communi lege fides non sit absq; operibus bonis, iustificat tamen absq; operibus bonis, & sola quidē. Certissimum enim est ita nobis uitam & salutem communicari, quemadmodum concedebatur filijs Izrael in deserto dipsadum ueneno infectis, sanitas & uita. At non per opera ulla, sed sola inspectione aut contemplatione æn ei serpentis resituebatur sanitas: ergo & nobis per solam fidem, quæ Christi uera inspectio & contemplatio est, participatur uita. Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ait Saluator, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Et apostolus Paulus, Gratia estis seruari per fidem, idē non ex uobis, dei donum est: non ex operibus, ne quis glorieur, &c. Congruunt cum euangelica & apostolica doctrina & doctorum quorundam ecclesiæ testimonia: Quæ C. V. recitabo, non quod diuina nobis non sufficiant, sed ne uideamur esse noui dogmatis authores. Quamquam nouum esse non possit, quod petiur ex doctrina euangelica & apostolica, tametsi omnes ecclesiæ doctores contradicerent: iam uero ex imij quidā & ipsi diserte ostendunt, non tantum loquuntur aut scribunt solam fidem iustificare,

Origenes in 3. cap. epist. Pauli ad Roma. scriptor peruectus, scripsit primum reliquit, Dicit Paulus sufficere solius fidei iustificationem, in ut credens quis tantummodo iustificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum. Quod si exemplum requiramus, quis sine operibus, sola fide, iustificatus sit, sufficere arbitror illum laironē, qui cum Christo crucifixus, clamauit de cruce, Domine Iesu, memento mei, cum ueneris in regnum tuum. Nec aliud quicquam describitur homini operis eius in euangelijs, sed pro hac sola fide, ait ei Iesus, Amen dico ubi, hodie mecum eris in paradyso. Per fidem ergo iustificatus est hic lairo, sine operibus legis. Quia super hoc dominus non requisit quid prius operatus esset, nec expectauit quid operis cum credidisset expleret, sed sola cōfessione iustificatum comitē sibi, paradysum ingressurus, assumpsit. Sed & ad mulierem quæ in euangelio secundum Lucam refertur, ex nullo legis opere, sed pro sola fide, ad eam ait, Remittuntur tibi peccata tua. Et iterum, Fides tua te saluam fecit, uade in pace. Sed & in multis euangelij locis hoc ser

Fides
absq; ope-
ribus iustif-
ficato.

Origenes
in 3. ca. ad
Romanos.

in one usum legimus seruatores, ut credentis causam dicat esse salutis eius. Et paulo post idem, Apostolus dicit, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Vides apostolum non gloriantem super iustitia sua, neque super castitate, neque super sapientia, neque super ceteris uirtutibus aut actibus suis, sed apertissime pronunciantem & dicentem, Qui gloriatur, in domino gloriatur: & sic exclusa est gloriatio. Et quae sequuntur alia plurima in hanc sententiam.

Ambrosius Beatus Ambrosius in Enarratione epistolae Pauli ad Romanos in cap. 3. & 4. sic scripsit, Iustificati sunt, inquit Paulus, gratis, quia nihil operantes, neque uicem reddentes, sola fide, iustificati sunt dono dei.

Secundum propositum gratiae dei sic decretum dicit Paulus a deo, ut cessante lege, solam fidem gratiae dei posceret ad salutem.

Hoc ipsum munit exemplo prophetae beatitudinem hominis, cui deus accepto fert iustitiam sine operibus, beatos dicit de quibus hoc sanxit deus, ut sine labore, & aliqua obseruatione, sola fide, iustificamur apud deum.

Chrysostr. mus. S. Ioannes Chrysostramus de fide & lege naturae ac spiritu sancto disertis uerbis, Eum, inquit, qui operatur opera iustitiae sine fide, non possum probare uiuum fuisse. Fidelem autem absque operibus possum monstrare & uixisse, & regnum caelorum consequutum. Nullus sine fide uitam habuit. Laro autem credidit duntaxat, & iustificatus est a misericordissimo deo. Atque hic ne mihi dixeris, defuisse ei tempus, quo iuste uiueret & honesta faceret opera. Neque enim de hoc contenderim ego: sed illud unum asseuerauerim, quod sola fides per se saluum fecerit. Nam si superuixisset, fidei quoque & operum fuisset negligens, a salute excidisset. Hoc autem nunc quaeritur & agitur, quod fides per se ipsam saluam fecerit, opera autem per se nullos unquam operarios iustificauerunt. Id quod Chrysostramus pluribus ostendit exemplo Cornelij Centurionis. Sufficiunt haec testimonia minime rixosis ingenijs. Alioqui plura possem proferre. Verum non lo C. V. onerosus esse, ac uideri spinosus in negotio planissimo.

De meritis uel premio bonorum operum. Quoniam uero huic tractationi de iustitia operum, confinis est quaestio de Bonorum operum meritis, adijciam istis pauca de merito, imò potius de mercede & praemio bonorum operum. In hoc potissimum, ne quis perperam & irreligiose de meritis bonorum operum sentiens, non iam bona, sed mala potius opera habere mereatur.

Vocabulum meriti extraneum seu alienum est à scripturis. In ea enim significatione, qua ferè usurpatur, nempe pro opere nostro merito, cui uidelicet meritò rependitur uita æterna aut gratia dei, cuius obscurat dei gratiam, & reddit hominem superbum. Quid oro mereantur opera nostra, quæ nemo sanctorum prouulerit in conspectum dei? Clamat Iob, Si iustificare me uolueris, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, prauum me comprobabit. Si loquutus fuero quasi aquis niuis, & fulserint uelut mundissime manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me uestimenta mea. Clamat Dauid, Ne introieris in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo ullus uiuens. Clamat in euangelio Christus dominus, Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt uobis, dicite, Serui inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus. At paulò superius dixerat, Num dominus gratiã habet seruo illi, qui fecit quæ imperata sunt? Clamat item Paulus, Nõ aspersionem gratiam dei. Nam si per legem est iustitia, igitur Christus frustra mortuus fuit. Rursus apud Lucã uituperatur grauiter Pharisæus, quod nedum fideret suæ iustitiæ, sed & de suis gloriaretur meritis. Et Nabuchodonozor grauissimum sentit supplicium, quod dixisset sua arte, industria, uirtute, & potentia paratum esse regnum Babyloenicum. Quanto uero grauiori supplicio dignos arbitramur illos, qui arbitrantur, adde & iactant suis se meritis meruisse regnum cælorum?

Hæc autem non eò tendunt, ut præmium uel mercedem boni operis euacuemus, aut negemus præmium esse uirtutibus paratum. Nam deus uerax est qui promissit, & quod promissit præstat. Promissæ autem præmia operantibus iustitiam: sicuti pro iustitia & ueritate sua supplicia interminatus est sceleratis & impœnitentibus. Cæterum promissiones dei duplices sunt, proponentes uidelicet præmia uel mercedem præsentis uitæ & futuræ. Nam dominus in euangelio secundum Marcum, Amen dico uobis, inquit, nullus est qui reliquit domum, aut fratres, aut agros, mea causa aut euangelij, quin recipiet centupla nunc in tempore hoc, cum persecutionibus, ac in sæculo uenturo uitã æternã. Sed & Paulus, Pietas, inquit, ad omnia uilis est, ut quæ promissiones habeat uitæ præsentis & futuræ. Indubitatus sermo dignusq; qui modis omnibus approbetur. Nã in hoc & laboramus & probris afficimur, quod spem fixã habemus in deo uiuente, &c. Ac profuerit quidem in promptu aut numerato habere testimonia scripturarum de mercede uel præmio boni operis. Paulus, sed euidentia hic recitabo, Dominus apud Isaiam clamat, Dicitur

*Premium
uel merces
datur bono
operi.*

te iusto quod bene habebit, quia fructum studiorum suorum comedet. Væ item impio malo, quoniam retributio manuum suarum fiet ei, Apud Ieremiam legimus, Prohibe uocem tuam à fletu, quia merces est operi tuo. Et in euangelio dicit dominus, Beati estis cum dixerint homines omne malum uerbum aduersus uos, mentientes, propter me. Gaudete et exultate, quoniam merces uestra multa est in cœlis. Apostolus quoque Paulus, Gloria, inquit, honor & pax omni operanti bonum, Iudæo simul & Græco. Item, Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut reportet unusquisque ea quæ fecit per corpus, iuxta id quod fecit, siue bonum, siue malum. Et iterum, Unusquisque suam mercedem accipiet, iuxta suum laborem.

Quibus
sint propo-
sita præ-
mia.

Meminerimus autem strenue laborantibus mercedem promitti, magnaque ipsis parari præmia. Ineribus & segnibus incumbunt mala præsentis & futuræ uitæ. Certantibus legitime, debetur corona. Quod si præmium diu differatur, nec promissiones accipiant certantes, cogitent afflicti ad utilitatem ipsorum afflictiones tendere, sed et ab ipso patre cœlesti imponi. Non ergo despondeant animum, sed fortes sint in pugna, inuocent auxilium dei. Nam qui perseverauerit in finem usque, hic saluus erit. Reuocet quisque exempla sanctorum patrum, quibus complures factæ sunt promissiones, quarum tamen fructum serò tandem multoque cum certamine perceperunt. Clamat apostolus Paulus, Certamen bonum decertauit, cursum consummaui, fidem seruaui: quod superest reposita est mihi iustitiæ corona, quam reddet mihi dominus in illo die, qui est iustus iudex: non solum autem mihi, sed & omnibus qui diligunt aduentum ipsius. Reuocanda est ob oculos ueritas dei, dicentis, Cœlum & terra transibit: uerbum meum non transibit. Diu quidem in Aegypto captiui detinebantur Israelitæ: sed non obliuisciebatur uerbi sui dominus. Commodum enim & maxime opportuno tempore, & maxima quidem cum gloria illos in libertatem asseruit. Amalechitæ diu quidem exultabant in suis sceleribus, sicut & Chananei. Verum ubi impleta esset mensura iniquitatis, meritis iusto iudici pœnas persoluerunt. Hortatur ergo scriptura ad spem firmam, patientiam longanimitatem & constantiam perseverantissimam, De qua re dixi Sermone 3 Decade 3. Huc pertinere maxime puto præclara illa S. Pauli uerba, Certus sermo, Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si susserimus, & conregnabimus: si negamus, & ille negabit nos: si increduli sumus, ille fidelis manet: negare seipsum non potest. Et iterum, Ne abieceritis fiduciam uestram, quæ magnam habet præmij retributionem, Nam patientia uobis opus est, ut ubi uoluntate dei peregeritis,

egeritis, reporteris promissionem. Adhuc enim perpusillum temporis, & qui uenturus est ueniet, & nō tardabit. Iustus autem ex fide uictus est, & si se subduxerit, non probabitur animo meo. At nos non sumus qui subducamus nos in perditionem, sed ad fidem peruenimus in acquisitionem animæ.

His tamen & similibus de mercede & præmio operum testimonijs, aut ipso etiã meriti uocabulo, quo utuntur S. Patres, nō abutendum est cōtra prædicationē meriti Christi & meræ gratiæ. Cogitabimus regnū cælorum & præcipua alia dei dona non esse mercedē feruorum, sed hereditatē filiorum dei. Quāq̄ enim multa opera iudex in extremo iudicio enumeraturus sit, propter quæ uitā quasi rependere uideret electis, præmitter tamen omnibus operibus, hæc, Venite benedicti patris mei, possidete regnū paratum uobis ab exordio mundi. Quod si rogas, Quare in iudicio dei ultimo non fidem potius quàm opera commemoret iudex? Respondeo ad legitimum iudicium pertinere non tantum ut sit iustus, sed ut intelligatur etiam ab hominibus esse iustum. Adde, deum nobiscū agere humano more. Ideo non solum iudicat iuste, sed uult agnosci ab omnibus hominibus iudex æquus & iustus. Cæterum nos non possumus aliorum hominū fidem, quæ mentis est, incuiri: sed ex dictis & factis iudicamus. Honesta dicta & facta testimonium ferunt fideli cordi, inhonesta produnt infidelitatem. Opera charitatis & humanitatis declarant nos credidisse uere: contraria contrariū euincunt. Igitur scriptura monet, iudicium fore secundū opera. In hanc sententiã Math. 12. dicitur, Ex dictis tuis iustificaberis, & ex iisdem condēnaberis. Sic au dicitur Abrahā, postq̄ Isaacum filium immolare statuisset, Quādoquidem fecisti hanc rem, nec pepercisti filio tuo unigenito, benedicam tibi, & multiplicabo te uehemēter, &c. Verum constat deum Abrahamo illam fecisse promissionē anteq̄ nasceretur Isaac, imō simul atq̄ ipse Abraham educeretur ex patria sua: ergo non nunc primum operi tanquam merces reppenditur, &c.

Deus itaq̄ pro sua indulgentia, non iure summo opa nostra examinat, sed quia ex fide in Christum proficiscuntur, licet sint propter inhabitans in nobis peccatum impura & immerita, infinitis beneficijs remunerat. Sic autem testatur se nostri & nostrorū operū habere rationem. Quia ad testandā dilectionis suæ erga nos magnitudinē, non modo nos, sed & illa quæ nobis largitus est dona, sic honorare dignatur. Imitatur hic deus benignus, patres secundū carnem uel in hoc sæculo benignos. Donant enim hi q̄q̄ liberis suis munera uel lani laboris mercedem, & his ad ampliores uirtutes ipsos prouocāt,

*Mercede
uel merito
non abuten
dum.*

*Quomodo
dicatur de
us repende
re operibus
nostris bo
nis merce
dem.*

cū tamen iure hereditatis ad filios omnia pertineant, & uera p̄pria causa mercedis uel recōpensationis non sit obedientia filij, sed magis mera parēis gratia. Insuper ueniunt hac in re duo obseruanda. Prius, Quāq̄ deus humano more p̄mijs nos alliciat, mercede trahat & in opere bono retineat, p̄miū tamen & merces non debet in operante bona opera esse p̄cipuum, ut magis nostram spectemus utilitatem & gloriam, q̄ amorem & honorem diuinum. Gratis uult deus coli, gratis amari. Nam ut hilarem datorem requirit: sic filialem amorem & spiritū spontaneū atq; liberalē probat. Posterius, Opera nostra, quæ alij merita dicunt, aliud nihil esse q̄ mera dei dona. Esset autē longe ingratissimus, si quis ex aliena liberalitate, fruere- tur usufructu agri alicuius, interim & proprietatem sibi in integrū usurparet. Verum ne prolixius hanc disputationem protraham, recitabo C. V. egregiam scripturarum collationem à S. Augustino factam, ex qua clare intelligatis p̄mia bonorum operum, uel merita sanctorum, ipsissimam esse dei gratiam.

*Sententia
S. Augusti-
ni de Meri-
tis sancto-
rum.*

Ergo lib. de Gratia & lib. arbitrio cap. 7. sic dicit, Ioannes p̄cur- sor domini nostri ait, Nō potest homo accipere quicq; nisi ei datum fuerit de celo. Si ergo dei dona sunt bona merita tua, non deus com- ronat merita tua, tanquam merita tua, sed tanq̄ dona sua. Conside- remus itaq; ipsa merita apostoli Pauli, id est, ex ipso ei comparata, an dona sint dei. Bonum, inquit, certamen certauī, cursum consumma- uī, fidem seruauī. Primo ista bona opera si non p̄cessissent cogita- tiones bonæ, nulla essent. Attende itaque quid de ipsis cogitationi- bus dicat, Non quia idonei sumus cogitare aliquid ex nobis, tan- quam à nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex deo est. Deinde sine gula inspiciamus, Bonum, ait, certamen certauī. Quæ ro qua uirtute certauerit? Virum quæ illi ex semetipso fuerit, an quæ desuper data sit? Sed absit ut tantus doctor gentium ignorarit legem dei: cuius uox est in Deuteronomio, Ne dicas in corde tuo, Fortitudo mea, & potentia manus meæ fecit uirtutem magnam hanc, sed memoraberis domini dei tui: quia ipse tibi dat fortitudinem & facere uirtutem. Quid autē prodest bonum certamen, nisi sequatur uictoria? Et quis dat uictoriā, nisi ille de quo dicit ipse, Gratia deo qui dat nobis uicto- riā per dominū nostrū Iesum Christū. Et alio loco cū cōmemorasset testimoniū de Psalmo, Quoniā p̄pter te mortificamur tota die, depu- tati sumus ut oues occisionis, subiecit atq; dixit, Sed in his oībus su- peramus per eū qui dilexit nos. Nō ergo per nos, sed per eū qui dile- xit nos uincimus. Deinde dixit, Cursum cōsummaui. Sed ille hoc di- xit, qui alio loco dicit, Non uolentis neque currentis, sed miserenti- tis est.

us est dei. Quæ sententia nullo modo conueri potest, ut dicatur, Non miserentis dei, sed uolentis atque currentis est hominis. Quis enim hoc ausus fuerit dicere, aperte ostendit se apostolo contra dicere. Postremo dixit, Fidẽ seruauit: sed idem hoc dixit qui alibi ait, Misericordiam consequutus sum, ut essem fidelis. Non autem dixit, Misericordiam cõsequutus sum, quia fidelis eram: sed ut essem: hinc ostendens ipsam etiam fidem haberi, nisi deo miserante, non posse, & esse donum dei: quod aperissime docet dicens, Gratia salui facti estis per fidem. & hoc nõ ex uobis, sed dei donum est, Possent enim dicere, Ideo accepimus gratiam, quia credidimus: tanquã sibi fidem tribuentes, gratiam deo: propter hoc apostolus cum dixisset, Per fidem. Et hoc, inquit, non ex uobis, sed dei donum est. Rursus ne dicerent se suis operibus donum tale meruisse, continuo subiicit, Non ex operibus, ne quis forte extollatur. Nõ quia negauit aut euacuat bona opera: cum dicat deum unicuique reddere secundum opera sua: sed quia opera sunt ex fide: non ex operibus fides: ac per hoc ab illo sunt nobis opera iustitiæ, à quo est ipsa fides, de qua dictum est, Iustus ex fide uiuit. Hæc omnia uerbotim ex Augustino hæcenus recensui. Quæ quidem omnia ea quæ de merito bonorum operum dici possunt, satis probe complectuntur, & adeo solide scripturis munia proponunt, ut ijs nihil adijcere uelim, & satis clarum esse existimem, quomodo ueteres scripserint de hominũ meritis. Quid enim breuius & syncerius, adde & plenius dici potest quam esse mercedem operibus paratã bonis: sed illam aliud nõ esse quam gratiam: sed & sanctorum merita gratiam esse dei: quæ merita, cum coronat, sua ipsius munera coronat? In his omnibus firmum perpetuo manet dogma ecclesiasticum & apostolicum, sola nos gratia dei per fidem, non per opera uel merita nostra, iustificari & seruari.

Redimus iam ad opera bona & ad explicandam bonorum operum descriptionem, siue consignationem, quam ab initio huius institutionis posuimus. Nisi uero opera nostra ex deo per fidem nascantur, nequaquã bona dici possunt. Si uero à deo per fidem prodiguntur, etiam secundum regulam uerbi dei formantur. Ideo significanter expressi in descriptione, fieri ipsa à renatis ex spiritu dei bono, per fidem, & secundum uerbum dei. Deo enim non placent opera, quæ ex nobis ipsis confingimus propria nostra authoritate, & intentione bona. Nam probat in nobis fidem & obedientiam: quod uel in exemplo patris nostri Adæ in clarescit maxime: electiua nostra opera & bonas nostras intentiones, in & ex nobis enatas, im probat. Id quod hisce scripturarum testimonijs demonstramus.

*Bona opera
ra fiant se-
cundum re-
gulam uer-
bi dei.*

Deut. 12. sic scriptum legimus, Non faciet unusquisque quod rectum est in oculis suis. Quicquid ego præcipio uobis, id obseruabitis ut faciatis: nec addes quicquã super ipsum: neque minues ab eo. Porro in historia Samuelis huius rei memorabile ponitur exemplum, Accipit enim præceptum Saul rex Israelitarum, iubeturque cedere omnes Amalechitas & res ipsorum: ipse uero per bonam intentionem & electitiam religionem boues pinguiores sacrificio reseruarat: uerum à propheta audit, An tam uolupte & gratum sacrificium domino, quam est obedientia? Ecce melius est audire, quam sacrificare: & melior est auscultatio, quam adæps arietum. Quoniam peccatum magis est, apostasia siue rebellio, & uanitas idololatriæ, indurare animum, uel nolle obsequi. Habes in his pauculis uerbis egregium encomium electitiæ religionis ac bonorum nostrorum operum, ex bona nostra intentione natorum, Qui præceptis dei neglectis suas intentiones sequuntur bonas, magi, apostatæ & idololatræ, à ueritate diuina appellântur. Sibi ipsi quidẽ uidentur egregij esse cultores dei, et obseruationum sanctorum patrum, episcoporum, regum & principum zelosi sectatores: sed qui mentiri nescit deus, diserte pronunciat, opera istorum nihil distare à magia, apostasia, & idololatria, quibus nihil potest uel fingi atrocius. Dominus ergo in euangelio ex uaticinio Isaïæ prophætæ semel damnat, abiicit & conculcat omnia illa electitia opera, nata ex bonis nostris intentionibus, cum dicit, Frustra me colunt, docentes doctrinas præcepta hominum. Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus, eradicabitur. Omittite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Inde nimirum est quod S. Paulus tanta confidentia pronunciauit præcepta hominum ueritatem averti esseque mendacia. Alibi uero idem ille, Quicquid, inquit, non est ex fide, peccatum est. Et iterum, Fides ex auditu est, auditus autem per uerbum dei. Ex quibus colligere licet, opera quæ non sunt ex uerbo dei expresso, formata, aut per certam consequentiam inde deducta, a deo non esse bona, ut etiam dicantur peccata. Ingere tu quæ solo alicui uel ingens beneficium contra uoluntatem eius, & uide quam apud ipsum gratiam in eas. Requirit ergo bona opera ante omnia disertam & expressam dei uoluntatem. Ad Coloss. idem apostolus manifeste damnat *id est non dicitur*, uoluntariam inquam, electitiam & sua sponte susceptam religionem. Et quæ obsecro necessitas est, alias nobis bonorum operum formas comminisci, cum nondum ea fecimus opera, quæ ipse deus iure à nobis requirit & disertis uerbis præscribit? Ex his colliquescit non damnare nos bona opera simpliciter, sed illa quæ relicto dei uerbo, nostro nobis arbitrio confingimus;

gimus: cuius generis multa sunt monachorum & sacrificorū. Quæ
uero modis omnibus cum uerbo dei pugnant opera, nullo digna-
mur honore & loco.

Et ut rectius bonorum operum ingenium perspiciamus, obser- *Vere bona*
uanda nobis censeo hæc apostoli uerba. Conditū sumus in Christo *opera.*
Iesu ad opera bona, quæ præparauit deus, ut in eis ambulemus.
Duas autem notas uere bonorum operum ponit. Prior, Conditū su-
mus, inquit, in Christo Iesu, ad opera bona. Necessè ergo est bonū
opus ab eo fieri, qui est in se uera fide in Christum. Nisi enim pal-
mes in uite manserit, fructum proferre nequit. Omnia ergo infide-
lium opera ut cunq; splendeant iustitiæ titulo, reuera non sunt bona
opera. Posterior, Quæ præparauit deus, inquit, ut in eis ambulare-
mus. Non ergo sunt hic commemoranda quæuis opera, quæ pos-
sunt facere homines: sed illa quæ ab antiquo præparauit deus, ut am-
bularemus in eis. Quæ uero illa sint, deus lege sua, quæ æterna est
dei uoluntas, expressit. Inde est quod dominus in euangelio roga-
tus de uita æterna, & ueris uirtutibus, ad legem remittit & ait, In lege
quid scriptum est: Et iterum, Si uis ad uitam ingredi, serua mādāta.
Proinde decalogus certissima & absolutissima est formula bonorū
operum. Quod ut plenius intelligatur, breui id enumeratione ceu
in tabula spectandum oculis uestris proponam.

Ad primum præceptū referes timorem dei, fiduciam & dilectio- *Decalogus*
nem, spem deniq; in aduersis certissimam, patientiam, & constan- *plena bono*
tiam infractam. Ad secundum pertinet uerus synceriorq; deo pla- *rum operū*
rens cultus, omnis item superstitionis & cultus peruersi abnegatio. *forma.*
Ad tertium colliges reuerentiam numinis, cōfessionem ingenuam,
inuocationem nominis dei sanctam & perseverantem, & sanctifi-
cationem eiusdem. In quarto locum habebit moderata ecclesiastica
rum cæremoniarum conseruatio, prædicatio uerbi dei, preces pub-
lica, & quæ cunq; sunt exterioris cultus. Ad quintum referes pieta-
tem in parētes, in patriam & affines, obedientiam iustam, quam de-
bemus magistratui, & omnibus superioribus, item officia uitæ ciui-
lis. Annuerabis sexto iustitiam & iudicium, defensionem uidua-
rum, pupillorum, afflictorumq; & oppressorum assertionem, bene-
ficentiam, & innocentiam. Septimo adijcies fidem coniugalem &
matrimonij officia, educationem liberorum liberalem & piam, stu-
diam item castitatis temperantiæ & sobrietatis. Ad octauum referes
iustitiā in contractibus, liberalitatē, munificentiam, hospitalitatem.
Ad nonum adijcies ueritatis studium per omnem uitam, fidem in
dictis & factis, sermonem compositum, honestum & utilem. Deci-

mo loco recensetis bonos affectus & uota sancta, deniq; omnes cogitationes sanctas & honestas. Hæc scilicet est compendiosa bonorum operum formula. Quod si his aliquid breuius cupis, audi dominum omnia hæc in duo capita colligentem atq; dicentem, Diliges dominum deum tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: & proximum sicut teipsum. Omnia itaq; quæcumq; uolueritis ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis.

*Que uere
bona opera,
prophetarum
testimonia.*

In hæc domini præcepta intendant oculos & mentem cuncti fideles bene operari cupientes, & hoc diligentius constantiusq; quocertius & perspicacius uident & intelligunt, deum & in lege & in prophetis nihil aliud & nulla alia opera à suis requirere electis seruatis. Agite uero audiamus aliquot quæ cum lege consentiant sanctorum prophetarum de bonis operibus diserta testimonia. Moses in Deut. suo, Et nunc Israel, inquit, quid dominus deus tuus petit à te, nisi ut timeas dominum deum tuum, & ambules in cunctis uisibus eius, diligas eum, & seruias domino deo tuo, in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut scilicet custodias præcepta domini & statuta eius, quæ ego præcipio tibi hodie. Dauid quoq; rex & uates interrogat Psalmo 15. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Et mox respondet, Qui ambulat in integritate, & operatur iustitiam. Et reliqua quæ continentur in Decalogo. Iam & Isaias in 33. cap. mouet eandem quæstionem. Nec aliam eius adfert solutionem quam Dauid, Ieremias in cap. 22, hæc ingerit & urget, Sic dicit dominus, Facite iudicium & iustitiam, & liberate ui oppressam de manu calumniatoris: peregrinum quoq; pupillum & uiduam ne contristeris, neq; iniuriam faciatis, & sanguinem innocentem ne fuderitis in hoc loco. Neq; alium catalogum, licet bene longum, bonorum operum contexit Ezechiel in cap. 18. Apud Oseam dicit dominus, Beneficentiam, pietatem seu misericordiam desidero, non sacrificium: & cognoscere deum magis quam holocausta. Micheas quoq; interrogat diligenter quid agat dei cultor, ut deo placeat, placitaq; opera faciat: & protinus ex inspiratione diuina respondet, Indicabo tibi homo quid sit bonum, & quid petat à te dominus: nimirum facere iudiciū, diligere beneficentiam, & reuerenter ambulare cum deo tuo. Ad eundem modum Zacharias propheta interrogantibus de uirtutibus & operibus bonis deo placenibus, dicit, Sic ait dominus exercituum, Iudicate iudicium ueritatis, & facite pietatem atq; misericordias unusquisq; cum fratre suo. Viduam & pupillum, peregrinum & pauperem nolite calumniari: neq; cogitet unusquisq; uentrem in corde suo malum contra fratrem suum: & iuramentum falsum ne

dili-

Adiligatis: quoniam omnia ista sunt quæ odiui, dicit dominus.

A prophetica doctrina nihil discrepat doctrina euangelica & apostolica, quæ ubiq; charitatē, iustitiam & innocentiam docet, scopum uidelicet & summā omnium bonorum operum, S. Iacobus apostolus, Religio, inquit, pura & immaculata apud deum & parē hæc est, inuisere orphanos & uiduas in afflictione sua, & immaculatum seipsum seruare à mundo.

Restat ut quod ad finem descriptionis bonorum operum adpen- *In quem fi*
dimus, scripturarū collatione roboremus atq; explicemus. Diximus *nem fieri*
autem uere bona opera fieri à renatis ad gloriam dei, ad ornamen- *debeant be*
tum uitæ, & ad utilitatem proximi. Dominus enim in euangelio *na opera.*
hunc finē præscribens bonis operibus dicit, Sic luceat lux uestra co-
ram hominibus, ut uideant uestra bona opera, & glorificent patrem
uestrum qui in cælis est. Apostolus quoq; Paulus non semel adhor-
tans ad bona opera, id tanq̄ ualidissimum, quod permoueat, adiun-
git, ut suis illis operibus doctrinam seruatoris nostri dei ornent. Iam
uero ut decens & honesta uestis hominem ornat, ita uere bona ope-
ra uitam cōmendant hominum. Hinc enim apostoli Christi toties
suaserunt exuere ueterem hominem, & induere nouū, qui secundū
deum est conditus. Inde enim accedit nobis gloria & honor. Dici-
mur & sumus serui, imō filij dei nostri, cuius ingenium & uirtus re-
lucet in nobis ad gloriam & laudē nominis eius. Ac ut requirit ille à
nobis opera bona, ita si faciamus ea, placent ipsi & honoramur ab
ipso uicissim: id quod multis scripturæ testimonijs demonstrari pos-
set. Verum hoc est extra omnem controuersiam. Certe is subinde ma-
gis ac magis auget nobis bene operantibus dona sua. Dicit enim in
euangelio, Omni habenti dabitur, & abundabit. Qui uero nihil ha-
bet, etiam id quod nō habet, auferetur ab eo, & dabitur ei qui habet.
Accedit huc quod operantibus deus recta, propitius est, eosq; multis
etiam temporalibus donis locupletat, tandē & perpetua uita donat.
Diserte enim apostolus Paulus, Deus, inquit, reddet unicuiq; iuxta
facta sua, his inquam qui perseverantes in benefaciendo gloriam &
honorem & immortalitatē quærun, uitam æternā. Et iterū, Gloria
& honor & pax omni operanti bonum. Quanq̄ in omnibus bonis
suis operibus pij sibi nō præcipuū quidem scopum (quemadmodū
& superius quoq; monui) recompensationem & priuatū cōpendiū,
sed dei gloriā & uoluntatē, deniq; proximi utilitatē sibi proposue-
runt: Paulus enim, Omnia, ait, in gloriam dei facite. Et iterū, Nemo
quod suum est querat, sed quisq; quod alterius: quemadmodū ego
per omnia omnibus placeo: non querens meam ipsius utilitatē, sed

DE PECCATO.

multorum ut salui fiant. Pij ergo omnes omnia sua studia & opera in hoc dirigunt, ut deo placeant, ut deū glorificent, ut profint multis. In eo enim dei naturā, cuius filij sunt, exprimunt. Nam is beneficia sua in omnes creaturas suas effundit: sunt itaq; & filij eius benefici.

Hæc habui in præsentī de natura uel ingenio, de causa, sine & effectū, hoc est, de uera & iusta ratione bonorum operum; ex quibus etiā illud perspicue intelligi posse spero, quomodo operibus sanctorum bonis iustitiæ nomen & iustificationem tribuar, mercedēq; reddere dicatur dominus in scripturis sanctis, & quod immortū nihilo minus ac firmum consistit orthodoxum & primarium religionis nostræ dogma, Gratia dei nos propter Christum per fidem, non per opera iustificari. Nunc ergo nihil aliud superest, quā ut pro uera in dominum Iesum fide supplicemus domino, ac per eiusdē gratiam, disputationem hucusq; habitam de bonis operibus, in opus deducamus, id est, ut fidem quam uerbis profiteamur nos habere in dominū nostrum Iesum Christū, operibus uere bonis exprimamus.

De peccato & eius speciebus, nempe de peccato originali, actuali, & de peccato in spiritu sanctum, certissimaq; & iustissima peccatorum pœna. SERMO X.



ESTAT ultimum, quod cum lege cohærere diximus, Peccatum. De quo ut legitime, religiose, orthodoxe, & multo cum fructu omnium uestrum differere queam, oremus supplices dominum.

Peccati uocabulum.

Peccatum pleriq; pro errore accipiunt, quo uidelicet aberramus, non tantum à uero, æquo, iusto & bono, sed etiā sequimur deteriora. Latini uocabulum hoc suum deriuant à pellicatu, quod uitium est corruptorum fornicationis spiritu maritorum, præferentium pellices legitimis uxoribus. Ac mire hoc quidem nostro negotio seruit. Nam fideles fide copulati sumus deo nostro tanquam sponso, cui si præferamus alios deos, aut his seruiamus etiā, aut si ueris bonis præteritis sequamur umbratilia bona, uanas spes, & mundi perniciosas uoluptates, peccamus reuera. Peccatum autē ferè à delicto discernant. Delictum enim appellant, cum non fit, quod fieri debebat: peccatum, cum fit, quod fieri non debebat. S. Hieronymus uidetur delictum accepisse pro primo lapsu ad peccandum. S. Augustinus, Peccatum, inquit, à sciente, Delictum ab ignorante fit. Ego uideo uocabula illa alicubi confundi, alterumq; usurpari pro altero, alicubi errorem ac delictum mitius esse uocabulum, peccatum

uer

vero grauius, crimen uero, scelus, defectionem et impietatem multo grauius. Etenim & S. Augustinus, Neque quia peccatum est omne crimen, inquit, ideo crimen est etiam omne peccatum. Itaque sanctorum hominum uitam quam diu in hac morte uiuitur, inueniri posse dicimus sine crimine: peccatum autem si dixerimus quia non habemus, ut ait S. apostolus, nosmetipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. Apud Hebræos uarijs uocibus effertur peccatum, significandibus, prauitatem & peruersitatem, delictum, errorem, defectum, infirmitatem, uitium, ignorantiam & præuagationem, siue transgressionem. Nam præuagari, est discedere à recto, & ab officio, non ingredi recta uel transgredi regulam præscriptam à deo. Regula uero illa, lex est, ab Hebræis ideo nuncupata Thora, deductio inquam, uel directorium. Nam dirigit hominem in uis quæ deo placent. Ita circo Græce appellatur peccatum ἀνομία καὶ παρανομία. Rursus significat Hebræis peccatum auersionem, nimirum à bono ad malum: item defectionem, ueluti cum te eius subtrahis imperio cui obnoxius es ac seruus: denique et reatum siue crimen, quo nos ipsos pœnæ subdimus.

Certe S. Augustinus multum operæ impendit, ut proprie definit Peccatum. De Consensu euangelistarum lib. 2. Peccatum, inquit, Peccatū est legis transgressio. Ad Simplicianum lib. 1. Peccatum est inordinatio & hominis peruersitas, id est à præstantiore conditore auersio, & ad condita inferiora conuersio. De fide contra Manichæos cap. 8. Peccare quid aliud est, inquit, nisi in ueritatis præceptis, uel in ipsa ueritate errare? Et contra Faustum Manichæum lib. 22. cap. 27. Peccatum est factum, uel dictum, uel concupitum aliquid, contra legem dei. Idem de duabus animabus contra Manichæos cap. 11. dicit, Peccatum est uoluntas retinendi uel consequendi quod iustitia uetat, & non liberum est abstinere. Et Retracta. lib. 1. cap. 15. Voluntas illa est, aut animi motus, cogente nullo, ad aliquid uel non amittendum uel adipiscendum. Quas finitiones omnes ut non prorsus repudio, ita hanc expendendam propono, Peccatum est corruptio natiua hominis, & quæ ex ea existit actio, legi dei repugnans, huius iram, mortem inquam, & supplicia uaria nobis concilians. Audis hanc peccati descriptionem suis constare partibus. Audis corruptionem natiuam: iuxta quam non cõpetit hæc definitio peccato primorum parentum, in quibus nulla fuit natiua corruptio. De quo suo loco. Audis actionem quæ ex illa existit, pugnantem cum lege dei. Audis peccatum nobis dei iram cõciliare, hoc est, mortem & supplicia uaria ore dei peccato intentata. De quibus consequenter & ordine, quantum dederit dominus, dicemus.

*De causa
sue origine
peccati.*

Videtur autē hęc dissertatio cōmodissime sumere iniūū à peccatū origine, causa & auctore, Mali uel peccati originē, deriuant alij ex fato stellarum, dicentes, Peccaui, quia in fausto sum sydere natus. Alij dum peccant, & propter peccatū obiurgantur, respondent, Nō ego sed diabolus in culpa est q̄ hoc admisi facinus. Aliquando dimissis omnibus excusationibus, directa in deum homines culpā conijciunt, aiunt, Deus ita uoluit. Nam si noluisset, non peccassem. Alius, Cum deus, inquit, prohibere potuisset, nec iamē prohibuit, ipse peccati mei auctor est. Ceterū nouum nō est hominibus blasphemam acuere linguā contra omnium dominū. Primi enim parentes nostridum peccassent, & peccati cōmissi accusarentur à deo, à seipsis cōmissum scelus transferunt in alios, nec ingenue ueritatē confitentur. Ea est hominū malitia abominabilis. Adam enim ueluti ex aduerso responsans deo, criminis sui culpā non iam in uxore sibi copulatam à deo, q̄ in ipsum deum regerit, Mulier, inquit, illa quam tu dedisti mihi sociam, dedit mihi pomum, & comedi. Quasi dixisset, Nisi illam mihi cōiunxisses, non peccassem. At non coniunxerat ei coniugem dominus ut esset occasio mali, sed ut uiro melius esset. Porro mulier simpliciter malū imputat diabolo, dicens, Serpens seduxit me, & comedi. En hęc sunt corruptissima nec non falsissima de origine peccati iudicia, impia & detestanda, quibus grauius offenditur dei iustitia & ueritas. Nam ne ipsa quidem natura hominis causa est peccati. Deus enim qui omnia, ipsam etiam naturam hominis creauit, bonam omnino creauit, ac erant omnia quę condiderat ualde bona. Ita circo erat & hominis natura bona. Aduentitia qualitas est, quę accidit homini in lapsu aut post lapsum, non substantialis proprietas, mox ab initio talis qualis nunc est indita. Nunc quidem cum in peccato à peccatoribus nascimur, peccatū naturalis est hominum proprietas. Scribere enim S. Augustinus de fide contra Manichæos ca. 9. Sed etsi quos naturaliter dicimus malos, propter originem ueteris peccati dicimus, in quo tota iam nostra mortalitas nascitur. Atqui requirunt hęc diligentiolem & copiosiolem declarationem.

*Diabolus
solus non
est causa
mali.*

Diabolū nō unū esse peccati auctore, qui nobis quidē peccatibus, ipse peccati culpā sustineat solus, nos imunes simus à crimine, id maxime declarat, q̄ ille homini suadere & malū ingerere potest, cogere autem nō potest. Deus enim suo diabolū imperio premit, ut non possit q̄d uelit. Sed hoc tantū, quod & quantū deus permittit: imō ne in scdissimos quosq̄ porcos imperium habet, nedum in nobilissimas hominum animas. Habet sanē suadendi astutiam & maximas uires: at fortior est deus, qui & ipse nunquam cessat homini suggerere

gerere bonum. Nec plus permittit sathanæ, quam profit homini. Id videre licet in exemplo sanctissimi uiri Iob: deniq; in exemplo Pauli 2. Cor. 12. & in uerbis eiusdem dicentis, Fidelis est deus, qui non sinet uos tentari supra id quod potestis. Ergo uani sunt qui culpam scelerum in humeros exonerant diaboli.

Porro si roges illos qui fatum peccatis obrendūt, quid sit fatum? *Fatum nō esse causā* respondebunt, uel seriem connexam per æternitatem se inuicem tenentem, ac catenam quandam & necessitatem perpetuam consiliorum operumq; secundum consilia dei: uel ipsas stellas malas. Si roges iterum quis fecerit stellas? non habent quod respondeant, nisi Deus: restat ergo ut deo rursum malum suum impingant. At fatum tale non asseruerunt uel saniores philosophi omnes, nedum Christiani. Præterea qui ex nostris, id est ex ijs, qui Christiani uideri uolunt, fatum seu constellationem asseruerunt, huiusmodi fuerunt, ut pigeat authorum. Bardesanes fato ascripsit conuersationes hominum. Priscillianistæ uero, in Tolerano concilio primo damnati, docuerunt hominem stellis fatalibus alligatum, ipsum corpus habere secundum duodecim signa cœli compositum, constituentes arietem in capite, taurum in ceruice: & sic consequenter. S. Augustinus in opusculo Octoginta trium quæstionum, quæst. 45. grauiter confutans fatum stellarum, inter alia, Conceptus, inquit, geminorum, quoniam uno concubitu efficitur, a testantibus Medicis, quorum disciplina multo est ceruor atq; manifestior disciplina astrologorū, tam paruo puncto temporis contingit, ut in duas minutas minutarum non tendatur. Vnde ergo in geminis tanta diuersitas actionum & euentuum & uoluntatum, quos necesse est eandem cōstellationem conceptionalem habere, & amborum unam constellationem dare mathematicos tanquam unius hominis? His S. Augustini uerbis lux quædam affulgebit si adhibueris exemplū Esau & Iacobi. Idem August. contra duas Pelagianorum epistolas ad Bonifac. lib. 2. cap. 6. Fatum, inquit, qui affirmāt, de syderum positione, ad tempus quo concipitur quisq; uel nascitur, quas constellationes uocant, non solum actus & euenta, uerum etiam ipsas nostras uoluntates pendere contendunt. Dei uero gratia non solum omnia sydera, & omnes cœlos, uerum etiam omnes angelos supergreditur. Deinde fati asseriores & bona & mala hominum fato tribuunt. Deus autem in malis hominum merita eorum debita retributione persequitur. bona uero per indebitam gratiam misericordie uolūate largiuntur: uitæ que faciens non per stellarum temporale consortium, sed per suæ beneuolentis & bonitatis æternum altumq; consilium. Neurum ergo

pettinere uidemus ad fatum. Concluduntur hæc uerbo domini per Ieremiam in hanc sententiam pronunciatum, Hæc dicit dominus, iuxta uias gentium nolite discere, & à signis cæli nolite memere, quæ timent gentes: quia leges populorum uanæ sunt. Ergo quod sydus Saturni inclemens & asperum, uel crudele, Veneris benignum & mite ab astrologis appellatur, uanitas est uanitatum. Nō enim astra ullam habent uim, uel benefaciendi, uel malefaciendi. Proinde culpa peccatorum nequaquam illis imputari debet.

*Deus nō est
author mali,
sive peccati.*

Restat demonstrandum, ne deum quidem esse causam peccati, uel authorem mali, Deus, inquit isti, ita uoluit, Si enim noluisset, non peccassem. Quis enim eius potentia resistat. Item cum prohibere potuisset, nec tamen prohibuit, ipse utique author est peccati. Quasi uero hominum calumnias & sophismata non agnoscamus. Quis oro ignorat deum non absolutam potentia, sed ex pacto et lege condita, nobiscum agere, per media inquam commoda & ordine legitimo? Posset sanè deus per absolutam suam potentiam prohibere malum: cæterum non potest nec uult interim, uel creaturam suam & ordinem iustum corrumpere, atq; turbare. Agit ergo cum homine humano more: proponit ei leges, proponit præmia & supplicia: iubet amplecti bonum, refugere malum; ad quam rem conficiendam nec gratiam suam negat, sine qua nihil possumus: nec diligentiam & laborem nostram aspernatur. Hic si cesser homo, negligentia & peccatum ipsi homini ascribitur, non deo, licet hic prohibere potentia sua potuisset, nec tamen prohibuit: quia prohibere nō debuit, ne turbaret ordinem, & suum opus destrueret. Proinde deus non est author mali, uel peccati. De qua re subiungemus modo clara aliquot scripturæ testimonia: deinde uero respondebimus ad obiectiones uarias: simul autem originem & fontem peccati aperiemus.

*Deus bonus,
omnia
quæ condidit,
bona condidit.*

Testimonia docentia Deum non esse authorem mali siue peccati, plurima sunt, sed in ijs insigne est illud, quod deus natura bonus esse dicitur: & omnia quæ condidit ualde bona dicuntur. Vnde Sapiens ille dixit, Deus mortem non fecit, nec delectator uiuorum interitu, Creauit enim ut essent omnia: & initia mundi salutifera sunt, nec inest in eis medicamentum perniciosum: nec orci regnum in terra, quippe iustitia immortalis est. Impij uero manibus ac uerbis accersuerunt illam ac contabuerunt. Et reliqua quæ extant Sapientia 1. cap. pulcherrimèq; congruunt cum primis capitibus excellentissimi prophetarum Mosis.

Psalm, 5. dicit Dauid, Quoniam non deus uolens iniquitatem tu

es: non habitabit tecum malitia: neq; permanebunt iniusti ante oculos tuos. Odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes eos qui loquuntur mendacium: uirum sanguinum & dolosum abominatur dominus. En nihil fingas alienius ab ingenio dei, quam malū atq; peccatum. Cuius generis plura legas & Iob cap. 34.

Ecclesiastici 7. dicit sapiens, Deus hominem probum condidit, ipsi autem quaesierunt adinventiones multas. Ideoq; apostolus Paulus ad Roman. 5. cap. deriuat peccatum, damnationem & mortem non à deo, sed ab Adamo, à deo autem per Christum gratiam condonationem & uitam. Illustrior est is Pauli locus quam copiosioribus declarari debeat: inspiciatur modo & expendatur diligentius à lectoribus & auditoribus, RECITA, Quemadmodū per unum hominem peccatum in mundum introiit, & per peccatum mors. Et reliqua.

Idem ad Romanos 7. clare ostendit legem esse sanctam, præceptum bonum & iustum, adeoq; in deo & eius uoluntate nullam herere, aut ex lege, quæ dei uoluntas est, existere uel exoriri, peccati labem. In nostra carne, inquit, malum latet, ex nobis erumpit enasciturq; malum. Noui, inquit, quod non habitet in me, id est in carne mea, bonum. Reperiuntur in eo capite plurima, quæ causam hanc nostram pulchre illustrant.

Idem apostolus ad Roman. 3. cap. Quod si iniustitia nostra, inquit, commēdat iustitiam dei, quid dicemus, Num iniustus est deus, qui inducit iram? (Humano more loquor, id est hominum impiorum uerbis utor.) Absit. Nam quomodo iudicabit deus mundum? Etenim si ueritas dei per meum mendacium excelluit, in gloriam ipsius, quid posthac et ego ueluti peccator iudicor? &c. Certe si deus peccati & omnium malorum author esset, ac uellet tales esse sceleratos, quales sunt: quid oro iudicaret siue puniret illos tanquam transgressores, cum peccando fecerint uoluntatem eius?

Huc pertinet illud quoq; beati Ioannis euangelistæ & apostoli testimonium, in canonica sua dicentis, Si quis diligit mundum, nō est charitas parisi in eo. Quoniam omne quod est in mundo, ueluti est concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & fastus uitæ, non est ex patre, sed ex mundo est. Et mundus transiit, & concupiscentia eius: qui autem facit uoluntatem dei, manet in æternum. Et liberatur deus penitus à malo: malum, inquit, non est ex patre, sed ex mūdo. Et, Qui facit uoluntatem dei, non facit quod uult deus, sed quod uult mundus. Pugnāt ergo inter se ex diametro, bonum & malum, peccatum & uoluntas dei, Hæc scripturarum testimo-

nia, licet paucula, non impio, sufficere putamus auditori.

Origo ma-
li uera.

Ex his uero concludimus, primum quidem catholicum illud dogma, quod ab apostolorum temporibus semper multa cum diligentia contra impuram philosophiam (nō totam interim damnamus: scimus aliquot eius partes opido utiles esse pijs & pietatis studijs) defensum est, deum non esse mali auctorem uel causam peccati. Deinde ex ipsidem colligimus, originem mali siue peccati, ex ipso deuariari homine, et impulsore seu incentore sathana: ita tamen ut dicamus, hunc initio quidem corruptum, corrupisse hominem, nihil tamen potuisse per se efficere, nisi sua sponte in malum consentisset homo. Atq; hic reuocandus est primus patris nostri Adā lapsus ob oculos, ut rectius de origine mali iudicemus, Cōdidit deus patrem omnium nostrum Adamum ad imaginem & similitudinem suam, hoc est condidit ipsum optimum, integerrimum, sanctissimum, iustissimum & immortalem, instruxitq; ipsum donis & facultatibus prestantissimis quibusq; ut ad beatitudinem ipsi in deo non deesset quicquam. De hac imagine paulō post plura dicemus ex Paulo. Polluit ergo intellectu plane diuino puro & acutissimo. Voluntas ipsi erat liberrima & sanctissima. Facultates habebat faciendi bonum & malum. Præterea data est ipsi à deo lex, quæ quid ageret aut quid fugeret ostenderet. Dicens enim dominus, Ne comederis ex fructu scientiæ ligni boni & mali, postulauit deus simpliciter obedientiam ac fidem, & ut totus penderet à deo, idq; totum, non necessitate adactus, sed libere faceret. Nam & sapiens ille Ecclesiastici scriptor. sancte & uere scripsit, Deus ab initio creauit hominem, & permisit eum in manu consilij sui. Adiecit mandata & præcepta sua, Si uolueris, mandata seruabis, ipsaq; te uicissim conseruabunt. Ergo dum serpens animum hominis rētare, suaderetq; gustare de arbore prohibita, homo quid ei obijceretur intellexit, nec ignorauit consilium serpentis pugnare cum mandato domini. Non cogebat interim ipsum dominus, non cogebat repugnantem sathanas in serpente. Dixerat enim deus, Ne comederitis ex illa arbore, neq; attigeris edere, uel non edere. Imō declarauit ei dominus suam sententiam diserte præcipiens ne edat: & periculo adiuncto retraxit ipsum ab esu dicens, Ne forte moriaris, Sathanas quoq; ut non potuit, ita nō adhibuit uim ullam, probabiliter autem suasi, tandem & persuasi. Nam declinante uoluntate mulieris in uerbū diaboli, recessit mens eius à uerbo dei, reiectaq; bona lege, malum opus ex peruersa uoluntate patrauit, denique maritum sponte sequentem traxit in mali

confor-

confortium. Id quod scriptura hſce uerbis inculcat ſignificantiffi-
me. Et uidit mulier quod bonum eſſet lignum ad uſcendũ, & ocu-
lis deſiderabile & concupiſcibile ad contemplandum, tulit de fru-
ctu eius, & comedit, dedit deniq; & uiro ſuo ſecũ, qui & ipſe come-
dit. En habes mali initium, diabolum, habes quid commouerit men-
tem ſeu uoluntatem hominis, falſum uidelicet diaboli elogiũ, ſeu
fructus arboris præconium, adeoq; merum mendacium, & ſpecies
delectabilis arboris. Sponte autem faciunt homines quod faciunt,
ſpe ducti excellentioris uitæ ſapientiæq; cõſequendæ, quam promi-
ſerat mendaciter ſeducator. Concludimus ergo peccatum oriri non
ex deo odiente & prohibente malum, ſed ex diabolo primorumq;
hominum libera electione, & deprauata, per mendacium diaboli
& falſam boni ſpeciem, uoluntate. Ideo diabolus & obſequens de-
prauatq; hominis uoluntas, cauſa ſunt peccati ſeu mali ueriffima.

Porro malum hoc dimanauit ex primis noſtris parentibus in om-
nem poſteritatem, ut peccatum uel hodie non aliunde quàm ex no-
bis ipſis, id eſt, ex corrupto iudicio & praua noſtra uoluntate, deni-
que diaboli ſuggeſtione exoriatur. Nam mali radix ex prima illa
corruptione in nobis eſt, & progignit ex ſeiſpa germen ſuæ conue-
niens naturæ, purridum: quod ſathanas nunc quoq; ſicuti ab initio
rerum, ſuis artibus, dolis & mendacijs, ueluti plantans prolicit, pro-
uehit & excolit: qui fruſtra alioqui laborat, niſi formandos nos ei
præbeamus. Quo uero in his minus ſit dubij, & plus lucis, ſubiun-
gemus confirmandi & declarandi gratia duo teſtimonia euidentiffi-
ſima, alterum quidem ex doctrina euangelica, alterum ex doctrina
apoſtolica. Dominus in euangelio dicit, Diabolus homicida erat
ab initio, & in ueritate non ſteit: quia non eſt ueritas in eo. Cum lo-
quitur mendacium, ex proprijs loquitur: quia mendax eſt, atq; eius
rei (mendacijs inquam) pater. Ex hiſce domini uerbis diſeriffimis
intelligimus malum referendum eſſe ad ipſum diabolum, qui in
ueritate & bonitate conditus, in ueritate & bonitate non perſteit,
ſed deſecit à ſua natura, in qua bonus erat conditus, & deſcendit ſua
culpa in naturam aliam, nempe malam, ac ex ſe ſparſit omne ma-
lum (ſicut modo paruit ex hiſtoria primorum parentum) in mun-
dum, nempe cædes & mendacia (comprehenduntur autem ſub his
omnia mala) quorum dicitur diſerte pater, id eſt, cauſa, author,
ſons & origo: non quia conditus ſit talis à deo, ſed quia in ueri-
tate non ſteit. Proinde obijcientibus hic nobis, A qua ſit origine
proſectus ſathanas, an non & ipſe conditus à deo? Reſpondemus,
deum condidiſſe omnes angelos, eos etiam qui poſtmodum facti

DE PECCATO,

sunt refugæ seu cacodæmones: cæterum ea de causa malū non reflectitur in deum. Nam scimus deum ab initio omnes angelos creasse bonos. Omnia enim quæ condidit erant bona. Præterea dicitur dæmon in uero non sterisse, id est, defecisse à uero: à quo utiq; deficere non potuisset, nisi aliquādo in ipso sterisset. Stabiliuit ergo omnes angelos deus in uero ab initio. Requisiuit ab eis ueritatem, fidē seu fidelitatē & officiū debitum: quod præstare si uoluissent, potuissent. Exciderunt autē perfide à fide & peccarunt, ut Petrus apostolus testatur, cōtra dominū, ideoq; culpa perfidiæ & omnis mali hæret nō in deo, sed in angelo refuga. Ex eo enim q̄ cecidit nulla est in ipso ueritas, nulla fides, nulla integritas, nullus dei timor, nulla lux aut bonitas. Vere itaq; dixit beatus Ioannes in Canonica sua, Qui committit peccatū ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. Est enim primus peccator & peccatorū origo. Est in his omnibus illud quoq; obseruabile quod à Petro & Ioanne dicitur dæmon peccasse, Peccatum enim pugnat cum uoluntate dei: ergo deus noluit illum perire, unde cum perit, sua non dei culpa perit.

Audiamus iam alterum testimoniū de praua hominis uoluntate, uera utiq; causa peccati, S. Iacobus apostolus dicit, Nemo cum tentatur dicat se tentari à deo. Nam deus ut malis tentari non potest, ita nec ipse quenq; tentat: imò unusquisq; tentatur, dum à propria concupiscentia abstrahitur & inescatur: deinde concupiscentia, postea q̄ concepit, parit peccatū, peccatum uero perfectū, progignit mortem. Clare satis opinor deum S. Iacobus omni culpa peccati liberat, totū illud ex nobis deriuat, ostendens interim genesim & progressum peccati. Nec contradicit Iacobus mox ab initio Mosi dicenti, Tentauit deus Abrahamum. Tentare enim in Mose significat periculū facere & experimentum capere. In præsentii uero tentare significat sollicitare aut pertrahere ad malum adeoq; & corrūpere. Deus ergo ut malis, inquit, tentari non potest, id est, sicut deus natura bonus est & incorruptus, ita corrūpit, deprauat, & malo immergit neminē. Alienū enim hoc est à natura dei. Vnde ergo exoritur malū? Respondet beatus apostolus, & ait, Imò unusquisq; tentatur siue corrumpitur, & in malum conuertitur, dum abstrahitur & inescatur à propria concupiscentia. Ea exoritur peccatum ex nostra concupiscentia, præterea nostro opere proprio absoluitur perficiturq;. Ac singula quidē hæc sancti apostoli uerba sunt emphatica. Primum enim, Cōcupiscentiam nobis propria facit, quemadmodū & de sathana dixit dominū, Cum mendaciū loquitur diabolus, ex proprijs loquitur. Et quia concupiscentia nobis propria est, certe peccatū quoq; nobis propriū est. Concupiscentia

concupiscentia enim abstrahit, abstrahit autē à uero, iusto ac bono, nimis-
rum ad falsum, iniustū & malū. Eadem inescat, id est, falsa spe facta
aut proposita, decipit: ut solent aucupes esca allicere aues in retia, &
deceptos capere & iugulare. Quid oro poterat dici clarius? Concupi-
scentia propria conijcitur in malum. Hæc abstrahit à deo, & hæc
inescat ac decipit. Deinde collocato peccati fundamēto apertoꝝ fon-
te, indicat peccati genesim, id est, ortum & progressum, idēꝝ allusione
festiua per allegoriā, Concupiscentia, inquit, illa nobis propria ceu
matrix concipit in nobis ipsis peccatū, ac idem mox progignit, cum
uidelicet exit in opus, & id quod concupiuius cupide prosequi-
mur, & consecuto contra legē fruimur: quod protinus ipsa sequi-
tur mors. Stipendium enim peccati mors est. Demonstrauimus, opi-
nor, his lucidissimis scripturarū testimonijs clare satis, causam pecca-
ti esse non deū ipsum, sed corruptā nostram uoluntatē siue concupi-
scentiam ac diabolū, quippe qui illā agit, excitat atq; inflamat, ut
pote tentator & hostis omnis boni totiusq; generis humani.

Operæ pretiū fuerit autem post ista audire quorundā contra hæc *Responde-*
obiectiones, & quid secundū ueritatē ad ea responderi possit. Cum *tur ad ob-*
ex praua hominis uoluntate & suggestionē sathanica non ex ipsa *iecta.*
dei natura peccatum deriuamus, obijciunt quidā, Deum condidisse
Adamum, ergo & peccatum. Respondemus peccatū esse corruptio-
nem bonæ naturæ à deo conditæ, non creaturā à deo in homine aut
cum homine conditā. Bonū condidit deus hominē, qui relictus suo
consilio, suafore sathana, bonitatē à deo conditam in se suo actū &
uoluntate sua praua corrumpit; ut iam peccatum propriū sit hominis,
actio inquam praua contra legē dei, non creatura creata in homine
dei. Regerunt, An uero uoluntas & facultas quæ erant in Adamo
aliunde quā ab ipso deo erant? Sanē non aliunde. Aiunt, Ergo & pec-
carum est ex deo. Nego. Deus enim non dedit uoluntatem & facul-
tatem operandi Adamo, ut malum faceret. Nam lege lata malū pro-
hibuit. Ipse ergo Adam uoluntatē & facultatem acceptam à deo, ma-
le collocauit, male ipsis utens. Accepit pecuniā filius prodigus à pa-
tre, non ut prodigeret luxuriose uiuendo, uerum ut haberet quantū
satis esset necessitati. Proinde cum iste pecuniam male collocat ac pe-
rit, sua, non patris culpa perit, tamen si pecuniā acceperit à patre. Præ-
terea habere facultatem faciendi bonum & malum, quam à deo A-
dam habebat, omni culpa & uitio caret: perinde ut uenenū habere,
gladium aut sicam gerere. Ac habent hæc uim & cōmodandi & in-
cōmodandi. Abusus uitio uertitur. Et qui tibi illa suppeditat, usum
earum tibi relinquat. Quod si iustus est, ad uerum ea tibi usum, nō ad

abusum cōcedit. Quapropter cum illis abuteris, culpa tibi abuteris non autem concedenti imputatur. Iam cum deus, qui uoluntate & facultatem Adamo dedit, iustissimus sit, nimirum illas ad bonū non ad malum patrandū dedit: cur ergo iustissimo impingitur quod homini peccatori non impingitur? Concludimus ergo, quandoquidē affectus in Adamo per sensum commotus, & à serpente instigatus fuisse edere de pomo prohibito, cum interim intellectus adhuc tene- ret uerbum dei prohibentis edere, cumq; ipsa eius uoluntas libera es- set, ut in hanc uel in illam inclinare posset partem, in peiorem autem inclinauit, & illud ipsum elegit ac uoluit quod prohibuit deus, pro- fecto peccatum est hominis proprie præuaricantis, & non legisla- toris præuaricationem prohibentis.

*Cur deus
condidit
hominem
labilem.*

Hic rogant, Cur autem ita condidit deus hominem, ut uoluntate sua in malum quoque inclinare posset: quare non potius bonita- tem naturæ in eo confirmauit, ut non posset cadere uel peccare? Res- ponderad hæc scriptura, & dicit, Quis tu, ut ex aduerso respondeas deo? Væ ei qui contendit cum factore suo, Væ qui dicir patri, Quid generas? & matri, Quid parturis? Nisi uero labilem condidisset ho- minem deus, nulla fuisset laus opens siue uirtutis. Nam necessitate fuisset bonus. Quid quod labilem omnino oportebat condi homi- nem? Ita enim poscebat ipsum dei ingenium. Deus gloriam suam non dat ulli rei conditæ. Adam homo erat, non deus. Et ut deus be- nignus & liberalis, sic etiam iustus est. Benefacit hominibus: sed idem uult, ut homines agnoscant deum eiusq; beneficia, obediant & grati sint. Innumera autem beneficia contulerat in Adamum, res- stabat ergo ut occasionem ipsi daret declarandæ gratitudinis & obe- dientiæ seu subiectionis. Eam uero lege lata obtulit. Videmus ergo hic deum non sanciuisse legem, ut impingeret homo & caderet: sed magis ne impingeret. Lege enim quid fieri uelit, indicat. Indicat au- tem, quod nolit morrem & interitum Adam: indicat quid agat, quo- effugiat morrem, felix & beatus sit. Vnde etiã facilis & exposita erat lex, De arbore scientiæ boni et mali, inquit dñs, nequaquã comedes, alioqui morieris: de omni aut ligno horti comedes aliàs. Hoc quid erat aliud q̄ si dixisset, Me respicies in omnibus, mihi adhierebis, mi- hi obedies, mihi te subijcies ac seruius: neq; aliunde peres formulas boni & mali quàm ex me: atque ita te mihi gratum & obsequentem exhibebis. An in his iniqui aliquid postulauit ab Adamo deus? Ar- bore uero ei ostendit tanq̄ symbolū eius, qd lege lata iniūxerat, nē pe- ccediendū esse dño soli, utpote sapiēti & benefico, optimo, maximo deo.

*Lex data
Adamo
cur?*

deo & creatori suo. Ac quid oro in his erat difficultatis aut obscuritatis? Nobiscum sentit S. Augustinus qui libro de natura boni aduersus Manichæos cap. 35. Ad hoc, inquit, prohibuerat, ut ostenderet naturam animæ rationalis, non in sua potestate, sed deo subditam esse debere, & ordinem suæ salutis per obedientiam custodire, per inobedientiam corrumpere. Hinc & arborem quam tangi uetuit, sic appellauit dignoscentiæ boni & mali; qui cum eam contra ueritatem tetigisset, experiretur pœnam peccati, & eo modo dignosceret, quid interesset inter obedientiæ bonum, & inter inobedientiæ malum. Iam uero cum subrepfit serpens, & homini alias formas boni & mali suggessit, legi dei ex diametro contrarias, homo autem eas recepit, perfide à deo defecit, sua certe culpa inobediens interijt. Vnde iuste egit deus ubiq; & semper, iniustissimus apparet homo & in gratissimus utcuq; rem æstimes.

Cæterum cum labilem dicimus conditum hominem, id non ita intelligi uolumus, quasi uel tantillum infirmitatis in primo illo homine ante lapsum fuisse existimemus. Nam ut modis omnibus absolutissimus, sic nullo modo ut peccaret aut interiret creatus fuit. Nā deus qui unus est substantia, trinus personis, dixit, Faciemus hominem in imagine nostra, secundum similitudinem nostram. Est autem Zelam effigies & imitamentum alicuius. Demuth uero est ipsum exemplar à quo effigies deformatur. Proinde est in ipso deo exemplar, ad cuius imitationem formatur effigies uel similitudo. Porro nequit hæc esse ipsum corpus. Nam deus spiritus est, alienissimus à natura luti: necesse est ergo imaginem dei referre ad spiritua-
Nihil infirmitatis aut corruptio- nis in primo homine fuit.
Imago dei.

lia, nimirum ad immortalitatem, ueritatem, iustitiam, & sanctimoniam. Ita enim scriptum reliquit beatissimus apostolus Paulus, Renouamini spiritu mentis, & induite nouum hominem; qui iuxta deum conditus est in iustitia & sanctitate ueritatis. Proinde nihil ad absolutissimam perfectionem primo defuit homini: ut sic uel cæco appareat, hominem non ad mortem & interitum esse creatum, sed ad uitam & beatitudinem seu felicitatem plenam.

Verum, inquiunt, præsciuit deus lapsum hominis, quem si uol-
Præsciuit lapsum ho- minis.

luisse, impedire potuisset: iam cum non impediuit, dei culpa Adam peccauit. Egregia uero censebitur disputatio, si dei timore posito, quælibet in buccam uenientia, contra maiestatem dei expuere licet. Responsum est mox ab initio huius disputationis ad hanc obiectionem, Præterea non sequitur ex præscientia dei ulla necessitas, ut necessitate peccarit Adam, quod ipsum peccatum præsciuit deus. Præscit prudens aliquis pater ex signis aliquot funestis, aliquando

DE PECCATO.

filium suum perimendum gladio. Nec fallit præscientia. Confoditur enim propter fornicationem. Atqui non ideo confosus creditur, quia pater ipsum prænouit perimendum: sed quia adulter fuit. Ideoq; S. Ambrosius, siue quisquis tandem is author fuerit 2. lib. de Gentium uocatione cap. 4. de parricidio Caini loquens, Vtiq; præsciebat deus, inquit, ad quem finē progressurus esset furor insanientis. Neque ex eo quod falli scientia diuina non poterat, necessitate peccandi urgebatur facinus uoluntatis, &c. Et Augustinus libro de libero arbitrio, lib. 3. cap. 4. Sicut tu memoria tua non cogis facta esse, ait, quæ præterierunt, sic deus præscientia sua non cogit facienda quæ futura sunt. Et sicut tu quædam quæ fecisti, meministi: nec tamen quæ meministi omnia fecisti: ita deus omnia quorum ipse author est præscit, nec tamen omnium quæ præscit ipse author est. Quorum autem non est malus author, iustus est ultor, Et reliqua.

Proximæ obiectioni cognata est sequens, Deus ab æterno, inquit, decreuit genus humanū liberare ex seruitute: ergo fieri non potuit quin prius seruituti implicaremur: oportuit ergo nos inmergi peccato, ut per hoc elucesceret dei gloria, iuxta illud apostoli, Vbi exuberavit delictum, ibi exuberabit & gratia. Mirum uero istos non illud magis apud se perpendere, deum sibi ex seipso etiam sine nobis ad beatitudinem felicitatemq; esse satis, ac gloriam eius, etsi nulla unquam creatura prodijisset in lucem, pertingere supra omnes cælos. An non ab æterno deus? An non ab æterno creatura est. Est autem gloriosus deus ab æterno: ergo sine nobis gloriosus est. Quis uero ita ineptiat, ut existimet lucem illam æternā aliquid gloriæ accipere à nostris tenebris, à putore illo nostro atq; peccatis? An sine nostris sceleribus nulla erat futura dei gloria? Sapiens in Ecclesiastico, Ne dicas, Defeci, inquit, impulsu domini. Non enim debes quæ odit facere. Ne dicas, Ipse me in errorem impulit. Non enim ei uiro peccate opus est. Vel, Non enim necessarij sunt ei homines impij. Omne nephas odit dominus, nec probatur eiusdem cultoribus. Quare ergo non inuertimus ratiocinationem nostram, & ita, ut res habet, colligimus, Deus ex bonitate & liberalitate sua, qua distrahi quasi cupit ac se omnibus ad felicitatem impartiri, ab æterno decreuit creare hominem ad suam imaginem & similitudinem: sed quoniam præuidit illum ruiturum in scædam seruitutem, liberatorem ex eadem gratia & bonitate sua præordinauit, ut se ita nobis impartiretur & nos laudaremus gratiam eius, ac gratias ageremus bonitati eius. Ita uero quod peccauimus homines, & in nostram conuertimus perniciem, dominus rursus conuertit in bonum & ad salutem nostram.

Sicut

Sicuti quondam etiam in rebus Iosephi & fratrum eius, quæ harum rerum typus quidam sunt, fecisse legitur dominus. Et nos omnino hoc negorium disputando totum huc conuertere debemus, ut soli deo omnis cedat gloria, nobis aliud nihil quam confusio faciei.

Restant ultimo adhuc aliquot scripturarum loci perstringendo explicandi. Dixit sanè apostolus Paulus, Tradidit eos in reprobum sensum. Sed illud tradere, quod & Augustinus dicit, iudicij & iustitiæ opus est. Digni enim erant qui traderentur in sensum reprobū. *Quomodo deus tradit in sensum reprobum.* Causa præcessit in uerbis apostoli. Nam deus se illis manifestauit: illi uero non tantum ingrati fuerunt deo, sed suæ potius sapientiæ innitentes, cultum nescio quem, deo uoluerunt obtrudere: ergo ut experirentur se stultos & impios esse, tradidit eos deus in cupiditates fœdas. Ita noluit audire dominum Amazias rex, quia dominus statuerat eius punire flagitia: sicut legitur 4. Reg. cap. 14. & 2. Paralip. 25. cap. Ita miscuit dominus pseudopropheticum spiritum erroris, & seduxerunt Aegyptum. Isaia 19. Ita exiit spiritus seductor, uel eadēmon à domino iudicij, & fuit spiritus mendax in ore omnium prophetarum. 3. Reg. ultimo, Facit autem ista omnia dominus a quo & sancto iudicio. Idem Occæcare dicitur quoties lucem ueritatis contemptam reuocat uel aufert, & tenebris gaudentes, in tenebris perplexos hærare sinit. Tunc enim ingratis & prophanis uerbum suum ad iudicium annunciare permittit. Sic sanè docet nos sentire euangelica & apostolica doctrina, Hæc ait dominus est condemnatio, uel hoc est iudicium, quod filius dei ipsa lux uera uenit in mundum, & mundus plus dilexit tenebras quam lucem. Et apostolus Christi Paulus, Si adhuc uelatum est euangelium nostrum, ait, in his qui pereunt uelatum est: in quibus deus huius sæculi excæcauit sensus incredulorum, &c. Iuxta eandem rationem indurare dicitur deus. Cum enim uocat hominem dominus, & is reluctatur & indignum se facit regno cœlorū, permittit ipsum sibi ipsi: id quod aliud non est quam suæ naturæ corruptæ hominem relinquere, iuxta quam homini est cor saxeum, quod sola dei gratia molle uel tractabile redditur: ergo subtractio gratiæ, induratio est: & cum nobis ipsis relinquimur, induramur. Pharaon rex Aegyptii infanticidio nequissimo, tyrannide & alijs peccatis multis, contra legem naturæ commisit, offenderat oculos diuinæ & iustissimæ maiestatis: nihil ergo mirum quod indurauit cor eius. Porro si quis hanc interpretationem non recipit, negare tamen non potest deum in scripturis nostris uis loquutionibus. Nobis autem in usu est dicere, Hic pater filium indulgentia sua corrumpit & indurat (*macht in halßstarrck*), Patet

Tob 1. cap.

Excæcare.

Indurare.

autem non ideo indulget ut perdat, sed ut seruet: filius reuera abusu
 indulgentiæ paternæ se perdit & indurat. Iccirco propria sua non
 paris culpa induratur filius, qui tamen dicitur indurari à patre. Et
 reuera si diligenter inspicias historiam Pharaonis in Exodo, inue-
 nies non semel repeti hanc sententiam, Et indurauit deus cor Pha-
 raonis, cum præcessit beneficium aliquod & liberatio à malo. Quasi
 dicat scriptura, Hoc beneficio liberatiōis à malo indurauit deus cor
 Pharaonis, dum hic abuteretur dei bonitate, arbitrareturq; iam om-
 nia fore extra periculum tuta, quod deus præfens supplicium sustu-
 lisset, ac iam beneficeret. Interim facior & ante beneficia, ante pœ-
 nas illatas, imò mox ab initio uocationis Moſis, dixisse dominum,
 Ego scio quod rex Aegypti non sinet uos abire. Item, Vide tu ut co-
 ram Pharaone facias omnia signa & prodigia quæ posui in manu
 tua: ego uero indurabo cor Pharaonis, ut non dimittat populum.
 Cæterum hæc non dicuntur in hunc finem, ut faciamus deum au-
 thorem omnis perinaciæ, perfidiæ & rebellionis Pharaonicæ: sed
 magis ad consolationem & confirmationem Moſis, qui sic præmo-
 netur, ut cum sedulo agit cum rege, nec tamen quicquam impetrat,
 nihilo minus sciat se agere dei negotium, deumq; sua longanimi-
 tate in causa esse pertinaciæ illius, interim tamè omnia recte ad glo-
 riam suam temperaturum. Perinde ac si paterfamiliās ableges seruū
 nihil ab illis accepturum. Ego enim mea lenitate benignitateq; dif-
 ficiles reddam. Tu uero factuum officiū: ego interim uidebo quid
 facto opus sit. His accedit quod in illis ipsis capitibus, in quibus to-
 ties repetitur, Indurauit deus cor Pharaonis, subinde & hoc repeti-
 tur, quod indurationis culpam regerit in ipsum Pharaonem, Indu-
 ruit cor Pharaonis & non audiuit eos, In cap. 9. probe castigatus
 Pharaon dicit, Peccaui etiam nunc, Dominus iustus est, ego uero &
 populus meus iniusti uel impij. Et mox, Vidēs autem Pharaon quod
 pluuia cessasset, perrexit peccare & aggrauauit cor suum, & indura-
 tum est nimis. Hæc autem & similia conferenda sunt cum hisce uer-
 bis, Ego induraui cor Pharaonis, colligendusq; pius sensus, qui deū
 iustissimum non authorem mali faciat. Iam uero clare satis dicit A-
 mos cap. 3. Non est malum in ciuitate quod dominus non faciat.
 Verum Augustinus cōtra Adimantum cap. 26. orthodoxe scriptum
 reliquit, Malum hoc loco, non peccatum, sed pœna intelligenda est.
 Dupliciter enim appellatur malum, Vnum quod homo facit: alte-
 rum quod patitur, pœna. De pœna autem loquitur propheta. Diui-
 na enim prouidentia cuncta moderante & gubernante, ira homo
 malum

Indurauit
 deus cor
 Pharaonis

Malū quo
 modo fa-
 ciat deus.

malum facit, quod uult, ut male pariatur quod non uult. Ita ergo deus malum facit, quod non ipsi deo malum est, sed eis in quos uindicat. Itaque ipse quantum ad se pertinet, bonum facit: quia omne iustum bonum est: & iusta est illa uindicta. Non aliter intelligendum est malum & in his Isaia uerbis cap. 45. Ego dominus, & nullus ultra, formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem & creans malum: ego dominus faciens omnia ista. Nam malum, id est, bellum opponit paci. Rursus S. Augustinus de Natura boni contra Manichæos cap. 23. Cum audimus, inquit, omnia ex ipso & per ipsum & in ipso, omnes utiq; naturas intelligere debemus, quæ naturaliter sunt. Neque enim ex ipso sunt peccata, quæ naturam non seruant, sed uitiunt: quæ peccata ex uoluntate esse peccantium, multis modis sancta scriptura testatur. Hæc ille. Nec difficile est respondere ad illam Solomonis sententiam, Omnia propter se condidit dominus, impium quoque ad diem malum, Prou. 16. Credimus enim deum iustissimum, certum diem afflictionis iudicij uel supplicij designasse impijs, in quem suo tempore impingent. Quod uero apostolus dicit, Miseretur cuius uult, & quem uult indurat, non huc detorquebimus, quod quenquam necessitate adigat ad peccandum deus, & ita fiat peccati causa. Voluntas enim dei bona est & iusta, nec uult aliud quàm quod conueniens est, minimeq; pugnat cum natura & uerbo dei. Ideo enim propheta clamauit, Iustus dominus in omnibus uijs suis, & sanctus in omnibus opibus suis. Psal. 145. Ista uero paucula ex multis de causa peccati hactenus C. V. expendenda proposuimus.

Omnia ex ipso & per ipsum & in ipso.

Descendimus iam ad illustrandas primas in descriptione peccati, mox ab huius Sermonis initio propositas partes. Sunt autem duæ. Prior, Peccatum est corruptio natua hominis. Posterior, Et quæ ex ipsa existit actio repugnans legi dei. Certe alij non inconsulti genera uel species uel discrimina peccati ponentes dicunt, Peccatum aliud est Originale, aliud uero Actuale. De singulis, quod dederit dominus, ordine dicemus, & primum de natua illa hominis corruptione, hoc est, de Peccato originali. Appellatur autem originale uel originis peccatum, quod à prima uenit origine, nempe à primo parente in omnes deriuatum propagine uel traduce. Hoc etenim ex utero materno in nostra natura nobiscum adferimus in hanc uitam.

Discrimina peccati.

De Originale peccato.

Huius peccati uariæ ponuntur definitiones, quæ tamen ut inter se non dissentiant, sic alia clarior & plenior est altera. Alij, Peccatum originale, est corruptio, inquit, naturæ à prima perfectione. Alij, Est naturæ hominis corruptio, quæ efficit ne uere obediamus legi

Quid peccati originis.

DE PECCATO.

dei, nec sumus sine peccato. Alij defectum uocant: alij concupiscen-
tiam: quæ tamen uideri poterat fructus esse originalis peccati, id est,
corruptionis nostræ. Alij appellant appetituum inordinationem,
quæ reliqua est in natura. Anshelmus scriptor neotericus, Origina-
le peccatum est carentia, inquit, originalis iustitiæ. Verum hoc satis
accise dixisse putatur. Vis enim peccati non uiderur satis exprimi.
Nam natura nostra non tantum inops & uacua est boni, sed om-
nium malorum fertilissima. Melior ergo habetur Hugonis illa, Ori-
ginale peccatum est ignorantia in mente, & concupiscentia in car-
ne. At multo melior pleniorq; hæc esse uiderur, Originale pecca-
tum est uitium & deprauatio totius hominis, quo deum & eius pla-
cita, nec nosse, nec animo persequi potest, sed ex peruerso de rebus
iudicio, perperam agit perueritq; omnia. Cum his autem finitioni-
bus omnibus etiam hanc C. V. considerandam proponimus, Ori-
ginale peccatum est hæreditaria naturæ nostræ prauitas atque corru-
ptio, quæ primum nos facit reos iræ diuinæ, deinde opera in nobis
proferi, quæ scriptura carnis appellat. Peccatum ergo hoc originis
nec dictum nec factum nec cogitatum quidem est, sed moribus siue
uitium, deprauatio, inquam, iudicij & concupiscentiæ, uel corru-
ptio totius humanæ naturæ, id est, intellectus & uoluntatis om-
niumq; uitium humanarum, unde demum cuncta prave cogitata
dicta & facta proueniunt.

*Origo pec-
cati origi-
nalis.*

Originem trahit ex protoplasto, ideo enim dicitur hæreditaria
naturæ nostræ prauitas atq; corruptio. De protoplasti corruptione
& peccato, ex quo nascimur omnes peccatores, abunde satis dictum
est in causa peccati, sed & paulo post sequentur pauca quædã, ut
non sit hic necesse quicq; repetere: ad alia ergo conuertimur.

Pelagiani.

Pelagiani negarunt hoc malum esse hæreditariũ. Nam ipsius Pe-
lagij uerba hæc sunt, Vt sine uirtute, ita sine uitio procreamur. Atque
ante actionẽ propriæ uoluntatis, id solum in homine est, quod deus
cõdidit. Testis hic quidem, at Celestinus Pelagij consors, apertius
uirus hoc euomuit, ac dixit, In remissionem autem peccatorũ bap-
tismos infantes non ideo diximus, ut peccatũ ex traduce firmare ui-
deamur, quod longe à catholico sensu alienũ est. Quia peccatũ non
cum homine nascitur, quod postmodum exercetur ab homine: quia
nõ naturæ delictũ, sed uoluntatis esse demonstratur. Rursus Pelagius
dixit, non tantũ primo homini, sed etiã humano generi primum il-
lud obsuisse peccatũ: uerum mox adiicit, Non propagine, sed exem-
plo, id est, non quod ex illo aliquod traxerint uitium, qui ex illo pro-
pagati sunt, sed quod eum primum peccantem imitati sunt omnes,
qui

qui postmodū peccauerunt. Hæc extant apud Aurel. August. de peccato originali contra Pelagium & Celestinum lib. 2. cap. 6. 13. & 15.

Demonstrandum ergo nobis ex sanctarum scripturarum testimonijs, esse in homine hæreditarium malum, & nasci nobiscū originis peccatum, id est, omnes homines peccatores in mundū nasci. Clamat ergo diseris uerbis Dauid Psal. 51. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Siue ut habet alia ex Hebræo uersio, Ecce in iniquitate formatus sum, & in peccato fuit uel calefecit me mater mea. Id est, tum protinus adhærescebat mihi peccatum & iniquitas, cum conciperer & alerer in utero materno. Id quod proculdubio non erat ex uitio matrimonij. Sanctū enim & impollutum est cubile coniugum: sed ex traduce & propagatione. Nam Iob in cap. 14. clare dicit, Quis dabit aut proferet purum uel mundum ex immunda (nimirum massa) ne unus quidem, haud dubie, proferri poterit. Eius generis sequuntur & alia quædam in Iobi cap. 15. & 25. Clarissime uero Sanctus Christi apostolus Paulus ad Romanos 5. Quemadmodum, ait, per unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, & sic in omnes homines mors peruasit, quatenus omnes peccauerunt. Usq; ad legem enim peccatū erat in mundo: porro peccatum non imputatur cum non est lex. Imò regnauit mors ab Adam usq; ad Mosen in eos quoq; qui non peccauerant ad similitudinem transgressionis Adam, &c. An nō hisce uerbis propagationē peccati clarissime ostendit apostolus, dicens, Per unum hominē intrauit peccatum in mundum. In omnes homines mors peruasit, quatenus scilicet omnes peccauerunt, nimirum quatenus omnes obnoxij sunt corruptioni. Imò ne ulli uel ante Mosen, uel post Mosen exciperentur homines, subiungit, Regnauit mors ab Adam usq; ad Mosen, in eos quoq; qui non peccauerant ad similitudinem transgressionis Adam, id est, qui nondum sua & propria quidē uoluntate, sicut ille, peccauerant, sed ab ipso originis peccatum traxerant. S. Augustinus hæc plenius explicuit & tractat libro de peccatorū meritis & remissione primo, cap. 9. 10. 11. & sequentibus. Rursus uero Paulus in 7. ad Rom. cap. hoc malum, inhabitans appellat peccatum, nimirum congenitiū. Addit enim, Ego carnalis sum, uenditus sub peccatum. Et, Noui quod nō habiter in me, id est, in carne mea, bonum. Ideoq; & beatus apostolus & euangelista Ioannes, Si dixerimus, inquit, peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & ueritas in nobis non est. Significanter autem dixit habemus, nō habuimus aut habebimus. Nam id ex natura corrupta proprium habemus. Proinde constat iam falsum esse

Esse in homine & natura
sci cum ipsa
malum hæ
reditariū.

Voluntarium esse peccatum.

quod Pelagiani finxerūt, nos procreari sine uitio: falsum est; uoluntariam duntaxat actionem non etiam corruptionem & deprauationem quæ nondum prorupit in opus prauum, esse peccatum. Et Augustinus alicubi originale uocat & ipsum uoluntarium peccatum, idēq; ratione duplici, Principio non per se quidem, sed respectu Adæ, quia ex primi hominis mala uoluntate factum, à nobis hæreditarium contrahitur. Deinde quod cupiditas praua nuncupari possit uoluntas. Nam libro Retract. 1. cap. 15. Si quisquam dicat, inquit, etiam ipsam cupiditatem nihil esse aliud, quàm uoluntatem, sed uerosam tamen peccatorū seruientem, non resistendum est: nec de uerbis, cum res constet, controuersia facienda. Sic enim ostenditur sine uoluntate nullum esse peccatum, siue in opere, siue in origine. Hæc ille, qui nonnulla huius generis affert etiam in 3. lib. contra Iulianū Pelagianum cap. 5. Nobis satis fuerit etiam sine illis, ex scripturarū testimonijs didicisse, peccatum esse non tantū actionem uoluntariā, sed etiam corruptionem hæreditariam.

Filius non portabit iniquitatem patris.

His omnibus nihil repugnat quod in Ezechiele dominus dicit, Filius non portabit iniquitatem patris, sed quisq; in suo peccato morietur. Non enim noceret nobis lapsus Adæ, si non ex ipso omnibus nobis ea in nasceretur peruersitas, quæ digna est dei iudicio. At uero cum omnis propensio, omne ingenium & studium naturæ nostræ etiam in puero unius diei, pugnet cum diuina puritate et uoluntate, quæ sola bona est, profecto nemo propter patris, sed quisq; propter suum proprium punitur peccatum, inuaduntq; pueros omnes calamitates, quos his corripit uidemus sancto & iusto dei iudicio.

A sanctis nasci parentibus.

Nihilo firmitus est quod obijcitur, liberos à sanctis parentibus nō posse ullam contrahere corruptionem. Nam descendunt ex generatione carnali, non ex regeneratione spiritali. Et quod apostolus dixit, Sanctificatus est uir infidelis in uxore, & sanctificata est uxor in uiro: alioqui liberi uestri immundi essent, nunc autem sancti sunt; his nostris non repugnat. Sancti enim appellantur non generis aut natiuitatis prærogatiua, quasi sic sine uitio nascatur pueri: sed quod natura quidem corrupti geniti, fœderis & gratiæ uirtute puri sint, & impuritas eis non imputetur, propter Christum uel promissionem, quæ sic pronuntiata est, Ero deus tuus & seminis tui post te. Quoniam enim & isti liberi qui ex semine Abrahamæ erant, sancti & benedicti erant, qui tamen nihilo minus circumcidebantur. At quid opus erat circumcisione seu purgatione, si nihil erat ex natiuitate impuritatis?

Falsissimum.

Falſſimum itaq; eſt illud quoq; quod Celeftium Pelagianum dixe-
 riſſe audiuiſus. In remiſſionem peccatorum baptiſandos infantes
 non ideo diximus, ut peccatum ex traduce firmare uideamur: quod
 longe à catholico ſenſu alienū eſt. Nam catholicum illud eſt, quod
 circumciſi ſunt liberi ludæorum, non tam quod cœderis erant con-
 ſortes, quàm quod omnis uetuſtas ſanctorum patrum ſic conſiteba-
 tur in infantibus eſſe aliquid quod putatione opus haberet, hoc eſt
 quod gratia dei remitteret, nec imputaret ad mortem. Catholicum
 illud eſt, quod baptiſantur infantes Chriſtianorum, non tam quod
 dei ſunt, gratuito in fœdus dei recepti, quàm quod in eis eſt ex nati-
 uitate quod gratia ſua abluit dominus, ne inferat mortem. Imo, non
 poteſt eſſe catholicum, quod pugnat tam aperte cum tot illuſtribus
 ſcripturæ testimonijs, approbãibus in infantibus ex propagatione
 eſſe peccatum. His accedit quod beatus Auguſtinus libro contra Iu-
 lianum Pelagianum primo, cap. 2. præſtantiſſimorum in eccleſia
 epiſcoporum doctõrumq; testimonia congerit, quibus oſtendit om-
 nes eccleſiarum miniſtros, ab apoſtolorum temporibus, agnouiſſe
 & palam docuiſſe peccatum originale. Profert autem testimonia
 Irenæi, Cypriani, Retiij, Olympij, Hilarij, Ambroſij patris & præ-
 ceptoris ſui in Chriſto, Innocentiij, Gregorij, Baſilij, Ioannis Chry-
 ſoſtomi. Tandem, An tantam conſenſionem, inquit, ſacerdotum ca-
 tholicorum conſpirationem dicturus es perditorum? Nec ſanctum
 Hieronymum, quia præbiter fuit, contemnendum arbitris, qui
 Græco & Latino, inſuper & Hebræo eruditus eloquio, ex occiden-
 tali in orientalem tranſiens eccleſiam, in locis ſanctis atq; in literis
 ſacris, uſq; ad decrepitam uixit ætatem. Hic omnes uel penè omnes,
 qui ante illum ex utraq; parte orbis de doctrina eccleſiaſtica ſcripſe-
 rant, legit: nec aliam de hac re tenuit prompſiq; ſententiam. Et ite-
 rum idem libro de peccatorum meritis & remiſſione tertio, cap. 7.
 ſic ſcriptum reliquit, Hieronymus cum Ionam exponens ad eum
 ueniſſet locum, ubi commemorantur etiam paruuli ieiunio caſti-
 gati, Maior, inquit, ætas incipit & uſq; ad minorem peruenit. Nul-
 lius enim abſq; peccato, nec ſi unius quidem diei fuerit uita eius, &
 innumerabiles anni uitæ eius. Si enim ſtellæ mundæ non ſunt in
 conſpectu dei, quanto magis uermis & puredo, & hi qui peccato
 offendenti Adam tenentur obnoxij? His addit Auguſtinus, Hunc
 doctiſſimum uirum ſi facile interrogare poſſemus, quàm multos
 utriuſq; linguæ diuinarum literarum tractatores, & Chriſtianarum
 diſputationum ſcriptores commemoraret, qui non aliud ex quo
 Chriſti eccleſia eſt conſtituta, ſenſerunt, non aliud à maioribus acce-

Catholicū
 dogma de
 peccato
 originali.

Omnes an-
 tiqui docto-
 res cõſiten-
 tur peccat-
 um origi-
 nale.

DE PECCATO.

perant, non aliud posteris tradiderunt. Ego quidem quamuis lōge pauciora legerim, non memini me aliud audisse à Christianis, qui utruq; accipiant testamentum, non solum in catholica ecclesia, uerum etiam in qualibet hæresi uel schismate constitutus, non memini me aliud legisse apud eos, quos de his rebus aliquid scribentes legere potui, qui scripturas canonicas sequerentur, uel sequi se crederent, crediue uoluissent, Hæc August. docens mox ab initio concordie doctrinæ genere omnes sanctos originale peccatum in infantibus distentissime confessos esse. Mihi uidetur S. Hieronymus nō in Ionam duntaxat, sed in Ezechielem lōge apertius asseuerasse originale peccatum. Verba eius habentur in Coment. lib. 14. in cap. 47. ad Ezechielem, ac sunt huiusmodi, Quis hominum gloriari potest castum se habere cor: uel ad cuius mentem per oculorum fenestras, mors concupiscentiæ non introibit, & (ut parum dicam) animi titillatio? Mundus enim in maligno positus est: & à pueritia appositum est cor hominis ad malum: ut ne unius quidem diei à natiuitatis suæ exordio sine peccato sit humana conditio. Vnde & David confitetur in Psalmo, Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Non in iniquitatibus matris meæ, uel certe meis, sed in iniquitatibus humanæ conditionis, Vnde & apostolus dicit, Regnauit mors ab Adam usq; ad Mosen, etiam super eos qui non peccauerunt, in similitudinem præuagationis Adæ. Tantum ille: & nos hæc omnia hæcenus protulimus ut astrueremus peccatum originale esse corruptionem naturæ humanæ naturam uel hæreditariam.

Qualis & quanta de prauatio naturæ. Videamus porrò qualis & quanta sit ista naturæ nostræ hæreditaria prauitas atq; corruptio, et quid efficiat in homine. Natura quidem nostra sicuti prius ostendimus optima & præstantissima fuit in patre nostro ante lapsum, sed post lapsum facta est iusto dei iudicio pessima & corruptissima, quæ & talis in nos omnes propagata est. Id quod res ipsa & experientia cum in infantibus seu paruulis, tum etiam in adultis liquido claret. Nam specimina quædum paruuli luculentæ deprauationis mox atq; aliquid agere etiam antequam loqui perfecte cœperint. Intellectus est nobis omnib. hebes, obtusus, crassus, adeoq; cæcus planè in rebus diuinis. Iudicium in rebus cœlestibus habemus peruersissimum. Horribiles enim & absurdissimæ cogitationes & opiniones exoriuntur in nobis ipsis de deo & iudicijs omnibusq; operibus dei. Quid quod totus animus noster propendet & procliuis est ad errores, ad fabulas & ad nostram perniciem: cumq; iudicamus ineptissime, nostra tamen iudicia longe antefere-

mus

nis diuinis, quæ nobis præ humanis illis nostris stulta admodum
 uidentur. Neq; enim mentitus est, qui dixit, Animalis homo nõ ac-
 cipit ea quæ sunt spiritus dei: stultitia siquidem illi sunt, nec potest
 cognoscere quod spiritaliter dijudicantur. Appellauit autem Pau-
 lus animale hominem, uitali anima uiuentem naturaliter, nõ dũ
 renaum. Tales uero cum adhuc sumus, toti certe regimur à phi-
 lautia. Est ea amor & studium sui nimium, quo nobis omnia no-
 stra eximie placent, nostrisq; commodis impense studemus, omni-
 bus alijs interim uel neglectis, uel etiam afflictis. Nec temerè Plato
 id uirij malorum omnium fontem existimauit. Præterea uoluntas
 tota nostra captiua ducitur à concupiscencia, quæ ueluti radix imbu-
 ta ueneno, omnia hominis inficit, hominemq; inclinat, trahit & im-
 pellit ad carnalia & uerita deoq; contraria, ut ipsa persequatur cupi-
 de, in eis omnem quærat delectationem ac conquiescat. Iam & fa-
 cultates ad bonum sunt nobis nullæ. Segnes enim ignaui & torpio-
 di sumus ad omne bonum, prompti uero & alacres ad res pessimas
 quasq;. Et ut semel finiam, breuibusq; totam uim prauitatis corru-
 ptionisq; nostræ hæreditariæ exprimam, deprauatio illa naturæ no-
 stræ aliud non est quàm imaginis dei in nobis expunctio. Imago *Depraua-*
 dei erat ante lapsum in patre nostro Adamo, quæ fuit, iuxta interpre- *tio nostra,*
 tationem apostolicam, conformitas & participatio diuinæ sapien- *est imagi-*
 tiæ, iustitiæ, sanctitatis, ueritatis, integritatis & innocentia, adde & *nis dei obli-*
 immortalitatis felicitatisq; æternæ. Ergo quid aliud obliteratio aut *teratio,*
 expunctio huius imaginis esse potest, quàm peccatum originis,
 uidelicet odium dei, ignorantia dei, stultitia, diffidentia, desperatio,
 inuidia, iniustitia, immunditia, mendacium, hypocrisis, uanitas, cor-
 ruptio, iniuria, & consccleratio, adde & mortalitas infelicitasq; æter-
 na. Hæc imago & similitudo propagata est in nos omnes, iuxta
 quod legimus s. cap. Geneseos, Adam genuit in similitudine et ima-
 gine sua filium, Proinde qualis erat corruptus, deprauatus & cala-
 miosissimus Adam pater noster, tales nos genuit filios: sic ut om-
 nes nos qui ab impuro semine descendimus, peccati contagione na-
 scamur infecti. A radice enim putrefacta, rami puridi prodeunt,
 qui suam putredinem transmittunt in alios ex se nascentes sur-
 culos.

Et hoc quidem malum, hæc corruptio, hoc peccatum, quamuis *Originale*
 in infantibus lateat, nõdum per ætatem teneram erumpat in opus, *peccatum*
 proprie tamen peccatum, & huiusmodi quidem peccatum est, quod *dannat.*
 eos agit reos iræ diuinæ, separatq; à consortio dei. Cum deo enim
 sanctissimo & igne consumente nemo nisi immaculatus & pu-

rissimus habitare potest. Et Paulus, Omnes, inquit, peccauerunt, & destituuntur, siue egēt gloria dei. Gloria hæc dei, ipsa est imago dei: hac quia destituuntur originali peccato deprauati, repelluntur merito à consortio dei. Huc pertinet præterea tota illa disputatio quam habuimus Sermone 4. decadis 3. de concupiscentia: ubi docui ipsam concupiscentiam non solum in opus productam, peccatum & huiusmodi peccatum esse, quod omnes homines maledictioni subdat diuinæ. Scriptum est enim, Maledictus omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis huius. Proinde hic est primarius effectus peccati originalis, quod iram mortem atq; condemnationem inducit infanibus adeoq; & omnibus hominibus. Id quod, ne quid dubij in cuiusquā animo resideat, copiosioribus scripturarum testimonijs demonstrabo, ijs non repetitis iterum quæ superius in hoc sermone, & in quarto sermone decadis tertie adduximus.

Dominus in euangelio dicit ad Nicodemum, Amē dico tibi, nisi quis natus fuerit è supernis, non potest uidere regnum dei. Et iterum, Amen dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum dei. Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Duo in his uerbis proponuntur memoranda & instituto nostro ualde congruentia. Prius, Non ingreditur in regnum cælorum, nisi renatus è celo, per spiritum sanctum: ergo prima natiuitas ad mortem, nihil ad uitam facit. Prima enim natiuitate nascimur ad mortem. Posterius, Caro est quod ex carne gignitur: ergo prima natiuitate nostra oēs caro nascimur. De Carnis uero ingenio & uiribus eius apostolus, Affectus carnis, inquit, inimicitia est aduersus deum. Nam legi dei non subditur: imò ne potest quidem. Proinde carnalis illa natiuitas generat nos non amicos & filios, sed hostes dei: itaq; & reos iræ dei.

Paulus ad Ephes. 2. cap. Erasmus, inquit, natura filij iræ, sicut & ceteri. Quibus uerbis pronunciat uniuersos esse perditos. Nam perditos siue morte æterna dignos, & omnino tales quibus merito irascatur deus, appellat filios iræ idionismo Hebraico. Significat enim ira dei iudicium & supplicium quod infertur hominibus iusto dei iudicio. Et filius mortis dicitur, qui morti adiudicatus seu destinatus est. Sic filius perditionis, &c. Obserua autem quod nos omnes nimirum, ab ipsa natiuitate ex utero matris, Quod autem naturaliter inest omnibus, id certè originale est: ergo originale peccatum efficit nos reos iræ diuinæ, id est propter originale deprauationem omnes

omnes sumus dānatiōni obnoxij. Hic locus Pauli in hac caussa ualde est insignis.

Idem apostolus ad Coloss. primo capite, Deus, inquit, eripuit nos à potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij sibi dilecti. Quod si translati sumus in regnum filij dei, fuimus ergo in regno diaboli. Huc iam pertinent multiplicia eiusdem apostoli testimonia in 5. cap. ad Romanos, Vnius, inquit, delicto multi mortui sunt. Item, Per unum qui peccauerat, uenit mors. Venit enim iudicium ex uno ad condemnationem. Rursus, Per unius delictum propagatū est malum in omnes homines ad condemnationem. Breuiter, Originale peccatum à Dauide & Paulo appellatur diserte peccatū, ergo debetur originali peccato mors. Quia stipendium peccati mors est.

Concludimus ergo infantes damnationē in hanc lucem secum *Originale* ex utero adferre materno: quia corruptam secum afferunt naturam: *peccatum* ideoq; non alieno sed suo pereunt uitio. Tamen si enim Augustinus *proprium.* alicubi hoc peccatum uideatur appellare alienum (quo clarius ostendat propagine in nos deriuari) confitetur tamen idem unicuiq; nostrum uere & maxime esse proprium. Et quamuis hic morbus suae iniquitatis fructus nondum protulerit, est tamen tota ipsa natura corruptio foeda, & semen quoddam peccatorum siue scelerum, quae non potest non deo esse odibilis. Odit enim omnē impuritatem dñs.

His nihil repugnat quod Paulus ait, Vbi nō est lex, ibi nec transgressio. Etenim non absolute negat apostolus praeruaricationem aut peccatum, quod reuera coram oculis dei peccatum est, peccatum nō esse: sed spectat hominū reputationē. Homines enim priusquam per legem ipsis apareat aut apricetur peccatum, non reputant uel aestimant peccatum, ut reuera aestimandū erat. Paulus idem ille alibi dicit, Peccatum quondā sine lege erat mortuum. Et ego quondā sine lege uiuebam. Vbi uero uenit lex, peccatū reuixit. Quod si iam reuixit, ergo & ante legem, priusquā per legem excitaretur, uixit, licet tunc non ita ut nunc uires suas exereret. Huc pertinet illud apostoli, Vsq; ad legem peccatum erat in mundo: porro peccatum non imputatur cum non est lex. Ecce peccatum erat in mūdo ante legē, sed nō imputabatur: non quod deus non imputaret, sed homines sibi non imputant. Latet in cinere ignis, qui reuera ignis est, quoniā uero nullas de se flāmas spargit, non putatur esse ignis. Ea de caussa uir doctissimus piissimuscq; H. Zuinglius beatæ memoriæ diligēter distinguit in ter morbū & peccatū, cum aliquando disereret de peccato originali, quod quidē morbum maluit q̄ peccatum appellare: nimirū *H. Zuinglius de Originali peccato.*

DE PECCATO.

quod per peccatū omnes intelligūt actionē prauam nostra propria admissam uoluntate contra legē latam: per morbū uero naturæ bene conditæ corruptionē quandam & deprauationem, sed & conditionem seruitutis miserrimā. Sicut & Augustinū modo audiuimus, hoc peccatum appellare alienū, ut ita innueret esse hæreditarium: & tamē non negabat esse propriū. Ita Zuinglius non negauit peccatū originale: sicut quidam falso de eo sparserunt: non sensit illud per se infantibus esse innocuū: nisi quatenus gratia dei per sanguinē Iesu Christi redditur uirtute promissionis & fœderis dei innoxii. Inter actuale & originale exacte uoluit discernere. Nam in ratione fidei suæ reddita in comitijs Augustanis anno domini 1530. celebratis, Originale peccatum, inquit, per conditionē & contagionem agnati sci omnibus, qui ex affectu maris & fœminæ gignuntur, agnosco: & nos esse natura filios iræ scio. Nec quicquid moror hunc morbū & conditionem, iuxta Pauli morem, appellari peccatū: imò tale esse peccatum, ut quicūq; in eo nascuntur, hostes & aduersarij dei sint. Huc enim trahit illos natiuitatis conditio, non sceleris perpetratio, nisi quantū hoc semel perpetrari primus parens. Vera igitur perduellionis & mortis causa est perpetratiū ab Adam crimen ac nephas: atq; hoc uere est peccatū: at peccatū istud, quod nobis adhærescit, & uere morbus & conditio, imò necessitas est moriendi, Et quæ sequuntur. Hactenus enim illius uerba recensui.

*Originale
peccatum
profert ope
ra carnis.*

Restat alter peccati originalis effectus breuiter explicandus. Profert in nobis egeritq; opera quæ scriptura carnis appellat: non secus atq; incensa fornax flāmas & scintillas efflat, aut scaurigo aquā perenniter profundit. Nulla hic quies. Auaritia enim exurgit cum libidine, adhærescit ambitio, subit ira, inflat superbia, uinolentia inuiat, uexat & temetipsum & alios inuidia. Dominus ergo in euangelio, Ex corde, inquit, exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuitia. Rursus Paulus ad Galatas cap. 5. opera carnis non breui catalogo enumerat: quemadmodū & ad Rom. 1. & 3. cap. In 4. cap. epistolæ ad Ephes. graphice describit opera illa carnis, quæ enascuntur ex corruptione natiua in omnibus nondum regeneratis per spiritum sanctū. Hoc dico & testor per dominū, ait, ne posthac ambuletis quemadmodū & reliquæ gentes ambulant in uanitate mentis suæ, dum mentē habent obtenebratam, abalienatā a uita dei, propter ignorantiam quæ est in illis, & excecationē cordis eorū, qui posteaq; dolere desierint, semetipsos dederunt lasciuix ad parandā immundiciē omnē cum auiditate. Sufficiunt hæc licet breuiuscula sint. Copiosiora enim sequētur in tractatiōe peccati actiua-
lis: ad

lis: ad quod explicandū transibimus, si illud prius admonuerimus, non sine causa graui me hactenus uerbose satis causam originalis peccati, hoc est, humanæ deprauationis humanarumq; uirium corruptionis tractauisse.

Sicut enim in his aperiuntur uenæ purioris doctrinæ, ita in ijs & fundamenta fidei nostræ collocantur. Si enim non est originale peccatū, nec gratia est: & si sit, nihil tamen habebit quod operetur in nobis. Si integræ sunt uires nostræ, nullo certe medico nobis opus erit. Frustra ergo missus dei filius, uenit. Suis ergo uiribus saluabuntur homines. Sicut autē dirūtū dissoluetur fidei nostræ fundamentum. Icirco uehementissimus est in hac causa beatus Augusti, cuius aurea certe uerba non graua bor C. V. recitare ex 2. lib. de Originali peccato contra Pelagium & Celestium ex cap. 23. & 24. Sic scriptum reliquit, Longe aliter se habent quæstiones istæ, quas esse præter fidē arbitrat, quæ sunt illæ in quibus salua fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur quid uerū sit, et sententia definitiua suspenditur, aut aliter quæ est humana & infirma suspiciōe conijcitur: ueluti cum quæritur qualis uel ubi sit paradysus, ubi constituit deus hominē, quem formauit ex puluere, cum tamen esse illū paradysum, fides Christiana non dubitet. Et post aliq̄ similes recitatas quæstiones, Quis, inquit, non sentiat in his & huiusmodi uarijs & innumerabilibus quæstionibus, siue ad obscurissima opera dei, siue ad scripturarum abditissimas latebras pertinentibus, quas certo aliquo genere complecti ac deffuire difficile est, & multa ignorari salua Christiana fide, & alicubi errare sine aliquo hæretici dogmatis crimine. Sed in causa duorum hominū: quorū per unum uenundati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis: per unū præcipitari sumus in mortem, per alterum liberamur ad uitam: quoniam ille nos in se perdidit faciendo uoluntatem suam, non eius à quo factus est, iste nos in se saluos fecit, non faciendo uoluntatem suam, sed eius à quo missus est. In horum ergo duorum hominum causa proprie fides Christiana consistit. Vnus est enim deus & unus mediator dei & hominum homo Christus Iesus. Quoniam non est aliud nomē sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri: et in illo definiuit deus fidem omnibus, suscitans illum à mortuis. Itaque sine ista fide, hoc est, siue si de unius mediatoris dei & hominū hominis Christi Iesu, sine fide inquam resurrectionis eius, quam deus hominibus definiuit, quæ uirgine sine incarnatione eius & morte non potest ueraciter credi: sine fide ergo incarnationis & mortis & resurrectionis Christi nec antiquos iustos, ut iusti essent à peccatis, potuissent mundari, &

In his collocantur fundamenta fidei nostræ.

In causa duorum hominum sine fide Christiana consistit.

DE PECCATO:

*Extra Is-
raelem ali-
qui saluati,
sed non sine
Christo.*

dei gratia iustificari, ueritas Christiana non dubitat: siue in eis iustis, quos sancta scriptura commemorat: siue in eis iustis, quos quidem illa non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt, uel ante diluuium, uel inde usque ad datam legem, uel ipsius legis tempore: non solum in filiis Israel, sicut fuerunt prophetae: sed etiam extra eundem populum, sicut fuit Iob. Et ipsorum enim corda eadem mundabantur fide mediatoris, & diffundebatur in eis charitas per spiritum sanctum, qui ubi uult spirat: non merita sequens, sed etiam ipsa merita faciens. Non enim dei gratia erit ullo modo, nisi gratuita fuerit omnino modo. Quamuis ergo mors regnauerit ab Adam usque ad Moysen, quia non potuit eam uincere, nec lex data per Moysen: non enim data est quae posset uiuificare, sed quae mortuos quibus uiuificandis esset gratia necessaria, non solum peccati propagatione & dominatione prostratos: uerum etiam ipsius legis addita praeruaricatione conuictos, deberet ostendere, non ut periret quisquis hoc in dei misericordia etiam tunc intelligeret, sed ut per regnum mortis ad supplicium destinatus, etiam sibi ipsi per praeruaricationem legis manifestatus, dei quaereret adiutorium, ut ubi abundauit peccatum, superabundaret gratia, quae sola liberat a corpore mortis huius. Quamuis ergo nec lex per Moysen data potuerit a quoquam homine regnum mortis auferre, erant tamen & legis tempore homines dei, non sub lege terrene, conuincente, puniente, sed sub gratia delectante, sanante, liberante: erant qui dicerent, Ego in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea me in utero aluit. Et reliqua, Haec tamen enim S. Augustini uerba recensui.

*De Peccato
actu.*

Dixi de Originali peccato, de natua inquam & haereditaria corruptione naturae nostrae, quae prior est pars finitionis peccati, sequitur iam pars posterior, ipsa scilicet actio quae ex illa existit, Actuale inquam peccatum, quod ab actu nomen habet. Quoniam enim deprauiatio illa agnata & inhaerens nobis, non semper latitat, sed agit & exerit se euidenter, ac tandem sui generis & suae naturae forum progignit, hic sane actuale est peccatum: quod proinde sic definimus, Actuale peccatum est actio uel opus uel factus uitiosus & corruptus nostrae naturae, exprimens se in cogitationibus, dictis & factis contra legem dei, ideoque iram dei promerens.

*Causa huius
peccati.*

Ita uero minime obscura est causa huius peccati, nempe ipsa hominis deprauatio, quae exerit se per concupiscentiam aut affectiones, affectiones inescant uoluntate, uoluntas autem alijs adiuta cooperantibusque hominis facultatibus, perficit actuale peccatum. Et ut clarius, quod dixi, intelligatur, anima nostra duas potissimum partes habet, intel-

Intellectum siue mentem, siue iudicium: & uoluntatem seu appetitum. In mōte sunt naturales leges, ad quas prædicatio uel lectio sunt cognitio uerbi dei accedat oportet. Sicut autē operis boni duæ sunt in homine potissimum causæ, uidelicet integrum iudicium bene informatum uerbo dei, & uoluntas consentiens atq; obediens (requiritur autē in primis spiritus sanctus extrinsecus aut cœlitus accedens qui mentem illuminet & uoluntatem moueat) ita propriissime peccatum actuale perficitur, quando & iudicio seu consulto & nostra uoluntate aliquid fit contra legem dei. Interim accedunt sæpissime extrinsecus aliæ quoq; causæ uisibiles & inuisibiles. Mouēt enim spiritus mali, mouent homines, & quæ sunt in mundo exempla corruptionis infinita, Spes deniq; metus & imbecillitas. August. quæst. in Exodum 29. In uolūtate, inquit, hominis est origo uitiorum: mouētur autem causis corda hominum, alia sic, alia uero sic: etiam nō diuersis causis, sæpe diuerso modo, secundum proprias qualitates, quæ ex uoluntatibus ueniunt. Idem in Psal. 79. Omnia, ait, peccata duæ res faciunt in homine, Cupiditas & Timor. Cogitate, discutate, interrogate corda uestra, perscrutamini conscientias, uidete utrū possint esse peccata, nisi aut cupiendo, aut timendo. Proponitur tibi præmiū ut pecces, id est quod te delectet, facis propter quod cupis. Sed forte non duceres donis, terreris minis, facis propter quod times. Corruptere te uult aliquis ut dicas (uerbi gratia) falsum testimonium, Attendisti tu deum, & dixisti in animo tuo, Quid prodest homini si totum mūdum lucretur, animæ autem suæ detrimentum pariat? Non adducor præmio ut perdam animam meam pro lucro pecuniæ: conuertit ille se ad incutiendum metum, qui præmio corruptere non ualuit, incipit minari damnum, expulsionem, cædes, fortassis & mortem. Ibi iam si cupiditas non ualuit, forte timor ualebit, ut pecces. Idem rursus in libro de Sermone domini in mōte, Tria sunt, inquit, quibus impletur peccatum, Suggestio, Delectatio & Consensus. Suggestio, siue per memoriam fit, siue per corporis sensus: cum aliquid uidemus aut audimus, uel olfacimus, uel gustamus, uel tangimus, Quod si frui delectauerit, delectatio illicita refrenanda est: ueluti cum icinamus & uisus cibus, palati appetitus asurgit, non fit, nisi delectatione: sed huic tamen non consentimus, & eam dominantis rationis iure cohibemus. Si autem consensus facta fuerit, plenum peccatum erit. Tria hæc similia sunt gesta rei, quæ in Genesi scribitur: ut quasi à serpēte fiat suggestio & quædā suasio: in appetitu autem carnali, tanquā in Eua delectatio: in ratione uero tanquam in uiro cōsensus. Quibus peractis tanquam de paradyso,

DE PECCATO.

hoc est de beatissima luce iustitiæ, in mortem homo expellitur. Hæc ille de causa peccati.

Peccatum cum lege dei pugnat Oſeruanda uero in primis in descriptione Peccati actualis ipsa proprietas, siue differentia, qua hæc actio ab alijs actionibus discernitur, proprijsſimaq; nota peccati ostenditur. Hęc ergo actio (sicut et omnia alia peccata) recta tēdit cōtra legē dei. Porro lex dei quę sit, superioribus concionibus multis est expositū. Certe nō est hæc aliud, quā ipsa dei uoluntas. Vult autem deus ut homo suæ, id est diuinę respōdeat imagini, sanctus sit & innocens, & saluus fiat. Hanc suam uoluntatem expressit deus, principio per legem naturæ, deinde per legem scriptam in tabulas lapideas, postremo per prædicationem euangelij. Habent illa omnia unum & eundem finem, ut scilicet homo sit sanctus, innocens, & saluus fiat. Quæcunq; uero cogitationibus, dictis aut factis, contra sanctam illam dei legem fiunt ab hominibus, peccata sunt actualia. Proinde in iudicandis peccatis hominum, unice spectanda est lex dei. Nam quæ cū lege dei non pugnant, peccata non sunt. Nec potestatem habet homo ullus leges condendi, quarum præuaricatione peccatores constituamur. Hęc gloria solius dei est, ad quem Dauid, Tibi soli peccaui, inquit, & malum contra te feci, Nec nostrum est, nostro decernere iudicio, quæ leuia, quæue grauias sint peccata. Quis enim nostrum putaret peccatum esse dicere fratri suo, Fatue? At dominus in euangelio peccatum esse pronunciat: qui in eodem euangelio asserit, nos de uerbo quolibet otioso rationem reddituros in die iudicij. Recte ergo S. Augustinus lib. de Bapt. contra Donatistas 2. cap. 6. In æstimandis peccatis, inquit, non asseramus stateras dolosas, ubi appendamus quod uolumus, et quomodo uolumus, pro arbitrio nostro, dicentes, Hoc graue, hoc leue est: sed asseramus stateram diuinam, de scripturis sanctis, tãquam de thesauris dominicis, & in illa quid sit grauius appendamus, imò non appendamus, sed à domino appensa recognoscamus.

Genera uel species peccatorum. Et quamuis hæc sufficere poterant, quippe quæ sic satis exposuerunt naturam peccati actualis, paulò copiosius tamen considerabimus peccatorum species, uel genera atq; discrimina. Stoici existimauerunt omnia peccata esse paria: quos fortassis Iouinianus (ut hæreticorum patriarchæ dicuntur à Tertulliano esse philosophi) sequutus, idem asseruisse scribitur, id quod extat apud S. Augustinum in catalogo hæreticorum. Scriptura docet deum esse iustum: unde nos protinus colligimus, ergo peccata nō sunt paria. Nam uidemus deum, qui utiq; iudex est iustus, alia peccata alijs punire grauius. In euangelio enim dicit dominus, Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui

qui comeditis domos uiduarum, dum sub prætextu precibus prolixis precamini, propter hoc plus accipietis damnationis. Et iterum, Tolerabilius erit, ait dominus, terræ Sodomorū, in die iudicij, quàm ciuitati quæ repulerit prædicationem euangelij. Similiter Math. 11. dicit dominus, Tyro & Sidoni tolerabilius erit in die iudicij, quàm uobis. Idem dominus Pilato dicit, Qui me tibi tradidit, maius peccatum habet. Item, Seruus qui cognouit uoluntatē domini sui, & non se parauit, nec fecit secundum uoluntatem eius, plagis uapulabit multis: qui autem nō cognouit & fecit digna plagis, uapulabit paucis. Cæterum peccata assurgunt gradibus, & crescunt per circumstantias. Est enim latens adhuc peccatum aliquod, comprehensum in ipsa hominis affectione seu cupiditate. Diximus autem superius affectiones uel cupiditates esse duplices, naturales uidelicet diuinæ legi non repugnantēs: quales sunt amare liberos, parentes & uxorem, item cupiditas cibi, potus & quietis: quamuis nec nequem, nec nesciam, eas aliquoties contaminari originali labe. Sunt rursus carnales affectiones uel cupiditates in hominibus, quæ cum uoluntate dei pugnant. Illæ nutriuntur & crescunt uanis cogitationibus & carnalibus delectationibus accumulatis in sinu tuo. Illæ deinde prorumpunt in peccatum oris, deinceps etiam in peccatū operis. Verbi gratia, Concupiscis uxorem alterius, idē in animi tui peneralibus retines, interim oblectas te cogitationibus uanis, dum uidelicet sub animi tui obtutum reuocas illius formam præstantem, & imaginatione crebra ac uehementi, & delectaris & inardescis. Nec his contentus sollicitas præterea adamatæ pudicitiam, scriptis aut dictis: quam & mox opere, si datur, corrumpis, sed & scelus, semel quidem paratum, reperis, & iam quasi pudore & timore posito, frequenter, Vides in hoc exemplo, quomodo unum atq; idem peccatum suis autibus increseat, & atrociorē subinde pro magnitudine uel enormitate sua pœnam deposcat. Certe dominus in euangelio secundū Mathæum hæc confirmans, Audistis, inquit, quod dictum sit anti- quis, Non occides, Quisquis autem occiderit obnoxius erit iudicio. At ego dico uobis, quod quisquis irascitur fratri suo, obnoxius erit iudicio. Quisquis uero dixerit fratri suo raha, obnoxius erit consilio. Quisquis autem dixerit fatue, obnoxius erit gehennæ incendio. Audis in his domini nostri uerbis primum discrimina peccatorum, ueluti iram, significationem item animi irati uel concitati, item conuicia, quæ ferè exeunt in uerbera. Deinde audis incrementi peccato subinde grauiorem atrociorēq; constitui pœnam. Proinde non ineptum planè discrimen posuerunt in peccato actuali, qui dixerūt

*Peccata
gradibus
assurgunt.*

DE PECCATO.

aliud quidem peccatum cogitationis, aliud oris, aliud uero operis esse peccatum, quod & ipsum in aliquot seauerunt partes siue species: ac eas rursus retulerunt ad scelera partim, partim ad delicta. **Scelera & delicta.** Scelera sunt haud dubie quæ destinata mente ac malitia concepta fiunt: cuius quidem generis sunt illa in primis, quæ appellantur peccata clamantia, cædes uidelicet, usura, oppressio pupillorum & uiduarum, sodomia, & merces detenta laboris. De cæde enim pronunciat uox domini in Genesi, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Exodi uero 22. dicit dominus, Si afflixeritis uiduas et pupillos, & illi ad me clamauerint, ego exaudiam eos et conficiam uos. Usuram uerbum dei insectatur diris conuictis, & modis omnibus condemnat. Ex peccatum Sodomorum ascendit in cælum expetens uindictam. Iacobus quoque apostolus, Ecce merces operariorum, inquit, qui messuerunt regiones uestras, que fraude non reddita est à uobis, clamat, & clamores eorum qui messuerant, in aures domini sabaoth intro-

Septem capita uita. Septem capi ierunt. His alij annumerant septem uitia capitalia, superbiam uel inanem gloriam, iram, inuidiam, accidiam uel tristitiam, auaritiã, gulum, & luxuriam. Imò hæc constituunt ueluti seminarium & originem omnium malorum siue peccatorum, unde et capitalia uocant. Id quod uidere est in sententijs Lombardi. Porro delicta intelligunt ea quæ committantur ex infirmitate & incogitantia, cum uidelicet deseritur bonum, ac officium negligitur socordia quadã. Vbi forte locum habet peccatum ignorantis, peccatum alienum, & peccatum inuoluntarium: quanquam & ipsa non raro fiant scelera nephantatq; flagitia.

Peccatum ignorantie Ignorantia traditur esse duplex, naturalis ac uera, enascens ex peccato originali: & affectata uel simulata, oriens ex destinata malitia. Naturalis ignorantia, morbus, delictum atq; peccatum est: quia existit ex origine uenenata & est opus tenebrarum: sicuti supra patuit ex testimonio apostoli Pauli. Certe S. Augustinus libro de libero arbitrio 3. cap. 19. Quod ignorans quisque non recte facit, inquit, & quod recte uolens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ uoluntatis originem ducunt. Illud enim præcedens meruit illa sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solum membrum, quod mouemus in ore, dum loquimur: sed etiam illud quod huius membri motum sequitur, id est formam tenoremq; uerborum: secundum quem morem dicitur alia lingua Græca, alia Latina. Sic non solum peccatum illud dicimus, quod proprie uocatur peccatum (libera enim uoluntate à sciente committitur) sed etiam illud quod de huius supplicio consequitur. De qua re & superius dictum

dictum est. Prætexunt quidem alij ignorantia suæ illud ex euange-
lio domini, Si non uenissem & locutus fuisset eis, haberent quod
prætexerent peccato suo, siue, peccatum non haberent. Hinc enim
colligunt, Ergo quibus nihil annunciatum est, alieni sunt à culpa
omni & crimine. Cæterum hoc nõ dixit dominus, Principio enim
de prætextu illorum, nõ innocentia loquitur. Nec omnis prætextus
iustus est. Dixit sanctus, Peccatum non habent: sed mox subiungit,
Nunc non habet quod prætexant peccato suo. Deinde non uniuersaliter
liberat ignorantes ab omni peccato, sed à peccato rebellionis
duntaxat. Nam & S. Augustinus in Ioannē, Habent excusationem,
inquit, non de omni peccato suo, sed de hoc quod in Christum non
crediderunt, quod ad eos non uenit. Omnes enim qui non audierunt
nec audiunt, possunt habere hanc excusationē, sed non possunt
effugere condemnationē. Qui enim sine lege peccauerunt, sine lege
peribunt. Sed & Paulus in 1. ad Timoth. 1. cap. Gratia habeo, inquit,
ei, quia fidelem me iudicauit, ponendo in ministeriū, qui prius eram
blasphemus & persecutor & uiolentus: sed & misericordiā adeptus
sum, quod ignorans fecerim per incredulitatem. En dicit apostolus
misericordiam se consecutum quod per ignorantiam peccarit: inter-
rim uero deriuat hanc ex incredulitate, & tætus ei tribuit planē tur-
pes. Porro ignorantia falsa & ficta est, quæ à pertinacibus ex mali-
tia fingitur. Veluti si dicas te non intelligere id quod displicet, nec
uis intelligere, cum possis. Huiusmodi ignorantia erat in Iudæis ho-
stibus gratiæ dei. Dicit enim Paulus, Testimonium illis perhibeo
quod zelum dei habent, sed non secundum scientiam. Nam igno-
rantes dei iustitiam, & propriam quærentes constituere, iustitiæ dei
non fuerunt subditi. Nam in euangelio dixit dominus ad Phariseos,
interrogantes num & ipsi sint cæci? Si cæci essetis, non haberetis pec-
catum: nunc uero dicitis, uidemus: ideo peccatum uestrum manet.

Peccata aliena non sunt ea quæ nos ipsi designamus, sed quæ alij *Peccata
aliena.*
faciunt, non tamen sine nobis, nimirum probantibus, iuantibus,
suadentibus, iubentibus, conuiuentibus, aut occasionem præbenti-
bus, uel non repugnantibus aut contradicentibus cum possemus.
Verat apostolus Paulus Timotheo ne cui cito manum imponat, nec
cõmunicet peccatis alienis. Proinde ordinare hominem parum ido-
neum præficereq; ministerio ecclesiastico, est peccatum alienum. Ti-
bi enim impuratur meritõ quicquid inepti istius hominis, per te or-
dinati, in scitia, contra deum & ecclesiam committitur. Peccatum alie-
num peccant, qui uiolentiam inferunt, & tormentis uel minis ho-
mines adigunt ad abnegationem ueri, uel ad res nephandas perpe-

mandas, Equidem abnegatio ueritatis, est peccatum alienum ei, qui cogit abnegantem abnegare, interim proprium eiusdem hominis peccatum est impietas, tyrannis ac sacrilegium parricidiumq̄.

Voluntariū & inuoluntariū, Vbi recte quidem admonemur aliud esse peccatum uoluntarium, aliud uero inuoluntariū, siue uiolentum. Inuoluntariū esse dicunt, quod fit uel per uim uel per ignorantiam. Ergo quod neque uis, neque ignoranter, uoluntarium esse concludunt. Violenti autem rursus species duas ponunt, Vnum quidem absolutum, alterum conditionale. Violentum absolutum fieri putant, quando in nobis non est utrum agamus uel non agamus, sed extrinsecus prouenit, nihil, inquam, conferente illo cui fit uis. Ut si uentus nos aliquo deferat, aut si ministri regij manus tuas, te reluctante & reclamante, adhibeant thurificationi idololatricæ. Quo casu liberant ab omni culpa, pœna, laude, & uinperatione coactum. Secundam uiolenti speciem arbitrantur mixtam habere causam. Verum ne nimis diu his inhæreamus, Nos simpliciter dicimus, Inuoluntarium aut uiolentum uel habet eius consensum qui cogitur, uel non habet. Si accedat consensus, uerbi gratia, in abnegatione ueritatis euangelicæ hæcætenus confessæ, aut in alijs nephandis facinoribus perpetrandis, culpa non uacat coactus. Neque enim hic terrore mortis aut metu

Vide Augustinum de Mendacio ad Conscientiū cap. 9. & 10. c. c. tormentorum excusatur. Elige mortem magis, quàm abnegate ueritatem, aut patrare res nephandas, aut patiens uim, consentire in rem sceleratam ac turpem. Si mori elegeris potius quàm facere res turpes, non cogit te inuoluntarium tyrannus. Occidere quidem potest, inuoluntarium ad res impias parandas cogere non potest. Mori enim confiteris ueritatem, moriendo declaras te facere nolle quod à uiuente postulant. Ita uero illi te nec uincunt nec cogunt sed uincuntur ipsi potius & coguntur uidere & experiri quod doleat. Annitebatur Antiochus Epiphanes prohibiti tibi usu polluere sancta Machabæorum corpora. Hi uero mori magis quàm in prophanatione uiuere eligentes, moriendo uicerunt tyrannum, nec cogi potuerunt. Et re uera apud omnes probatæ religionis uiros receptum & comprobatum est, mortem & extrema omnia subeunda sunt facere. Poterit si non accedat consensus, sed pio homini梅花 irrefragabilisq; inferatur uis (discernimus hic inter eum qui coactus malum facit, & qui patitur) non commaculat ea uis animum sanctum & incorruptum. Veluti si manibus & pedibus uinctis, pius aliquis deportetur in templum prophanum, ubi cogatur inesse sacris prophanis; aut si uirgo sancta aut matrona honesta in bello

bello irruptioneque barbarica corrumpatur, nec interim in scelus con-
 fentiat, nec pie mori potius concedatur, incorrupta certe manet co-
 ram dei iudicio. Non enim temere dixit beatus Augustinus, Non
 iniuste aliquid pati, sed iniuste aliquid facere, peccatum est. Lib. de
 libero arbit. 3. cap. 16. Idem de Mendacio ad Consentium cap. 7.
 Quod uiolenter, inquit, non præcedente libidine patitur corpus, ue-
 xatio potius, quam corruptio nominanda est. Aut si omnis uexatio
 corruptio est, non omnis corruptio turpis est, sed quam libido procu-
 rauit, aut cui libido consenserit. Idem rursus de ciuit. dei lib. 1. cap. 18.
 Proposito animi permanente, inquit, per quod etiam corpus sancti-
 ficari meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatem uiolentia libidinis
 alienæ, quam seruat perseuerantia continentia suæ. Plura huius ge-
 neris eo loci disputat, item in cap. 16. 19. & 28. &c. Sic clementius
 quidem iudicandum est de nece inuoluntaria furiosorum, semetip-
 sos iugulantium. Alioqui in sanctis & canonicis libris nusquam no-
 bis diuinitus præceptum permissumue reperiri potest, ut uel ipsius
 adipiscendæ immortalitatis, uel ullius carenti cauendique mali cause
 adipsam nobismetipsis necem inferamus. Nam & prohibuit nos esse in-
 telligendum est, cum lex dicit, Non occides: præsertim cum non ad
 datur, proximum tuum: sicut in lege qua prohibetur falsum testimo-
 nium. Iccirco damnable est modis omnibus Senecæ doctrina, sua-
 dentis calamitate oppressis, sibiipsis, quo finiatur malum, in ferre ma-
 num. Et Augustinus disputans contra eos qui necem sibi inferunt
 ne alienæ subijciantur libidini & peccent, Si detestabile, inquit, faci-
 nus & damnable scelus est, etiam seipsum hominem occidere: sicut
 ueritas manifesta proclamat, quis ira desipiat, ut dicat, Iam nunc pec-
 cemus, ne forte postea peccemus: iam nunc perpetremus homici-
 dium, ne forte postea incidamus in adulterium? Nonne si tantum
 dominatur iniquitas, ut non innocentia, sed potius peccata eligan-
 tur, satius est incertum de futuro adulterium, quam certum de præ-
 senti homicidium? Nonne satius est flagitium committere (quando
 calamitosa tempora id ferunt) quod pœnitendo sanetur, quam tale
 facinus ubi locus salubris pœnitentiæ nõ relinquatur? Hoc dixi pro-
 pter eos uel eas, quæ nõ alieni, sed proprii peccati deuitandi causa,
 ne sub alterius libidine etiam excitatæ suæ forte consentiant, uim si-
 bi qua moriantur inferendam putant. Cæterum absit à mente Chri-
 stiana, quæ deo suo fidit, in eoq; spe posita, eius adiutorio nititur:
 absit, inquam, ut mens talis quibuslibet carnis uoluptatibus ad con-
 sensum turpitudinis cedat. Quod si illa concupiscentialis inobedien-
 tia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ uo-

*Nemo si-
 bi ipsi manū
 inferat ut
 peccatum
 deuitet.*

luntatis legem, quasi lege sua mouetur, quanto magis absq; culpa est in corpore non cōsentientis, si absq; culpa est in corpore dormientis: Hæc ille. Sed redimus.

Peccata occulta & manifesta. Rursus diuidunt peccata actualia in occulta siue priuata, & in manifesta siue publica. Illa quidem non sunt quæ latent homines, soli deo cognita, qualis est hypocrisis & deprauatio humani ingenij, sed quæ testibus quidem minime carent, nondum tamen innotuerunt omnibus quasi publicata. Hæc enim designantur cum notitia & offensione totius ecclesiæ. Et hæc quidem sunt grauiora, illa autem leuiora, quod uidelicet atinet homines & multorum offensionem, De his apostolus 1. Timoth. 5.

Peccatum mortale & ueniale. Porro maxime uulgaris & idonea actualis peccati distinctio, quæ ferè omnes alias species seu partes comprehendit, illa est, quod aliud quidem Mortale, aliud autem Veniale peccatum dicitur. Mortale punitur omne esse peccatum, quod ab infideli designatur homine: Veniale uero omne quod fiat à fidei. Ego simpliciter & secundū scripturas arbitror omnia hominum peccata esse mortalia. Nam fiunt contra legem seu uoluntatem dei. At peccatis ipsa debetur mors. Propheta enim clamat, Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Et apostolus dixit, Stipendium peccati mors. Certè à morte, hæc mortalia esse dicuntur. Huc iam pertinent hæc apostolica testimonia, Hoc scitis quod omnis scortator, aut immundus, aut auarus, qui est idololatra, non habet hæreditatem in regno Christi & dei. Eadem sententia ædita ad Ephes. 5. repetitur ad Galat. 5. & 1. Cor. 5. & 6. cap. Ceterum quæ sua natura sunt mortalia, per gratiam dei in fide Iesu Christi fiunt uenialia: quia ueniam à misericordie deo consequuntur. Ideoq; apostolus ad Rom. 6. non dixit, Ne sit igitur peccatū in mortali corpore uestro: sed, Ne regnet peccatum in mortali corpore uestro, ut obediatis ei per cupiditates eius. Et iterū, Nulla est igitur condēnatio his, qui insitū sunt Christo Iesu, qui nō iuxta carnē uersantur, sed iuxta spiritū. Item, Fratres debitores sumus, non carni, ut secundū carnē uiuamus. Nam si secundū carnē uixeritis, moriemini. Quod si spiritu facta corporis mortificetis, uiuetis. Proinde semper est in corpore nostro peccatum, quoad uiuerimus: uerum ex gratia non imputatur ad mortem: & ij quibus non imputatur conantur modis omnibus secundum spiritum non secundū carnem ambulare: interim labuntur & impingunt frequentissime, qui tamen lapsus & offensiones unā cum morbo illo fontico uenialia iam peccata reputantur, uenia uicq; digna non in æternum punienda.

Porto;

Porro ad peccatum mortale referur in primis peccatum in spiritu sanctum: quod quidam non sine causa arbitrantur propriissime appellari peccatum mortale. De quo dicemus, si prius ad quaestiones nonnullas huic causae adnexas responderimus breuissime. Principio quaeritur hic, An peccatum uel morbus post baptismum remanens in infantibus, reuera sit peccatum? Constat autem concupiscentiam remanere in baptisatis, & concupiscentiam esse peccatum: ideo in baptisatis remanere peccatum. Quod tamen per gratiam dei in merito Iesu Christi, non imputatur. Sic dissecuit hunc nodum & beatus Augustinus libro de peccatorum meritis & remissione 1. cap. 39. dicens, In paruulis certe gratia dei per baptismum eius, qui uenit in similitudine carnis peccati, id agitur, ut euacuetur caro peccati. Euacuatur autem non ut in ipsa uiuente carne concupiscentia conspersa & innata repente absumatur, & non sit, sed ne obstita moruo, ut lex peccati quae inest in membris, repugnans legi mentis, penitus extinguatur & non sit, sed ut quicquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum est, cum eidem concupiscentiae subiecta mente seruiret, totum oboleatur, ac uelut factum non fuerit habeatur. Hæc ille.

*Peccatū a
baptismo
remanēs in
paruulis,
an sit peccatum.*

Deinde interrogatur, An opera quae faciunt Gentiles, ac speciem habent probitatis uel uirtutis, peccata sint an bona opera? Certum est deum & inter Gentes habuisse suos electos. Si qui tales fuerunt, non caruerunt spiritu sancto & fide. Iccirco opera ipsorum, facta ex fide, bona fuerunt; non peccata. Nam in Actis commemoratur, orationes & eleemosynas Cornelij Centurionis ascendisse in memoriam coram deo. Dicitur autem idem ille Cornelius uir religiosus & timens dei, ergo & fidelis: cuius quidem fides postea ad plenum absoluitur, & cui donum spiritus uberius confertur.

*An opera
gentiū uir-
tuosa sint
peccata.*

Porro præclara facta ethnicorum non sunt interim aspernanda & uituperanda. Etenim ut non profus sine deo facta fuerunt, ita plurimum contulerunt ad seruandam et reparandam tranquillitatem regnorum uel reipub. Iccirco excellentes aliquot uiros ac respub. locupletauit iustus dominus præmijs temporalibus. Græcis enim & multis principibus Romanis contulit opes, uictorias, & gloriam maximam. Et certe fuit apud multos in magno precio ciuilis iustitia, & publica tranquillitas. Alij ingentia acceperunt præmia, quod iudicia domini constanter & strenue exequerentur contra nebulosnes et hostes dei. Nec dubium est dominum maximas uires concessisse Romano imperio sub Oct. Augusto & alijs principibus, ut per-

DE PECCATO.

eorum potentiam frangeret inuictam Iudaicę gentis malitiam, uin-
dicaretq; per Romanos filij sui & omnium sanctorum propheta-
rum & apostolorum sanguinem, à furiosis & blasphemis illis be-
luis effusum. Certe post subuersas Hierosolymas inclinare incipies-
bat Romanum imperium. Sed redimus.

An opera
sanctorum
bona sint
peccata?

Postremo quæri solet, An opera sanctorum uel fidelium bona,
sint peccata? Certe si deprauationem & infirmitatem nostram spe-
ctes, omnia opera nostra peccata sunt, quia à nobis fiunt qui labe
non caremus, ideoq; nec ipsa opera quę à nobis fiunt tam sunt per-
fecta quàm esse in conspectu dei oportuerat alioqui. Eadem tamen
propter fidem in nobis & quia sumus recepti in gratiam dei, ideoq;
à nobis fiunt qui iam sumus filij dei, bona sunt. Huc enim pertinet
illud apostoli, Idem ego mente quidem seruius legi dei, carne uero
legi peccati. En unus & idem apostolus, duplex retinet etiam rena-
tus ingenium, ut operans ipsum eius opus secundum respectus di-
uersos, & peccatum sit & opus bonum. Quatenus enim mente legi
dei seruit, eatenus bonum opus facit: quatenus uero idem ille legi
carnis seruit, eatenus opus eius labe non caret. Nam idem & super-
ius in eodem loco ad Roma. 7. dixit, Volenti mihi facere bonum,
reperio quod mihi malum *παράκαται*, id est inuideat, uel adiaceat, aut
inhæreat ac insitum sit: quod malum haud dubie exerens se semper
in omnibus cogitationibus dictis & factis, efficit, ne opus quod sit
à nobis renatis, tam sit purũ, quàm diuina exigit iustitia: gratia ergo
& misericordia dei pro puro reputatur. Huc facit iam illa quoq; ex
sacro sancto euangelio Ioannis sententia domini, qui dixit, Qui lo-
tus est, non opus habet, nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus. Si
enim totus mundus est, quomodo totus mundus est? Si uero la-
uandi sunt pedes, quomodo totus mundus est? Hęc tamen inter se
non pugnant, sicuti ne illa quidem, cum dicimus opera fidelium bo-
na esse peccata. Nam iuxta gratiæ & misericordiæ diuinæ uberta-
tem & reputationem toti sumus mundi, purgati ab omnibus pecca-
tis ne illa nos condemnent. Quia tamen in nobis semper inhæret
lex illa peccati, exerens sese in membris nostris quoad uixerimus, pe-
des certe, id est affectio illa praua & cupiditates noxię, & oppug-
nandę & opprimendę sunt: agnoscendum denique, nos ex nobis
ipsis, ipsa quoq; opera nostra, nunquam carere imperfectione: ergo
semper & omnia nostra indigere dei gratia. His ad hunc modum
explicatis, descendimus nunc ad explicandum peccatum in spiri-
tum sanctum.

Pecca-

Peccatum in spiritum sanctum, est blasphemia perpetua reuelat & agnitæ ueritatis, nempe cum contra conscientiam nostram, per fide deficientes à ueritate agnita, ipsi indefinenter & contradicimus & maledicimus. Nam blasphemia est maledictum uel conuiuium, quo proscindimus aliquem, execranda & detestanda in ipsum conuiscientes, unde existimatio eius uel læditur, uel proteritur. Blasphemamus ergo magistratum, parentes & uiros bonos, quando illis non tantum non paremus debitumue honorem deferimus, sed insuper conuiscimus proscindimus, nuncupantes illos tyrannos, sanguinarios, sceleratos atq; execrandos: in primis uero blasphemamus deum, cum eius gloriæ detrahimus, gratiæ contradicimus & ueritatem eius nobis reuelatam, operatq; eius luculentissima, destinata malitia, criminantes pertinaciter uituperamus.

Non omne quidem peccatum blasphemia est, omnis autem blasphemia peccatum est. Quia enim hæc tendit contra deum & uoluntatem eius, peccatum est: sed interim hoc proprium & singulare habet, quod præterea deum uituperat & conuiscia iacit in opera domini. Multi peccant in doctrinam ueritatis, eo quod ueritatem negligentes non recipiunt, aut receptam nec colunt, nec ornant: uerum hi etsi peccatores sint, nondum tamen blasphemi dici merentur: quod si præterea insectentur uituperijs & conuiscijs doctrinam, quam negligunt, appellant hanc hæreticam, schismaticam, seditiosam, & dæmoniacam, iam etiam blasphemi iure cognominantur. Vnde proprium peccati in spiritum sanctum est, non tantum apostatare à uero, sed & contra conscientiam contradicere uero, ipsumq; dei opus, ipsam reuelationem dei illustrissimam, conuiscijs incessanter adobruere. Conscientia enim euidencia reuelationis aut operis spiritus sancti conuiscita, suggerit non tantum à conuiscijs esse temperandū, sed aliud interim agendum, cedendum inquam ueritati, & deo concedendam gloriam: iam uero hanc inspirationem excludere eijcere & obruere contumaci perfidia aut apostasia impiaq; cōradictione & perpetua uituperatione, hoc inquam est peccare in spiritum sanctum. Id quod originem quidem trahit ex originali peccato, fouetur autem & prouehitur suggestionibus sathanicis & peruersis notis affectioibus, indignatione item, inuidia, spe aut metu, imò destinata pertinaciq; malitia, contumacia, rebellioneq;.

Verum exigit iam ipsa res ut audiamus quid dominus noster in euangelio de hoc peccato pronunciarit. Apud Matth. in 12. cap. dicit dominus, Omne peccatum & conuiuium uel blasphemia remittit

*De peccato
in spiritum
sanctum.*

*Quid proprie sit
blasphemia.*

*Origo
huius peccati.*

retur hominibus: at blasphemia uel conuictum in spiritum non remittetur hominibus. Et quicumque dixerit uerbum aduersus filium hominis, remittetur illi: qui autem dixerit aduersus spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in presenti saeculo, neque in futuro. Apud Marcum in tertio cap. illa seruatoris sententia, his uerbis reddita legitur, Amen dico uobis, Omnia remittentur filiis hominum peccata atque blasphemie uel conuicta, quibuscumque conuicti fuerint. At qui blasphemiam uel conuictum dixerit in spiritum sanctum, non habet remissionem in aeternum, sed obnoxius est aeterno iudicio. Apud Lucam in 12. cap. eadem fere uerba ita ponuntur, Quisquis loquitur dictum in filium hominis, remittetur illi: ei uero qui in spiritum sanctum blasphemiam dixerit, non remittetur. Habemus in his domini uerbis blasphemiam in filium hominis, habemus item blasphemiam in spiritum sanctum: haec dicitur esse irremissibilis, illa omnino remissibilis. Blasphemia in filium hominis committitur ab ignorantibus necdum illuminatis, tenditque in ipsum Christum, quem blasphemans arbitratur esse seductorem: quoniam non nouit eum. Huiusmodi blasphemos fuisse ipsum Paulum, ante conuersionem, & bonam Iudaeorum partem, testatur manifeste uerbum domini. Dominus enim a cruce orans clamauit, Pater ignosce illis: quia nesciunt quid agant. Et apostolus Paulus, Si dominum gloriae, ait, cognouissent, non crucifixissent. Vnde & beatus Petrus in Actis loquens Iudaeis, ait, Scio quod per ignorantiam fecistis: poeniteat uos igitur, & conuertimini, ut deleantur peccata uestra. Acto 3. At blasphemia in spiritum sanctum, dicitur criminatio perdurans, quae fit contra ipsum spiritum dei sanctum, id est contra ipsius inspirauorem aut illuminationem aut opera. Nam cum hic tam euidenter operatur in animis hominum, ut nec tergiversari nec ignorantiam obtinere possint, interim uero hi reuelationem aut operationem illam spiritus, quam agnouerunt optimam esse saluberrimamque, necdum uerissimam, contra conscientiam propriam oppugnant, irrident, aspernantur et perpetuo criminantur, certe ipsum spiritum dei sanctum blasphemant. Verbi gratia, Pharisaei apertissimis rationibus miraculisque irrefragabilibus conuicti in suis ipsorum animis, non poterant negare doctrinam & opera domini Iesu, diuina esse: at nihilominus, & nequicquam reclamante ipsorum conscientia, urgente uero inuidia rebellionisque pertinaci ac perfida defectione, conuictabantur Christum omnia agere praesidio & instinctu diaboli. Pharisaeis nihil meliores sunt, qui cum hodie intellexerunt euangelica doctrina in Christo certissimam salutem ipsissimamque ueritatem

Blasphemia in filium hominis.

Blasphemia in spiritum sanctum

ueritatem quam simplicissime purissimèq; proponi, hac tamen de-
 serta, contradictoria in approbant doctrinam, & orthodoxam illam
 indubitatamq; contra animi sui sententiam damnant in sestanturq;
 imò & exhibant constanter pro hæretica. Hoc peccatum sicut est *Non remit-*
 longe foedissimum, ita nulla dignum uenia & irremissibile. Nam *tur pecca-*
 dominus in euangelio diserte dixit, Non remittetur ei neque in præ *tum in spi-*
 senti sæculo neque in futuro. Quod apud S. Marcum in hæc uerba *ritum san-*
 profertur, Non habet remissionem in æternum, sed obnoxius est æ- *ctum.*
 terno iudicio. Causa in promptu est, Sine fide enim impossibile
 est placere deo. Sine fide non conceditur peccatorum remissio. Sine
 fide non patet ingressus in regnum dei. At peccatum in spiritū san-
 ctum, est apostasia & rebellio perstans contra fidem ueram, quam il-
 luminatione spiritus sanctus infundit in corda nostra. Cæterum
 hanc illuminationem isti auersi indefinenter appellant tenebras, se-
 ductionemq; esse criminantur aut blasphemant. Proinde nunquam
 ipsis remittitur peccatum. Nam gratiā dei calcant, & uiam qua per-
 uenit ad gratiam contemnunt ostentiuq; habent. Ergo S. Paulus
 ad Hebræos cap. 10. Voluntarie, inquit, peccantibus nobis, post ac-
 ceptam ueritatis notitiā, non amplius relinquitur pro peccatis ho-
 stia; sed terribilis expectatio iudicij, & zelus ignis, qui deuorabit ad-
 uersarios. Quid oro est uoluntarie peccare? Non utiq; per infirmita-
 tem peccare, aut peccatum sæpissime repetere, sed per pertinacissimū
 contempnū peccare: quod faciunt qui scientes & uolentes abijciunt
 & conculcant gratiam dei, neq; irridere cessant crucem & mortem
 Christi, quasi stultam & non efficacem satis ad expiationem omniū
 peccatorum nostrorum. His enim nulla alia parata est expiatoria ho-
 stia. Et tales uocat aduersarios, id est hostes & contemptores dei. Ie-
 circo idem apostolus in 6. cap. scriptum reliquit, Impossibile est eos
 qui semel fuerunt illuminati, gustaueruntq; donum cæleste, & par-
 ticipes facti fuerunt spiritus sancti, ac gustauerunt bonum dei uer-
 bum, uirtutesq; futuri sæculi, & prolapsi sunt, iterū renouari ad pœ-
 nitentiam rursus crucifigētes sibi ipsos filium dei & ostentui habē-
 tes. Non loquitur de lapsu fidelium quolibet; sed de pertinaci apo-
 stasia. Lapsus enim Petrus restituitur per pœnitentiā: nec solus. Nam
 reparantur per pœnitentiam quotidie omnes peccatores. Iudas au-
 tem non reparatur, quia fuit pertinax apostata: non renouantur per
 pœnitentiā irrisores & blasphemi, quia præfracte agunt contra agni-
 tam ueritatem, uiamq; qua sola ad uitā deduci possent blasphemare
 non desinunt. Nihil ergo faciunt illi loci Pauli pro Nouatianis, sed
 explicant nobis naturam & uenenatas uires peccati in spiritum san-

DE PECCATO.

Etum De eodem differens beatus Ioannes apostolus & euangelista in canonica sua, dicit, Si quis uiderit frairem suum peccare peccatum non ad mortem, petet & dabit ei uitam, peccantibus non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roges. Omnis iniquitas peccatum est. Et est peccatum non ad mortem. Scimus quod omnis qui natus est ex deo, non peccat, sed qui genitus est ex deo seruat seipsum, & malus ille non tangit eum. Recenset beatus Ioannes duo genera peccatorum. Alterum quidem ad mortem uel mortale irremissibile, pro quo non orandum sit, id est quod ueniam non consequatur. Ea est contumelia spiritui sancto illata, apostasia perfida & indefinens irritio criminatioque euangelij. Nam & in euangelio secundum Ioannem legimus, Amen amen dico uobis, si quis sermonem meum serauerit, mortem non uidebit in aeternum. Et iterum, Si non credideritis quod ego sum, moriemini in peccatis uestris. Et reuera iniquitas est, apostasia, scelus meditarum ac perpetuum. Nam quid est iniquius quam cognitae ueritati indefinenter reluctari mediumque ostendere digitum? Alterum est peccatum ueniale, non ad mortem. Quod quidem quale sit exponit Ioannes cum subiungit, dicens, Scimus quod omnis qui natus est ex deo, non peccat. Verum id non absolute intelligendum, Non peccat ad mortem. Alioqui enim & sancti peccatores sunt, sicut claret ex 1. cap. huius epistolae. Praeterea sequitur in Ioanne protinus, quod praecedentia clarius exponat. Qui genitus est deo, seruat seipsum: nimirum perstat in agnita ueritate, cauere ne malus ille ipsum tangat, id est, irreat, contra deum excitet & in rebellionem reuecat. Haec de peccato in spiritum sanctum haecenus dixi, quod appellauit S. Augustinus alicubi finale impoenitentiam, quae sane consequitur ex apostasia criminatioque & contemptu spiritus sancti, uel uerbi ueritatis reuelari per spiritum sanctum.

Et quaequam in tractatione peccati originalis & peccati in spiritum sanctum attingere effectus peccati, postremo tamen hoc loco breuius indicabo nonnulla de poena peccatorum certa & iusta. Nam in definitione peccati dixi, hoc conciliare nobis iram dei, mortem & supplicia uaria. De quibus modo est dicendi locus. Deum punire peccata, imo peccatores propter peccata, iam est clarum ex scripturis diuinis, quam quod clarissimum. Nam deum irasci & offendi peccatis grauissime, multae in scripturis declarant sententiae. Clamat David, Dominus probat iustum: impium autem & uolentem odit anima eius. Puer super impios laqueos, ignem & sulphur, uentum tempestuosum, ardentem: haec fors calicis eorum. Quoniam iustus dominus iustitias diligit, rectum uultu suo inuenit. Ita etiam Paulus, Reuelatur

De poena
peccatorum
certa &
iusta.

relatur, inquit, ira dei de cœlo aduersus omnem impietatem & iniuriam hominum, qui ueritatem in iustitia deinent. Quid quod peccata mortalium non potuerunt expiari, nisi per mortem filij dei, Vbi sanè præstantia pretij redemptionis luculentissime demonstrat peccati grauitatem atque sædritatem. Cui & illud accedit, quod bonus ille dominus amator hominum, non tot pœnas calamitatibusq; adoperuisset genus humanum, nisi horribile in oculis domini esset peccatum. Quis enim paucis & in transcurso omnes peccatorum pœnas enumerando explicet? Alienatur à nobis dominus propter peccata. At absente à terris sole, quantæ obsecro sunt caligines & tenebræ? Deo alienato à nobis, quanti in animis hominum horrores? Hic ergo locum habet tyranis sathanica, tormenta conscientiarum mille, mors animæ, terrores, desperationes, & infandi dolores, innumeræ denique calamitates corporis, & facultatum nostratum, quas in ultis commemorat Moses seruus dei, Leuit. 26. & Deuterono. 28. cap. Iam cum nouis sceleribus in diem noua indignatur supplicia, quis oro pœnarum finis, aut quis genera omnia commemorer?

Pœna peccatorum.

Dubium uero non est, quin iuste puniat dominus peccatores. *Iuste puniunt dominus.* Est enim iustus iudex. Et quia de iustitia & omnipotentia sapientiaq; dei addubitare prorsus dementis est, consequens est omnes homines religiosos pro certo, imò compertissimo habere, dei pœnas hominibus illatas, iustissimo iudicio esse illatas. Qualis uero & quanta pœna cuique præuicationi aut culpæ debeatur, diuini iudicij est, non humani. Vnde & Augustinus Tractatu in Ioan. 89. dixit, Tanta est suppliciorum, quanta peccatorum diuersitas, quæ quomodo se habeat alius indicat diuina sapientia, quàm scrutetur & effari possit cōiectura humana. Certe qui in lege sua hominibus data præcepit, Pro mensura peccati, erit & plagarum modus, cum sit æquissimus, modum ipse minime excedit, Abraham in celebri illo colloquio cum deo, quod describitur Gen. 18. cap. inter alia, Num quid perdes iustum cum impio? ait, Absit à te, ut rem istam facias, & occidas iustum cum impio, fiatq; iustus sicut impius. Non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram: nequaquã facies iudicium hoc. Huc pertinet & insignis demonstratio qua uitur dominus erga lotham prophetam irascentem dño propter eius iudicia: ostendit enim se iuste rationē habere infantiū, adde & iumentorum. Nouus est locus Ionæ cap. 4. Teneamus ergo firmiter, nulli creaturæ dei ullam unquam, pœna à domino inflicta, iniuriam fieri, Proinde cadūt hic

disputationes & quæstiones quare infantes maximis nonnunquam tormentis afficiat dominus: aut cur temporarijs delictis æterna reatendat supplicia? Iustus est enim dominus in omnibus uijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Id quod Dauid uerissime testatus est, qui alibi quoq; clamat, Iustus es domine & rectum est iudicium tuum. Beatus qui hic non impingit, nec domino obmurmurat.

Cerò punit dominus.

Quod si aliquando diutius differat iudicium atq; pœnam, non putabimus deum esse iniustum qui parcat sceleratis, suos interim amicos & eorum uitia infectetur acrius. Reuocemus potius ob oculos parabolam euangelicam Diuitis epulonis & pauperis Lazari. Hic enim cū esset amicus dei, nihilo minus fame interit. Ille licet esset hostis dei, in delicijs & uoluptatibus uersatur, neq; quicquā sentit mali. Verum audi quale post hanc uitam illorum iudicium sit, Dicit Abraham ad diuitem, Fili recordare, quod receperis bona tua in uita uas ei Lazarus similiter mala: nunc autem hic solatio fruatur, tu uero cruciaris. Proinde si quando in hac uita affliguntur pii, abunde rependitur eis in futura uita: si uero parciatur hic impijs, grauius puniuntur in uenturo seculo. Deus enim iustus est, ergo cuiq; rependit pro suo merito. Ideo si posthac uideris feliciter uiuere sceleratos, noli existimare deum esse iniustum, noli putare deum esse sculneum, noli dicere deum dormire & illos non uidere. Ceruissima est enim uox illa prophetae ab apostolo Petro etiam usurpata, Oculi domini super iustos, & aures eius ad deprecationem illorum: rursus oculi domini super diuiores dei iustis, è scriptura sancta collectis. Cogitemus diluuiò uniuersali delerum esse mundum, cuius pœnitentiã diu nequicquā expectarat dominus. Cogitemus cœlitus demisso igne urbes arsisse Sodomam, Gomorrã, ac socias. Cogitemus Aegyptum uarijs primū plagis percussam, deinde Aegyptios in mari rubro esse submersos. Cogitemus quæ euenierint sancto & iusto dei iudicio Amortheis & Chananeis, Amalechitis & ipsis Israelitis sub iudicibus primū, deinde sub regibus. Impleta est tandem illorum mensura. Sed & hi nunquam impune cõtempserunt deum & uerbum eius. Nunquam peccarunt impune diu. Innumera alia iusti iudicij dei exempla suppeditat nobis historia Pauli Orosij, imò uniuersalis totius mundi historia. Cogitemus præterea deum non ideo approbare peccata, quod tardius punit, sed longanimitatem pro immensa sua bonitate expectare peccatorum pœnitentiã siue cõuersionem. Nam in euangelio sicum sterilem non iubet excindere dominus, quod ex ipsa fru-

Exempla dei iuste punientis.

Longanimitas dei.

Etum

ffum aliquem in annum futurum expectaret. Paulus apostolus, An diuitias, inquit, bonitatis illius ac tolerantiae lenitatisque contempnis, ignorans quod bonitas dei ad poenitentiam te inuitat? Sed iuxta duritiam tuam et cor poenitere nescium, colligis tibi ipsi iram in die ire, quo patefiet iustum iudicium dei: qui redditurus est unicuique iuxta facta sua: his quidem qui perseverantes in benefaciendo gloriam et honorem & immortalitatem quaerunt uitam aeternam: his uero qui sunt contentiosi, & qui ueritati quidem non obtemperant, sed obtemperant iniustitiae, uentura est indignatio, & ira, afflictio & anxietas, aduersus omnem animam hominis perpetrantis malum. Haec inquam teneamus firmiter, in his acquiescamus, utcumque diu felices sint impij, & non puniantur, Nouit sanctus, iustus, sapiens, & optimus. deus quid agat, quomodo agat, quare, & quando quaelibet agat. Ipsi gloria in saecula saeculorum, Amen.

Huc pertinet quod bonus dominus bonos affligit, non tantum peccatores uel sceleratos. De qua re dixi copiosius huius decadis sermone 3. Venit autem hic in quaestionem, Cur deus peccata quae remissit hominibus, uarijs persequatur poenis. Adamo enim remisit peccatum suum: sed eidem & mortem imponit & innumeras huius uitae aeternas. Dauidi dictum legitur a Nathan, Dominus transtulit peccatum tuum: sed idem propheta mox subiungit, Gladius non recedet e domo tua, &c. Respondemus autem simpliciter poenas ante peccatorum remissionem illatas supplicia esse, sed post remissionem peccatorum certamina siue exercitationes, quibus fideles non satisfaciunt pro peccatis, ex gratia pridem in morte filij dei remissis, sed humiliantur & retinentur in officio, obijciunturque occasio maioris gloriae. Vbi non pigebit recitare C. V. S. Augustini iudicium, lib. de peccatorum meritis & remissione 2. cap. 33. & 34. dicentis, Res quarum reatum, ne post hanc uitam obsint, deus soluit, & tamen eas ad certamen fidei sinit manere, ut per illas erudiantur & exerceantur, proficientes in agone iustitiae. Et mox, Ante remissionem illa supplicia sunt peccatorum: post remissionem autem certamina exercitationesque iustorum. Et iterum post aliquot uerba, Caro, inquit, quae primo facta est, non erat caro peccati, in qua uoluit homo inter delicias paradysi seruare iustitiam. Vnde statuit deus, ut post eius peccatum pro pagata caro peccati ad recipiendam iustitiam laboribus & molestijs niteretur. Propter hoc etiam de paradiso eiectus Adam, contra Ederi habitauit, id est contra sedem deliciarum, ut significaret quod in laboribus, qui sunt delicijs contrarij, erudienda esset caro peccati, quae in delicijs obedientiam non seruauit antequam esset caro peccati. Sicut


Quare puniatur peccata temporalibus poenis, quae tamen remissa sunt per gratiam dei.


ergo illi primi homines postea iuste uiuendo, un de merito creduntur per domini sanguinem ab extremo supplicio liberati, non tamē in illa uita meruerūt: ad paradysum reuocari: sic & peccati caro enā remissis peccatis homo in ea iuste uixerit, nō continuo meretur eam mortem non perpeti, quā traxit de propagine peccati. Tale aliquid nobis insinuatum est de patriarcha Dauid in libro Regnorum, ad quem propheta cum missus esset, eiq; propter peccatum quod commiserat euentura mala ex iracundia dei comminaretur, confessione peccati ueniam meruit, respondente propheta, quod illud ei flagitiū facinusq; ei remissum sit; & tamen consequuta sunt quę deus fuerat comminatus, ut sic humiliaretur à filio. Quare & hic non dicitur, Si deus propter peccatum illud fuerat comminatus, cur dimisso peccato, quod erat minatus, impleuit, nisi quia rectissime (si sic dictum fuerit) respondebitur remissionem illam peccati factam, ne homo à percipienda uita impediretur æterna: subsequutum uero illius cōminationis effectum, ut pietas hominis, in illa humilitate exerceretur atq; probaretur. Sic & mortem corporis propter peccatum deus homini inflixit, & post peccatorum remissionem propter exercendam iustitiam non ademit. Hęc ille.

Quomodo
puniantur
impj.

Iam quod attinet pœnas impiorū, si quas eis iustissimus deus in hoc sæculo infligit, sciamus illas esse argumentum iusti iudicij dei, qui in hoc sæculo punire incipit, & in alio æternum punire pergit. Pereunt quidem culpa propria impj. Deus enim hic affligere incipit, ut castigati sapere incipiant ac conuertantur: uerum hi non conuertuntur ad se percutientem, sed indurātur magis, obmurmurātq; dei iudicij, cōuertentes id sibi ad interitum, quod institutum fuerat ad salutem. Nam ut diligentibus deum omnia cooperantur in bonum, ita odientibus deum omnia operantur ad perniciem. Hęc uero patent adhuc latius, sed quoniam nos huius generis non pauca protulimus sermone 3, decadis huius tertix, quod reliquū est ex eo potē posse confido, & iccirco ad ipsam remitto. Et tantum usq; huc de peccato.

Prolixo quidem nimium sermone derinui hætenus plus quam per duas horas C. V. Vt ergo semel hęc finiā, humiles agnoscamus peccata nostra, supplicesq; clamemus ad dominū sedētem in throno gratiæ, dicētes, Misere nostri domine, quia tibi peccauimus, & peccata nostra agnoscamus. Debitorum tui sumus. Remitte tu nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Et ne inducas nos in tentationem: sed libera nos à malo, Amen.





EX DECADE QVARTA

SERMONES PRIORES DVO, AV
THORE HEINRYCHO BVL
LINGERO.

*De Euangelio gratiæ dei, qui filium mundo dedit, & in hoc ueræ
salutis omnia, ut credentes in ipsum, uitam cōsequamur æternam.*

SERMO I.



OST expositionē legis, eorumq; capitū que
cum lege cognata sunt, aut legi utrunq; adhæ
rent, transeundum modo uidetur ad tractatio
nem Euangelij, cuius in expositione legis &
aliàs crebra incidit mentio. Quemadmodū au
tem hæctenus charitatis uestræ precibus ad deū
adiutus sum, ita preces uestras iterum, & arden

tissimas quidem illas, in præsentī causa, postulo.

EVANGELIUM uox est Græca, sed à Latinis & Germa *Euangelij*
nis recepta, hodièq; ueluti propria usurpata. Cōponitur ab *eu*, quod uox,
bonum est, & *aggelos* nuncio. Significat ergo euangeliū bonum nun
cium seu felicem prædicationem: qualis fit cum fuis hostibus, uel
urbem obsidione graui liberauimus, uel claram ab hostibus reporta
uimus uictoriam. Atribuitur cuilibet fausto nuncio de re quauis fe
liciter perfecta. Libenter ea uoce usi sunt apostoli: non tam q̄ pro
phetæ eam prius quoq; usurparunt, quàm quod salutis nostræ nego
tium per Christū perfectū, cui accōmodarunt, mirifice & cōprehen
dit & oculis uelut spectandū proponit. Inducit Isaias Christum do
minum ita loquentem, beato Luca interprete, Spiritus domini super
me, propterea quod unxit me, *ἐξωστράδα*, id est, ad euangelisandum
uel ad prædicandum euangelium misit me, ut sanem contritos cor
de, ut prædicem captiuis remissionem, & cæcis uisum, ut emittā con
tractos per remissionem, ut prædicem annum domini acceptū. En
ipse Saluator apud prophetam & euangelistam exponit nobis uoca
bulum euangelij, quale sit, aut quid possit, Misit me pater, inquit, ut
annunciem euangelium pauperibus, Mox autem quinam illi pau
peres sint, subiungit, Qui sunt contrito corde, uel animo contracto,
nimirū qui nihil integritatis aut sanitatis in seipsis reperiunt, totiq;
de suis desperantes uiribus, à medico Christo pendent. Euangeliū

K

porro quod afflictis his annunciat, tale est, uenisse cœlitus dei filium sanandis morbidis. Quibus insuper & alia coniungit illustrandi gratia, uenisse dei filium, ut prædiceret captiuis remissionem, & cæcis uisum, &c. Etenim tenentur captiui omnes mortales in uinculis damnationis: omnes seruiunt seruitutem grauissimam sub tyranno crudelissimo sathana: omnes cæci, detinentur in tenebris errorum. Atqui his annunciat, redemptio uel liberatio, uerus utiq; annus iubilæus. Hæc uero annuntiatio læuissima appellatur Euangelium.

Euangelium quid sit.

Euangelium ergo ab omnibus ferè definitur ad hunc modum, Euangelium est uerbum bonum & suauē, testimoniumq; certissimum diuinæ erga nos gratiæ in Christo credentibus exhibiti. Vel, Euangelium est clarissima æterni dei cœlius delata sententia, absolute uentis omnes credentes ab omnibus peccatis, & id quidem gratis, propter Christum, promittentisq; uitam æternam. Colliguntur hæc ex testimonijs euangelistarum & apostolorū. Nam S. Lucas inducit angelum domini loquentem ad pauidos attonitosq; pastores, ac dicentem, Ne timeatis: ecce enim euāgelizo uobis gaudiū magnum, quod futurum est toti populo: quia natus est uobis hodie seruator, qui est Christus dominus in ciuitate Dauid. Eximit pastoribus omnem pauorem euangelio, id est, annuntiatione salutifera, quæ plena est gaudijs. Ea est, quod natus est saluator mundi Christus dominus: & nobis quidem, id est, in salutem hominum natus. S. Paulus dicit Euangelium esse à deo promissum antè, per prophetas, in scripturis sanctis, de filio suo, qui genitus sit ex semine Dauid, secundum carnem, qui declaratus sit filius dei cum potentia, secundum spiritū sanctificationis, ex eo quod resurrexit ex mortuis. Et iterum, Euangelium est præconium Iesu Christi, iuxta reuelationē mysterij, temporibus æternis taciti, manifestari uero nunc, & per scripturas propheticas, iuxta delegationem æterni dei, in obedientiam fidei, in omnes gentes patefacti. Idem adhuc breuius, Euangelium est potentia dei, ait, ad salutem omni credenti. Id est, Euangelium est prædicatio diuinæ potentiæ, per quam saluantur credentes. Potentia autē dei Christi est. Hic enim brachium dicitur patris, gloria eiusdem, uirtus & splendor. Cæterum credenti salutaris est Christus, & omni quidem credenti. Omnium enim saluator est.

Descriptio Euangelij.

Ex his omnibus talē colligimus sancti euangelij descriptionem, Euangelium est cœlestis diuinæ erga nos gratiæ prædicatio, qua toti mundo in indignatione dei constituto, annunciat, deus & pater ille cœlestis placatus in filio suo unigenito, domino nostro Iesu Christo, quæ sicut patribus sanctis olim promiserat, nobis exhibuerit, & in ipso

In ipso plene omnia uitæ beatæ & salutis æternæ, utpote qui pro nobis incarnatus, mortuus, ex mortuis iterum excitatus, & in cælum sublatus, dominus & saluator solus constitutus sit noster, modo peccata nostra agnoscentes, credamus in eum.

Longa est descriptio, fateor: sed illud quoque apud te cogites uelim, negotium quod hic describitur & ipsum esse amplissimū copiosissimumque: quod iccirco & definitione & descriptione, omnium oculis, qua potui luce, clarissimū exposui. Paucioribus ergo uti, nec potui nec debui. Habet descriptio illa suas partes, quibus sigillatim explicatis illustratisque, quisque spero perspiciet totam euangelij naturam, causas, effectus, & quæcumque de ipso cognoscere conuenit.

Principio Euangelium cæleste esse nunciū, nō terrenum, illud *Euangelium esse nunciū cæleste.* maxime arguit, quod ipse pater cælestis primum annunciauit euangelium afflictis parentibus nostris in paradiso: promittens filium suum, qui incarnandus caput serpenus sit conculcaturus. Deinde apostolus Paulus disertis uerbis, Deus, inquit, multifariam multisque modis locutus est patribus, per prophetas, extremis uero diebus hinc locutus est nobis per filium. Nam & Ioannes prior testificans, dixisse legitur, Deum nemo uidit unquam: unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Item, Qui è supernis uenit, supra omnes est. Qui è terra profectus est, terrenus est, & è terra loquitur. Qui è cælo uenit, supra omnes est, & quod uidit & audiuit, hoc testatur. Huc pertinet quod prophete creduntur inspirati à sancto spiritu prophetaſſe. At hi prænunciarunt in scripturis sanctis euangelium: Cuius quidē potissima capita cælitus descendentes angeli, hominibus annunciauerunt. Nam incarnatio filij dei, ab archangelo Gabriele primum diuæ uirgini, deinde Iosepho putatiuo parenti adeoque castissimæ uirginis tutori, annunciat. Idem angelus pastoribus prædicat natiuitatem filij dei. Mulieribus uero ad sepulchrum uenientibus, uolentibusque, pro more gentis, corpus domini inungere, angeli nunciant dominum resurrexisse ex mortuis. Idem apostolis, ascendente domino, conuertentibus defixisque suis in nubes oculis, attestantur ipsum esse sublatus in cælū, indeque uenturū iudicare uiuos & mortuos. His omnibus accedit patris æterni è cælo super dominum nostrum delata uox, Hic est filius meus dilectus, in quo placatus sum, ipsum audite. Et hoc patris testimoniū maximo spiritu prosequens reperit beatus apostolus Petrus in 2. epist. cap. 1. Proinde sermo euangelij diuinus est sermo, cælo delatus, irrefragabilisque, cui qui credunt uerbo æterni dei credunt: qui non credunt, uerbum dei uiuū contemnunt atque abijciunt. Non enim desinit esse uerbum dei, licet

Verbum euangelij nihilo minus dei est, licet annuncietur per homines. annūciatur per homines. Nam de apostolis legimus dixisse dominum, Non uos estis loquentes, sed spiritus patris mei qui in uobis est. Ideoq; non leguntur discessisse Hierosolyma, nisi prius instructi ex alto, & accepto spiritu sancto. Nec est quod uerbū dei ad apostolos dumtaxat alligemus, quasi post apostolos nemo prædicet uerbū dei. Nam dominus noster diserte dicit apud Ioannē, Amen dico uobis, qui recipit quęcunq; misero, me recipit: qui autē me recipit, recipit eum qui me misit. Mittit autē dominus noster, summus ille pontifex ecclesię suę catholicę, non apostolos tantū, sed omnes legitime uocatos, afferentesq; uerbū Christi. Ergo de omnibus ministris ecclesię legitimis intelligimus quę ore diuino in hæc uerba pronūciata legimus, Quorūcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis: quorūcunq; retinueritis, retenta sunt eis. Et iterū, Quicquid solueris in terra, erit solutū in cœlis: & quicquid alligaueris in terra, erit alligatū & in cœlo. Nam alibi quoq; dicit dominus, Amen dico uobis, Tolerabilius erit terrę Sodomorū & Gomorrhœorū in die iudicij, q̄ ciuitati illi quę uos nō excipit, neq; sermones uestros audit. Quis uero ignorat q̄ nephario scelere se polluerint: defœdarintq; ciues Sodomę: & q̄ dominus igni sulphure & pice cœlitus demissis, sceleratissimos concremauerit? Quis ergo non colligat inde multo peccare grauius rebelles & blasphemos cōtra Christi euangeliū, eosdēq; iusto uindicti deo multo grauiores pœnas uel hic uel in futuro sæculo, uel utrobique duros? Credamus ergo euangelio filij dei, mūdo à patre primū, deinde à patriarchis, mox à prophetis, tandē & ab unigenito deo filio & apostolis eius annūciato: quorū uox cœlestis uel hodie nobis personat in ore ministrorū euangeliū nobis syncere prædicandum.

Euangeliū annunciat gratiam.

Deinde considerandū nobis quid annunciet mundo cœlestis illa prædicatio euangelij. Gratiam utiq; patris nostri cœlestis. Nam apostolus Paulus in Actis cap. 20, dicit se accepisse ministeriū à domino Iesu, ad testificandū euangeliū gratiæ dei. Dicendū ergo in præsentia de gratia dei, quantum huic loco satis sit. Varius autē uocabuli gratiæ usus in literis sacris, quemadmodū & in prophanis literis. Significat in sacris gratiarū actionem: item beneficiū & eleemosynā, ut 2. Cor. 8. Significat & laudē & recōpensationē, ueluti cum apostolus dicit, Si cū bene faciis, affligimini, suffertis: ea est gratia apud deum. Significat & facultatē, ut cum dicimus aliquē habere gratiā docendi, & functionem gerendi officij. Apostolus enim dicit se accepisse gratiā: ac mox per interpretationē subiungit, muneris apostolici functionē. Præterea dona dei gratia appellātur: quia gravis cōferuntur. Apostolus tamē ad Ro 5: ca. distinguit donū à gratia. Etenim Gratia

fere:

terè significat fauorem & beneuolentiam numinis erga nos. Donū uero ipsum munus quod datur à deo ex beneuolentia, ut est fides, constantia, integritas. Gratiā apud deum inuenisse dicuntur, quibus impendio fauet deus, & quos complectitur ex animo. Sic Noe inuenit gratiam in oculis domini: Ioseph inuenit gratiam in oculis principis carceris. Et diua uirgo legitur inuenisse gratiam apud dominum: nimirum quod esset deo dilecta, in maximo apud deum pretio, utpote quā singulariter delegerat.

Cæterum hoc loco Gratia est dei fauor beneuolentiæ; numinis *Gratia dei* æterni, qua pro immensa sua bonitate homines gratis propter Chri- *quid sit.* stum complectitur, uocat, iustificat, et saluat. Videtur autem ante omnia indaganda esse causa diuini erga nos amoris. Videmus enim *Causa gra-* quandam esse correlationem inter fauorem dei, & nos quos fauore *tia diuinæ.* suo prosequitur. Nec difficile nec prolixi operis erit inuenire. Nam in nobis nihil est quod miretur deus, uel quo possit moueri uel excitari ad nos complectendos: imò quoniam omnes sumus peccatores impurissimi, & ille interim sanctus & iustus, scelerumq; uindex est, in nobis certe inuenit, propter quod irascatur iustaq; prosequatur uindicta. Causam ergo diuini erga nos amoris, non in nobis, non extra deum in re ulla alia, quando homine nihil sit præstantius, sed in ipso deo eiusq; natura esse oportet. Porro scriptura ueracissima proponit nobis deum natura sua bonum, clementem, & ut Paulus dicit, philanthropon, amatorem inquam hominum, qui suæ naturæ filium unicum pro redemptione nostra miserit: unde iam consequens est, deum gratis ex semetipso & propter filium, non propter ullam aliam causam amare hominem. Vbi pronus omnia præparamenta, incitamenta, aut merita hominum igni diuini amoris dissoluta abeunt in fumum. Nam gratia dei prorsus est gratuita, ac nisi sit talis, non uideo quomodo appellari possit gratia. Sed præstat in re maximi momenti aperta scripturæ sanctæ testimonia proferre, quibus animi nostri confirmetur contra omnes nugas sophisticas & sathanicas tentationes. Dominus noster in euāgelio, Sic deus, inquit, dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret pro mundo: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. En dilectio dei, quæ est fauor ille amorq; numinis nos complectentis, causa est salutis nostræ. Nam Christus passus pro nobis salus nostra est. At hunc ex dilectione dedit nobis pater deus. Neq; cogitare possumus deum nostra dilectione commotum esse ad amorem mutuum, & ut pro nobis daret filium. Sed & ipse ante conditum mundum statuit nos redimere per filium, Sed & ipse

DE EVANGELIO.

Ioannes euangelista in Canonica sua, In hoc est claritas, inquit, nõ quod nos dilexerimus deum: sed quod ipse dilexerit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris,

His testimonijs licet clarissimis & firmissimis, subiungemus tamen aliquot S. Pauli testimonia, ut sic plus lucis causæ nostræ affluat & inlarescat maximus totius doctrinæ euangelicæ & apostolicæ consensus. Paulus ergo ad Romanos, Omnes, ait, peccauerunt & destituuntur gloria dei. Iustificantur autem gratis, per illius gratiam, per redemptionem quæ est in Christo Iesu. Idem ad Ephesios scribit, Gratia estis seruati per fidem, id est non ex uobis: dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Item ad Titum, Bonitas & æquitatis nostræ, quæ faciebamus nos: sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Ita in 2. ad Timoth., 1. cap. dicit, Deus saluos fecit nos & uocauit uocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quæ data est nobis per Christum. Nõ arbitror his pro causa nostra uel fingi potuisse aliud & appositum magis et euidentiùs. Claret iam omnino dei gratiam prorsus esse gratuitam, uelut omnia nostra opera & merita excludentem. Et hic gratuitus dei amor est unica euangelij causa origoq; uerissima. Vnde nimirum à Paulo euangelium appellatur gratiæ præconium.

*Causa
euangelij.*

*Operatio
gratiæ di-
uinae.*

Porro etsi gratia dei à nobis non pendeat, attamen non manet uel hæret in deo otiosa, quasi extra nos alienatq; à nobis, ut quæ nec sentatur nec operetur in nobis. Intelleximus enim ex citatis testimonijs, gratiam fauorem esse in deo qua nos homines prosequatur. Intelleximus gratia saluari homines: Quia enim diligit homines deus, perire noluit, iccirco ex gratia filium misit, qui liberet ab interitu, & in quo inlarescat toti mundo & iustitia dei & misericordia. Atqui liberantur soli credentes, rursus ergo quod gratia operetur in homine habet, Effuso enim spiritu sancto in corda nostra, intellectus & uoluntas in fide instruuntur. Breuiter, gratia (quod & in fine uisionis diximus) uocat, iustificat & saluat, siue glorificat credentes: ut totum salutis nostræ negotium omnesq; uirtutes piorum unice dei gratiæ (cuius operationem ubiq; agnoscimus) feramus acceptum. Id rursus diuino adde & humano ostenditur testimonio. Paulus ad Romanos, Quos, inquit, præsciuit, eosdem & præfinit, & quos præfinit, eosdem & uocauit: & quos uocauit, eosdem & iustificauit: quos autem iustificauit, hos & glorificauit. Quid igitur dicemus ad hæc? Si deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio non

non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri potest, ut non & cum eodem omnia nobis donec. Idem ad Ephesios primo cap. totum electionis & salutis negotium cum omnibus suis partibus ad gratiam dei retulit. Porro sancti patres in Concilio Mileuano, inter quos sedit & beatus Augustinus, de gratia dei sequens condiderunt decretum, Si quis sine gratia dei, credentibus, uolentibus, desiderantibus, conantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis, misericordiam dicit conferri diuinitus, non autem ut credamus, uelimus, uel hæc omnia, sicut oportet omnia agere ualeamus, per infusionem & inspirationem sancti spiritus in nobis fieri cõsistatur: & aut humilitati aut obedientiæ humanæ, subiungit gratiæ adiutorium: nec ut obedientes et humiles simus ipsius gratiæ donum esse consentit, refutat apostolo dicenti, Quid enim habes quod non accepisti? Et gratia dei sum id quod sum. Hæc illi. Expenfis autem his cum diuinis tum humanis testimonijs, neminẽ porro futurum arbitror, qui non intelligat id esse dei gratiam quod diximus, nempe fauorem beneuolentiæq; numinis æterni, qua pro immensa sua bonitate homines gratis propter Christum completatur, uocet, iustificet & saluet.

D. Aurel. Augustino grauis fuit pugna cum Pelagio Britone *Pugna S. Augustini & Pelagij de Gratia dei.* super negotio gratiæ dei. Hic enim per gratiam aliud nihil intelligebat quàm beneficium creationis; quod ut illi non negabat esse gratiam, ita urgebat apostolos maxime loqui de gratia illa gratuita qua gratis nullo nostro merito propter Christum seruamur. Hoc eo constantius urgebat, quod uideret Pelagium hæreticum asserere humanam naturam sibi sufficere, non solum ad facienda, uerum etiam ad perficienda mandata domini per liberum arbitrium. Sed de his religiosissime & copiosissime disputat S. August. epist. 95. ad Innocentium. Ex neotericis pleriq; gratiam partim sunt, docendi causa, in gratiam gratum facientem, & gratis datam. Item in gratiam operantem, & cooperantem. Deniq; in gratiam præeuntem uel præuenientem, & subsequentem. Illi ipsi operationes seu effectus gratiæ hoc serme modo annuerant, Gratia sanat animam, efficaciter eadem ut uelit bonum, deinde quod uoluit, efficaciter operetur: sed & in bono perseveret, & tandem ad gloriam perueniat sempiternam.

Ceterum nos non tam solliciti sumus in recensendis aliorum sententijs quid quisq; senserit; quod præterea immensi laboris, nec megeret facultatis: quàm in proferenda sententia scripturæ sanctæ (quæ una & sola est recte iudicandi sententijsq; regula) quid illa in quam nos sentire iubeat, Id quod in superiore nostra dissertatione de gra-

tia dei & breuiter & luculenter satis ostendisse spero. Sed & con-
 quens disputatio de Christo, in quo excellentissimam in nos gratiã
 celestem transfudit, pater, sarciet si quid illis deesse uideret.

*Gratia in-
 fificamur.* Priusquam autem hinc discedamus, admonendum existimaui,
 non inter se oracula uerbi dei configere, cum legimus uel audimus
 saluari homines gratia dei uel gratis: saluari dilectione dei: saluari
 per misericordiam dei: saluari per Christum: saluari per sanguinem
 uel mortem, uel incarnationem Christi: saluari per fidem in Chri-
 stum, uel in misericordiam aut gratiã dei. Hæc enim omnia in idem
 recidunt, & omnem gloriam causamq; salutis humanæ, ueræ dei
 misericordiæ, uel gratiæ transcribunt. Gratiæ pignus imò saluator
 est unigenitus dei filius dominus noster in mortẽ traditus. Meram
 gratiam in Christo apprehendit sincera fides.

*In Christo
 exhibet suã
 nobis gratiã
 suã deus.* Ideoq; expositis ijs quæ in genere de gratia dei dicere, pro mea
 exilitate potui, descendendo iam ad singulare illud gratiæ dei opus tra-
 ctandum, quod non est aliud, quàm quod misericors pater nobis
 exhibuit filium, ad eum omnino modum, ad quem nobis in pro-
 phetis promisit, & in ipso omnia plene beatæ uitæ æternæq; salu-
 tis: cum ipse sit dominus & Messias, siue saluator unicus & uerus,
 qui pro nobis incarnatus, mortuus, exuscitatus & in cælos receptus
 est. Nam Christus rex & pontifex, id est saluator noster, scopus imò
 stella, ipseq; sol est prædicationis euangelicæ. In istis autem sigilla-
 tim explicandis hoc utemur ordine. Principio recitabimus eximias
 aliquot à lege & prophetis promissiones de Christo ecclesiæ à deo
 propositas, & eas maxime quas & ipsi antigerunt apostoli Christi.
 Deinde demonstrabimus deũ præstitisse quod promisit, id est osten-
 demus quod filium suum unigenitum nobis exhibuit: & quod is
 sit uerus & expectatus ille dominus & Messias siue saluator. Postre-
 mo indicabimus in filio hoc, patrem mundo esse placatum, uel re-
 conciliatum: in quo etiam dederit nobis plene omnia uitæ beatæ
 & salutis æternæ. Ipse enim incarnatus est pro nobis, mortuus, & ex
 mortuis excitatus, postremo & in cælum receptus. Atq; in his latent
 uiuæ euangelij uenæ, profundentes salutare aquas ad uitam ætera-
 nam. In his enim est solida consolatio fidelium, & tranquillitas pla-
 cidissima. Sine his non est ulla uita uel quies.

*Promissio-
 nes de
 Christo ser-
 uatore no-
 stro.* Promissiones de Christo à deo in scriptura sancta editæ, triplices
 sunt. Tra uero perspicuitatis gratia unius & eiusdem generis promif-
 siones iuxta tempora partior. Priores sunt factæ Patriarchis, uel pri-
 mis illis patribus ante legem latam: & hæc rursus sunt duplicis gene-
 ris. Aliæ enim planæ sunt, simplicibus sententijs, absq; ulla figura
 uel

uel typo enunciatæ. Aliæ uero typicæ & figuratæ sunt. Prima & clarissima promissionum fit ex ipso dei ore ad parentes nostros Adamum & Euam, morte & calamitatibus diuorij pauore oppressos: quæ peluit columna & fundamentum est totius religionis Christianæ & prædicationis euangelicæ: ex qua omnes ferè aliæ promissiones dependent. Sic autem dicit dominus, Inimicitias ponam inter te (serpentem intelligit ipsum sathanam) & inter illam mulierem: inter seminum & semen illius: ipsum conteret tibi caput: & tu conteres eius calcaneum. Semen promittit his uerbis deus, & semen quidem non uiri, sed mulieris: & excellentissimæ quidem mulieris, nimirum beatissimæ uirginis Mariæ, benedictæ illius inter mulieres. Ea enim non ex semine uiri, sed ex spiritu sancto concepit, & uirgo peperit Christum dominum: qui moriendo & resurgendo caput, ad est regnum sathanæ, ipsum, inquam, peccatum, mortem et condemnationem non tantum uexauit uel uulnerauit, sed contriuit, omni sathanica potestate seu tyrannide e medio sublata. Interim sathanas calcaneum Christi contriuit: id est, id quod in Christo quasi infimum erat, carnem, per Iudæos & Genes tormentis & morte attriuit atque cõfecit. Dicit enim in Psalmis dominus, Vermis sum & non homo. In puluerem redegerunt uitam meam. Verum resurrexit iterum ex mortuis. Alioquin enim caput serpentis non contriuisset, factusque est saluator omnium credentium in ipsum. Ex hac promissione deriuatur singularis & celebris illa, quam patri nostro Abraham hinc uerbis angelus domini recitat, Benedicentur in semine tuo omnes gentes orbis. At Paulus ad Galatas disertis uerbis declarat nostrum illud esse semen benedictum Abraham promissum. Semen autem appellatur dominus noster propter primam illam promissionem Adamo & Eue factam, & quoniam propter nos incarnatus & uerus homo factus est. Nec pugnat hæc promissio cum prima. Licet enim semen uel filius Abraham nunc nominetur Christus dominus, non tamen alia ratione ad Abrahamum refertur, quam per uirginem, quæ erat filia Abraham & mater Christi domini. Quid autem confert nobis sua incarnatione filius Abraham? Benedicit. Benedictio autem opponitur maledictioni. Ergo quicquid contraximus ex Adami peccato maledictionis, id sanatio nobis Christus, & benedicit nos omni benedictione spirituali. Nec beneficium hoc paucis confert, sed omnibus totius orbis gentibus, in ipsum credentibus.

Iacob patriarcha inspiratus spiritu dei, fata filiorum & res futuras prædicans, ubi ad Iudam filium uenisset, inter alia ait, Non re-

Primum
euangeliũ.
Gen. 3.

cedet sceptrum de Iuda, & legislator (uel scriba) de pedibus eius, donec ueniat Schilo, & ad illum gentes confluent. En his non tantum promittitur Messias, sed insuper ostenditur tempus, quando incarnandus sit, ostenditur item quis & quantus ille futurus sit. Regnum, inquit, permanebit sub Iuda usque ad Christi aduentum. Et quamuis tribus Iuda reges non sit semper habiura, non deerunt tamen proceres, duces, legislatores, docti ac præsidēs populi. Ideoque fides euangelicæ historiæ testatur Christum uenisse tunc cum omnis potestas imperandi translata esset ad Romanos, quorum Imperatori Augusto censum Iudæi appenderunt. Schilo autem significat felicitatem siue authorem felicitatis, copiam cornu & abundantiam omnium rerum optimarum. Thesaurus enim omnium bonorum Christus est. Et Chaldaeus interpres pro Schilo reposuit Christus. Cæterum confluens ad ipsum, ut saluatore suum, omnes gentes: quod & propheta postea clarissime declarauerunt, Isaias in cap. 2. & Michæas in 4.

Porro typi & figuræ Christi sunt. Noë in arca seruatus. Nam seruantur fideles in Christo: sicuti S. Petrus testatur, 1. Pet. 3. Immolatur ab Abrahamo filius unigenitus Isaac, & in iugo quodam eius montis, in quo post multos annos immolatur dei filius. Venditur ethnicis à fratribus suis Ioseph. Coniicitur idem in carcerem: sed liberatus saluator fit, & ab omni populo conseruator salutatur regni Aegyptiaci. Hæc omnia præfigurant Christum dominum.

Posteriores promissiones & ipsæ sunt duplices, relectæ & uelatae siue figuratæ. Continentur autem in lege & in prophetis ad tempora usque captiuitatis Babylonicæ. Propheciam, de uenturo propheta omnium maximo, Moïsi, citat beatus apostolus Petrus in Actis cap. 3. Figuratæ promissiones Christi sunt sacrificia, quæ Paulus in epistola ad Hebræos enarrat miro compendio. Agnum pascalem idem in 5. prioris ad Corinthios unâ cum beato Petro in 1. cap. prioris epistolæ accommodat Christo. Idem petram percussam & aquam manantem, appellat Christum. Ipse Christus dicit in euangelio Ioannis, se præfiguratum esse æneo serpente exaltrato in deserto: cuius mysterium alicubi plenius enarraui. Sunt alia huius generis plurima: quorum non minimam partem attingi cum dissererem de Carcerata promissionem ferè sunt innumeræ in Psalmis & prophetis. Sed & ipse dominus in euangelio secundum Lucam, testatur totum suum negotium descriptum contineri in lege, in prophetis, & in Psalmis. Cumq; S. Petrus euangelium prædicasset, & in hoc Christum ac remissionem peccatorum promississet omnibus credentibus, subiun-
git prom-

git protinus, Quin & omnes propheta à Samuele ac deinceps quot
 quot locuti sunt annunciauerunt dies istos. Certe David Psalmo 2,
 22. & 110. geminam Christi indolem, diuinam & humanam, clare
 designauit. Idem prædicationem eius salutarem, sacerdotium æter-
 num, redemptionem æternam, per mortem acerbissimam, tantum
 non inspectanda oculis omnium proposuit. Quid dicam de Isaja
 propheta, qui optimo iure non à postremo ecclesie Christiane do-
 ctore appellatus est euangelista, quasi historiam scripserit rerum ge-
 starum non gerendarum per Christum. Hunc proponit ille nobis
 uerum deum, & hominem uerum, natum secundum carnem de uir-
 gine intemerata: qui prædicet uerbum uitæ, pascatq; tanquam bo-
 nus pastor trepidas ouiculas, qui sit lumen gentium usque ad extre-
 ma terræ: qui cæcos illuminet, claudos & uarijs morbis confectos
 sanet, qui à suis prodius conspuatur, alapis cædatur, & inter lauro-
 nes suspensus, hostia pro delicto, offeratur, denique & qui interce-
 dat pro transgressoribus, ut ipse iustus omnes credentes iustificet.
 Legatur Isaias in cap. 7. 8. 9. 11. 23. 40. 49. 50. 53. & in postremis
 prophetie sue capitibus omnibus, in quibus & ecclesiam Christia-
 nam plenissime describit. Ionas manifestissimum mortis & resurre-
 ctionis dominice typum prætulit. Michæas etiam locum Bethle-
 hem designat, in quo Messias nascatur, cuius originem, diuinæ u-
 tiq; nature, mox refert ad æternitatem. Idem prædicat euangelicam
 prædicationem ex urbe Hierosolymorum, in totum terrarum or-
 bem fore disseminandam. Ieremias dicit deum Dauidi excitaturum
 uerum semen siue germen, id est, expectatum Messiam. Alludit au-
 tem ad legem de excitando semine fratris latam. Virgo enim spiri-
 tu sancto fecunda genuit: & eum quidem genuit, cuius nomen
 est Iehouah, deus utique uerus & essentialis: quem Isaias nomina-
 uit Emanuelem, & qui uera est iustitia credentium. Nam per Chri-
 stum iustificantur credentes. Etenim idem propheta in cap. 31. pro-
 mittit in Christo & plenariam peccatorum remissionem, & spiri-
 tus sancti gratiam uberrimam: quam & Ioël propheta non obti-
 nuit. Hæc autem pauca ex multis delibauimus duntaxat. Toti enim
 prophetarum libri in negotio Christi exponendo uersantur.

Postremæ de Christo promissiones sub ipsa captiuitate Babylo-
 nica, & mox post captiuitatem, à deo, prophetis reuelatæ, & eccle-
 siæ dei sunt propositæ. Prophetat Ezechiel de pastore Dauid, &
 ouibus pastorem illum suspicientibus: quæ ipse dominus in euan-
 gelio secundum Ioannem de seipso exponit. Idem multa differit de
 gratia & plenaria gratuitaq; peccatorum remissione per Christum

conferenda, in primis 34. 36. & 37. cap. Daniel habet quidem uisiones & somnia multa: sed in his ita nobis exhibet Christum, ut non posset melius, illustrius, elegantius. In 2. cap. demonstrat nobis regnum eius æternum, indicatq; Christum sub monarchia Romanorum uenturum, tum cum principes Romani a finitibus sibi mutuo connexi, mutuis sint interiuri armis. Quod quidem impletum est imperitantibus Pompeio & Iulio, Antonio item & Octauiio Augusto. Iam cognitissimæ sunt septimana Danielis in 9. capite, ubi Christum & tempora Christi repudiumq; generis Iudæicæ propter incredulam perfidiam toti mundo tantum non digito monstrat. Haggeus templum extruit, sed uerum templum, Christianam uique ecclesiam. Zacharias multa Christi mysteria eleganter tradit. Proponit nobis Christum regem & pontificem. Commendat nobis unicum illud sacrificium, æternum, efficax satis, expiandis omnibus totius mundi peccatis. Legatur cap. 3. 9. 14. imò totus Christum & regnum Christi nos docet. Malachus præmittit præcursores domino Christo, & non pauca Christi mysteria tractat. Unde cernimus uerissime scripsisse Paulum, deum ante promississe euangelium per prophetas suos, in scripturis sanctis.

Euangelium patres nescit.

Ex his uero sanctis promissionibus colligimus & illud, non plura aut diuersa esse euangelia (quanquam non negemus eandem historiam euangelicam diuersis scriptam esse authoribus) sed unum duntaxat esse & quasi æternum. Nam illud ipsum euangelium quod hodie nobis annunciat, ab exordio mundi patribus annuntiatum est. Cerrissimum enim est euangelio seruatō esse ipsum Adamum, Euam, Abelem omnes patriarchas & prophetas, sed & ueteris testamenti omnes fideles. Id quod alibi quoque satis copiosè sumus prosecuti.

Deus pater per Christum præstitit nobis quod patribus promissit.

Descendimus nunc ad alterum caput, ostensuri deum patrem fideliter quod promissit patribus, præstitisse nobis, exhibitō unigenito suo filio: qui sit uerus & expectatus ille Messias benedictus in sæcula. In ea causa illustranda diligenter laborarūt euangelistæ et apostoli domini, ut nemo fidelius & melius. Genus Christi ostendunt Dauidicū & ex Abraham profapia descendens, matrē uirginē, quæ conceperit ex spiritu sancto, & uirgo pepererit. Tēpus q̄q; cōsignant quo reuelatus est Christus, id quod oib; punctis respōdet uaticinijs prophetarū Addunt & locū natiuitatis Christi congruere p̄phetiæ Michææ. Iam apparet in oriente stella, quæ magos, uiros primarios & sapientissimos, inuitat ad saluandū nuper natum regem. Ad sunt ergo

Ego, & in urbe Hierosolymorum regia, palam, & natum Messiam
 & se adorandi eius gratia ex oriente aduenisse profiterentur. Verbis
 facta respondent. Nam indicio stelle reperiunt adorant, & muneribus
 ipsi oblatis quantum Christum faciunt minime obscure declarant.
 In ipsa urbe Hierosolymorum regia, uirorum iustissimus Simeon
 cum iubilo cordis maximo, & gratulatione piissima, in templo pa-
 lam testatur deum pro æterna sua ueritate & constantia exhibuisse
 mundo filium unigenitum, quem patribus promiserat: simul pro-
 fitens tranquillissimo iam se animo moriturum. Causam subiungit,
 Quia uiderunt oculi mei salutare tuum, nimirum illum Schilo, id
 est feliciter saluatorem, quem o deus, statuisti proponere om-
 nibus populis, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis
 tuæ Izrael: id est, ut tenebras discutens, genibus lumen præferat ue-
 ritatis & uitæ easque illuminet, & gloria uitæque sit populi Izraelitici.
 Huc pertinet etiam testimonium clarissimi uiri Zachariæ sacratissi-
 mi sacerdotis dei, testificantis atque dicentis, Benedictus dominus
 deus Izrael, quia uisitauit & redemit populum suum. Et erexit cor-
 nu salutis nobis in domo David pueri sui, Sicut loquutus est per os
 sanctorum qui a sæculo fuerunt prophetarum suorum. Et reliqua
 quæ leguntur Lucæ cap. 1. Porro Zachariæ huius filius beatissimus
 Ioannes, baptista cognominatus, quo ex mulieribus non legitur na-
 tus sanctior alter, digito in Christum Iesum extento, demonstrat
 hic illum esse expectatum Messiam, quem promiserint omnes pro-
 phetæ, deumque hoc exhibito liberasse fidem suam, & se totum cum
 omnibus bonis suis effudisse in credentes. Quinimo expectante po-
 pulo, ut Lucas habet, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de
 Ioanne num ipse esset ille Christus, respondit Ioannes, dicens uni-
 uersis, Ego quidem aqua baptiso uos, sed ueniet fortior me, cuius non
 sum dignus soluere corrigiam calciamentorum: ipse uos baptisabit
 spiritu sancto & igni. Et apud Ioannem legimus, Postero die uidet
 Ioannes Iesum uenientem ad se, & ait, Ecce agnus ille dei, qui tollit
 peccatum mundi. Hic est de quo dicebam, Post me ueniet uir, qui me
 antecessit, quia prior me erat, & ego nesciebam eum: sed ut manife-
 stus fiat Izraeli, propterea ueni ego aqua baptisans. Et mox, Vidi spi-
 ritum descendentem specie columbe de celo: & mansit super eum.
 Et ego non noueram eum: sed qui misit me, ut baptisarem aqua, is
 dixit mihi, Super quem uideris spiritum descendentem & manentem
 super eum, hic est qui baptisat spiritu sancto. Et ego uidi & testatus
 sum hunc esse filium dei. Rursus cum discipuli Ioannis inuiderent
 Christo domino felicem successum, dolerentque Ioannem præ Christi

*Iesus est
 Christus,
 id est expectatus
 ille
 Messias.*

DE EVANGELIO.

No ueluti negligi, dixit discipulis suis Ioannes, Ipsi uos testes estis
 quod dixerim, non sum ego Christus, sed missus sum ante illum.
 Qui habet sponsam sponsus est; amicus autem sponsi qui stat & au-
 dit eum, gaudio gaudet propter uocem sponsi. Hoc ergo gaudium
 meum impletum est, illum oportet crescere, me uero minui. Pater
 diligit filium, & omnia dedit illi in manum. Qui credit in filium,
 habet uitam æternam: qui non credit in filium, non uidebit uitam:
 sed ira dei manet super eum. Firma, euidencia & clara sunt hæc testi-
 monia solatq; pro hac poterant sufficere causa. Verum adiciamus
 adhuc pauca ex multis, declarantia Christum nobis esse exhibitum.
 Ipse ergo dominus noster, quem Messiam esse credimus, prodit, diu
 multumq; Ioannis commendatus testimonio, & ipse uerbum uitæ
 annunciat, Nullis autem unquam sæculis alius fuisse legitur, qui
 tanta docuerit cum gratia. Simul autem opera ædedit stupenda, quæ
 facile quis sit coarguunt, & uel renitentem auditorem attrahunt. Faci-
 lis & benignus erat peccatoribus, subinde repetens his se seruandis
 & ad pœnitentiam uocandis aduenisse. Ergo cum aliquando ad
 ipsum discipuli Ioannis uenirent rogarentq;, Tu ne ille es qui uen-
 turus est, an alterum expectabimus? respondit, Ite & renunciate ea
 Ioanni, quæ uidetis & auditis. Cæci uisum recipiunt, & claudi ambu-
 lant, læprosi mundantur, & surdi audiunt, mortui excitantur, &
 pauperes lætæ accipiunt euangelij nuncium. His autem, doctrina
 inquam & operibus, uel uirtutibus suis, demonstrare uoluit se mun-
 do exhibitum esse Messiam uerum, nec alium expectandum, Nam
 & in schola Nazarethana lecto Isaïæ testimonio de uenturo Messia
 expositoq; ostēdit scripturam eam esse impletam. Vbi protinus hoc
 subiungitur in historia, Et omnes testimonium illi dabant, & mira-
 bantur super gratia sermonum qui procedebant ex ore ipsius. Rur-
 sus apud Ioannem in 10. cap. circumdederunt dominum Iudæi &
 dixerunt, Quousque animam nostram suspendis? Si tu es Christus,
 dic nobis ingenue. Respondit eis Iesus, Dixi uobis: uos autem non
 creditis. Opera quæ ego facio nomine patris mei, hæc testimoniū
 reddunt de me. Sed uos non creditis, quia non estis de ouibus meis.
 Et mox, Vos dicitis me blasphemare quia dixerim, Filius dei sum?
 Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: si facio, & si mi-
 hi non credatis, operibus credite: ut cognoscatis & credatis quod pa-
 ter in me est, & ego in eo. Certè Ioan. 7. legimus, Qui crediderunt
 in eum, dixerunt, Christus cum uenerit num signa plura ædedit,
 quæ hic ædedit. Id est, ut maxime donemus alium esse Christum ex-
 pectandum, hoc tamen certissimum est alium illum nō posse plura
 &

& maiora designare miracula. Credamus ergo hunc uerum esse
 Messiam. Coram Caiapha summo pontifice & Concilio uniuersali
 Israeliticorum procerum: item coram Pontio Pilato in foro Ro-
 mani imperij, disertis & minime obscuris uerbis confessus est domi-
 nus noster Christus se esse uerum illum & expectatum Messiam.
 Equidem, sicuti de eo prædixerunt prophetae, mortuus est sponte pro
 peccatoribus, resurrexit deinde tertia die à mortuis, ascendit in cæ-
 lum, sedens ad dexteram dei patris. Et euangelistæ dicta & facta
 Christi fideliter recitantes, diligenter præcipuis subiungunt, Hoc to-
 tum factum aut dictum est, ut impleatur quod dictum erat à pro-
 pheta. Proinde non uidetur operæ pretium uaticinia prophetarum
 colligere & his antithesi committere dicta & facta Christi, atq; ex
 consensione manifestissima cõcludere, deum præstitisse nobis quod
 patribus promisit exhibito filio unigenito, qui sit uerus & expecta-
 tus Messias. Hoc enim fecerunt euangelistæ, & id quidem tanta cum
 fide & diligentia ut nemo possit euidentius & melius. Huc referre
 licet omnia quæ dixi Sermonibus superioribus de significatione, uel
 mysterijs, impletione & abrogatione legis. Et ut nobis non tanta
 sit testimoniorum copia, an non unicum hoc quod apud Ioannem
 in 4. cap. legimus uice multorum millium esse poterat: Dicit mulier
 illa Samaritana ad dominum, Scio quod Messias uenturus sit, qui
 dicitur Christus: cum ergo uenerit ille, nobis nunciabit omnia. Re-
 spondit ei Iesus: Ego sum qui loquor tibi. En quid poterat dici cla-
 rius? Ego inquit sum Messias, ego inquam qui tibi loquor modo,
 qui ab initio dixi, Si scires donum dei, & quis sit qui tibi dicit, Da
 mihi quod bibam, tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam uiuam.
 Quisquis enim biberit ex aqua quæ ego dabo ei, non sitierit æter-
 num: sed aqua quam dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in uitam
 æternam. Infelicissimi ergo omnium mortalium & aridissimi sunt,
 qui alium post dominum nostrum Messiam expectant. S. Petrus be-
 ne longa oratione scripturis & firmis rationibus instructa, in Actis
 aposto. cap. 2. demonstrat, Iesum dominum nostrum illum esse ue-
 rum Messiam. Hac enim sententia Sermonem suum concludit, Certo
 sciat ergo tota domus Israel, quod dominum & Christum fecerit
 deus, hunc Iesum quem uos crucifixistis. Ad eundem scopum ten-
 dit & doctissima copiosissimaq; oratio protomartyris Stephani, quæ
 exhibetur nobis Acto. 7. cap. In 8. cap. Philippus Aethiopi ostendit
 ex uaticinio Isaie, Iesum esse Christum. S. Paulus in omnibus syna-
 gogis non aliam proponit propositionem quam hanc demonstran-
 dam, Iesus est Christus, id est Iesus est rex, pontifex atq; saluator fide:

lium. In capite autem 13. copiosa oratione eandem illustrat atq; declarat. Hæc autem euidentissima & clarissima diuinæ scripturæ testimonia proculdubio satisfaciunt minime rixosis nec pertinacibus. *Audai negantes Iesum esse Christum.* Nolo operosius & curiosius in præsentis disputare contra tergiversatores Iudæos, alium expectantes Messiam, nostrum autem illum dominum, filium dei & Mariæ uirginis, negantes esse uerum Messiam. Sentiant miseri uerissimum esse, quod in euangelio prædixit ipsis dominus, dicens, Cum uideritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat. Tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes. Væ autem prægnantibus & lactantibus in illis diebus. Erit enim afflictio magna. Et iterum de urbe loquens Hierosolymorum, Dies, inquit, uenient in te, & circumdabunt te inimici tui uallo, & cingent & coangustabunt te undique, & solo æquabunt te, & filios tuos qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non cognoueris tempus uisitationis tuæ. Ecce iterum, Erit ira in populo hoc. & cadent acie gladij, & captiui ducentur in omnes gentes. Et Hierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora gentium. Hæc quia sequuntur ad uerbum ita esse impleta sicut à Christo in euangelio fuerunt prædicta, quare miseri non dant gloriam deo, & in reliquis etiam credunt euangelio, agnoscetes Iesum Christum dei & Mariæ uirginis filium, dominum nostrum, uerum & expectatum uenisse Messiam? Quid habent quod pertinacisus incredulitati obtemperant? Caruerunt hæcenus à mille quingentis annis & amplius patria sua, terra inquam illa patribus promissa, melle & lacte manante; caruerunt prophetis; caruerunt cultu celebri, & legitimo. Vbi enim est templum? Vbi est summus pontifex? Vbi est ara? Vbi sunt instrumenta sacra? Vbi sacrificia quæ offerantur secundum legem? Omnis gloria populi dei translata est ad Christianos. Hi gaudent uocari filij Abraham: hi exultant in promissionibus patribus factis: hi celebrant & prædicant patres: hi recte iudicant de lege, & de fœdere domini: hi habent scripturas sanctas, & in his explicandis sunt felicissimi: hi habent templum uerum, summum pontificem, uerum altare thymiamatis & holocaustorum, Christum: hi habent uerum cultum olim in externis præfiguratum cæremonijs. Sicuti demonstrauimus tractarem cæremonias Iudaicas. Vocatae sunt gentes ex omnibus mundi plagis ad Christum. Omnes & singulæ promissiones de uocatione gentium abundantissime sunt impleræ, & implentur etiam hodie. Nos iam sumus genus electum, iuxta S. Petri doctrinam, regale sacerdotium, gens sancta, populus peculiaris, in hoc uocati

cati, ut prædicemus vires illius, qui è tenebris nos uocauit in admirabilem lucem suam. Nisi ergo malint infelices Iudæi in diem crassioribus implicari erroribus, & calamitatibus torqueri innumeris, tandem uero perire in æternum, iuxta Christi domini cõminationem, conuertantur ad Christum fide, & adorent illum nobiscum, in quo sperauerunt patres ipsorum, & in quo solo est salus & uita. Nam ut uerbis apostoli hunc locum cõcludam, Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in spicitu, uisus est angelis, prædicatus est genibus, fides illi habita est in mûdo, receptus est in gloria. Qui autem illi crediderit, in æternum uiuet, neq; confundetur unquam.

Restat exponenda pars postrema, comprehendens patrem cœlestem in filio suo unigenito domino nostro Iesu Christo esse placatum, qui prius mundo fuerat iratus. Ostendendum ergo in primis deum uniuerso mundo iratū fuisse. Id quod non erit difficile. Nam peccatis irascitur deus. Torus autem mundus peccato tenetur obnoxius, iccirco necesse est iustissimum deum uniuerso mundo ualde irasci. Et Paulus, Palam sit ira dei, inquit, de cœlo, aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominum. Idem dicit omnes homines peccato esse obnoxios: ad quod confirmandum has copias ex scripturis producit, dicens, Non est iustus, ne unus quidem: non est qui intelligat, non est qui requirat deum. Omnes deflexerunt simul, inuiles facti sunt: non est qui exerceat bonitatem, non est usque ad unum. Sepulchrum apertum guttur eorum: linguis suis ad dolum usi sunt, uenenum aspidum sub labijs eorum. Quorum os execratione & amarulentia plenum est: ueloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & calamitas in uijs eorum, et uiam pacis non cognouerunt. Non est timor dei coram oculis eorum. Iam ne Israelitæ responderent, hæc nihil pertinere ad populum dei, sed ad impios & ethnicos, subiungit, Scimus autem quod quæcūq; lex dicit, his qui sub lege sunt dicat, ut omne os obturetur, & obnoxius fiat torus mundus deo. Nemo hic excipitur. Nam ad Galatas q̄q; idem apostolus dixit, Concluserunt omnes sub peccatū, ut omnium misereatur. Proinde consequitur, torum mundū fuisse indignationi dei iustissimi subiectum. De quo dicitur & ad Ephes. 2. ca. et 4. & 5.

Huic autem impio mundo placatus uel reconciliatus est pater cœlestis, per filium unigenitum dominum nostrum Iesum Christum. Quod unico ipsius patris testimonio abunde satis demonstraturum me confido. Principio enim pater uoce cœlitus in terram, & super Christum, iam à baptismo ascendentem, deinde etiã transfigurantem se in conspectu delectorum discipulorum suorum, delata, diserete

*Pater deus
mundo iratus,
placatus est in
filio.*

testificans, dicit, Hic est filius meus dilectus, in quo placata, reconciliata uel propitiata est anima mea. Ipsum audite. Legitur hoc testimonium & ab Isaia in 42. cap. prænunciatum esse. Reperiunt hoc beatus apostolus Petrus in 2. epist. cap. 1, Paulus uero hoc ipsum quasi illustrauit, & dixit, In filio complacitum est patri uniuersam plenitudinem inhabitare, & per eum cuncta reconciliare erga se, pacificatis per sanguinem crucis eius per eundem, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cælis. In cælis autem pater est, in terra homines sumus. Mediator Christus est, qui medius intercedit, ac nos patri suo reconciliat, ut iam simus dilecti patris, in dilecto suo filio. Nam in epistola ad Ephesios dicit idem apostolus, Charos nos reddidit per dilectum: per quem habemus redemptionem, per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, iuxta diuitias gratiæ suæ. Omnia hæc plenius intelliguntur ex sequentibus.

Omnia uitæ & salutis plene in Christo nobis data esse. Nunc enim demonstro deum patrem in filio suo dedisse nobis plene omnia uitæ beatæ & salutis æternæ. Duo commemoro uitam beatam & salutem æternam. Beatam uitam intelligo uitam sanctam & piam, quam uiuimus tranquille & honeste in hoc sæculo. Salus æterna, est felicitas illa sæculi futuri, quam expectamus firmæ spe. Habemus autem in Christo plenissimam beatæ uitæ doctrinam traditam nobis per euangelium, in quo & exemplum uitæ Christi comprehendimus. Certe pater cælestis hunc nobis doctorem proposuit, & dixit, Hunc audite. Et ipse in euangelio secundum Matthæum, Ne uocemini magistri, inquit, unus enim noster est magister, nempe Christus, qui in euangelio Ioannis appellatur Lux mundi. Hic alibi quoque testatur doctrinam suam contineri in scriptura sancta: unde & discipulos suos relegat ad scripturas sanctas diligenter legendas. At de his Gentium adeoque uniuersæ ecclesiæ doctor Paulus, Omnis scriptura, inquit, diuinitus inspirata, & uilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad instructionem, quæ est in iustitia, ut integer sit dei homo ad omne opus bonum apparatus. Proinde licet totus mundus insanat, traditioque uiuarum non scripturarum assertores denubis fremant, firmum tamen stat stabilitque uerbum apostoli testificantis doctrinam scripturarum siue Christianam, esse per omnia absolutissimam. De qua re cum in Decade 1. primis Sermonibus disputauerim, hic certe sum succinctior. Quod autem attinet ad salutem æternam per Christum nobis plene paratam siue partam, ita habet res, Salus æterna, est æterni dei uisio uel perfructio, ergo & cum eodem indissociata coniunctio, Nam Dauid dicit, Satietas gaudiorum in conspectu tuo

stro est, & iucunditates in dextera tua in perpetuū. Et beatus Iōānes, Nunc quidem filij dei sumus, ait, & nondum apparuit quod futuri sumus. Scimus autem quoniam si apparuerit, similes ei erimus: quoniam uidebimus eum sicuti est, Cæterum in euangelio dicit dominus, Beati mundo corde: quoniam ipsi deum uidebunt. Omnes autem homines cordibus præditi sunt impuris: nullus ergo deum uidebit. Quia nulla impuritas permanet apud ignem consumentem. Salus ergo nobis nisi purgatis communicari non potuit. Atque qui sine sanguinis effusione non fit purgatio uel peccatorum remissio: non arietum quidem uel hircorum, sed filij dei sanguinem puto. Assumpsit itaque carnem & sanguinem nostrum dei filius, uenit in mundum, mortem uolens propter nos subire, & sanguinem suum in remissionem peccatorum nostrorum effudit, atque eo modo credentes purgauit, ut iam mundi queant habitare cum deo sanctissimo, qui est ignis consumens. Hic uero locum habent incarnatio domini nostri Iesu Christi, mors, resurrectio ex mortuis, & ascensio in caelos, quorum meminimus superius in descriptione Euangelij. His enim constat totam reconciliationis mysterium. De his in præfenti ea de causa susus non differimus, quod symbolum apostolorum exponentes, ea quantum satis esse uidebatur, tractauimus: unde iam repeti & huic negotio applicari possunt.

Quod autem unus uel solus Christus uita & salus nostra sit, & *Solus Christus est uita & salus nostra.* absolutissima quidem salus & uita, potest colligi ex superioribus, nihil minus adferam testimonia aliquot quo & firmiter & perspicacior fiat euangelicæ ueritatis sinceritas & ueritas. In solo Christo esse uitam & salutem nostram, ita ut extra Christum nullibi profus uel uita uel salus sit, testatur ipse dominus in euangelio dicens, Amen amen dico uobis, qui non intrat per ostium in stabulum ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Amen amen dico uobis, ego sum ostium ouium: omnes quotquot ante me uenerunt, fures sunt & latrones. Ecce unicum modo ostium est, quo patet ad uitam aditus. Christus autem hoc ostium est, Qui ergo per alia media quam per Christum eluctantur ad uitam & salutem æternam, fures sunt & latrones. Christo enim suam suffurantur gloriam, qui solus est & manet saluator: & suas ipsorum animas trucidant. Idem saluator in euangelio dicit, Ego sum uia, ueritas & uita. Nemo uenit ad patrem, nisi per me. An non pauculis his uerbis omnia salutis media exclusit ac repulit, se solum uitam & salutem constituens? Certe locutionis genus, Nemo uenit ad patrem nisi per me, id omnino pollet quod hoc, Per solum Christum peruenit ad patrem.

Iam & apostoli Christum Christum solum ita nobis proposuerunt, ut nemo non possit intelligere, extra Christum nullibi inueniri uitam. S. Petrus apostolus in Actis, Nec est in alio quoquam salus (inquit) Nec enim aliud nomen est sub cælo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Paulus quoque ad Romanos 5. cap. subinde repetit, per unius hominis Iesu Christi iustitiam iustificatos esse omnes credentes. Idem, Per hunc, inquit, annunciatu r uobis peccatorum remissio: & ab omnibus à quibus non potuistis per legem Moysi iustificari, per hunc omnis qui credit iustificatur. Cuius quidem generis & alia profert in 2. cap. ad Galatas. Constat ergo per solum Christum credentibus conferri peccatorum remissionem & uitam æternam: quæ sicut extra Christum non sunt, ita per nulla media conferuntur extra Christum. Et nos de Remissione peccatorum, qui præcipuus est Euangelij locus, differuimus copiosius Sermone 9. Decadis primæ, sed & alibi quoq.

Christus
plene salu
uat.

Iam q̄ dominus noster plene absoluat à peccatis, plene peccata remittat, plene saluet, ita ut nihil desiderari possit amplius, adeo q̄ ipse dominus sit plenitudo absoluissima credentiũ, extra quẽ credentes nihil uel cupiunt amplius ad uitã & salutem, uel desiderare possunt, ipse rursus in euangelio tradit cum dicit, Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterũ: quisquis autẽ diberit ex aqua quam ego dederõ ei, uia uer æternum. Et iterum, Ego sum panis uitæ. Qui uenit ad me non esuriet: & qui credit in me non sitiet unquã. Apostoli ergo cum ediscent hunc panẽ cœlestem, id est, cum credidissent in Christum dei filium, multis discedentibus relinquentibusq̄ Christũ, rogati num & ipsi abire stauant, respondent, Domine ad quẽ ibimus? Verba uitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus q̄ tu es Christus filius dei uiui. En nec uolunt nec possunt deserere dominũ, Quia nullus alius est cui se coniungere queant. Solus enim hic uita est & salus credentiũ, & adeo plene absoluta, ut in solo acquiescant. Cũ doctrina euangelica cõgruit doctrina apostolica. Paulus enim ad Cor. In filio, inquit, cõplacitum est patri uniuersam plenitudinẽ inhabitare. Et iterũ, In filio inhabitat omnis plenitudo deitatis corporali ter, & estis in illo cõpleti. Et in epist. ad Hebr. asserit credentes plenariam habere peccatorũ remissionẽ: quia cessent sacrificia offerri pro peccatis, deũq̄ p̄minere per Ieremiã prophetã tam perfectã remissionem peccatorũ, ut nolit horũ uel meminisse unquã. Proinde quicũq̄ Christũ fide possident, plenissime oĩa uitæ & salutis possident. Huc prinet tota ad Hebr. epistola. Huc prinet epilogus 8. Sermonis Decad. 1. quo recensemus quos nobis in Christo thesauros dederit pater cœlestis.

Ex.

Ex his ultro consequitur, illos nondum intellexisse uerum Christi euangelium, neq; sincere prædicare euangelium, quicumque uel non soli uel non plene omnia salutis & uitæ uni tribuunt Christo non domino uero Messia. Impium & blasphemum est, hominibus & rebus homine inferioribus deterioribusq; gloriam attribuere Christi. Præcipua Christianæ religionis exercitia huius nihil sibi uedicant. Nam doctrina sincera recta ad Christum ducit. Oratio in nomine Christi inuocat, laudat & agit gratias, Sacramenta obfignant & figurant Christi mysteria. Opera uero fidei, ex debito, licet interim sponte, sunt: quia sumus conditi ad opera bona. Imò tantummodo propter Christum deo placent. Ipse enim uitis est, nos sumus palmites. Ita omnis gloria Christo illibata seruat: quæ certissima ueri euangelij nota est.

Insynceras euangelij prædicationis

Hactenus uero audiuius, deum patrem misericordiarum gratia sua misericordia humani generis miserum, cum luto tartareo in fixum, imò immersum prorsus inhaereret, filium suum unigenitum, ita ut in prophetis promiserat, misisse in mundum, qui e luto extraheret nos, nobisq; omnia uitæ & salutis plene exhiberet. In eo enim reconciliatus est, qui pro nobis incarnatus, mortuus, ex mortuis iterum excitatus, & in cælum receptus est.

Summa euangelij

Et quamuis ex his omnibus utcumq; colligi possit, quorum sit illa salus, & quibus annuncianda uideatur gratia, res tamen ipsa postulat ut expresse & diserte ostendamus, Christum & Christi gratiam euangelio allatam uel annunciatam pertinere ad omnes. Minime enim fingere oportet, duos esse in cælis positos libros, in quorum altero inscripti legantur saluandi, ac necessitate quadam irrefragabili quidem saluandi, utcumq; reluctentur uerbo Christi & atrociter designent flagitia; in altero autem consignatos contineri damnandos, qui non possint non, quantumuis religiose uiuant, damnari. Teneamus potius sanctum Christi euangeliū generaliter uniuerso mundo prædicare gratiam dei, remissionem peccatorum, & uitam æternam. In hac uero sententia oportet confirmare mentes uerbo dei, collectis aliquot scripturæ sanctæ locis clavis, & minime dubijs aut obscuris. Cuius quidem generis sunt illæ sententiæ, Benedicentur in semine tuo omnes gentes orbis. Gene. 22. Omnis qui inuocauit nomen domini, saluus erit. Ioelis 2. Omnes nos quasi oues errauimus: et posuit deus in eo iniquitatem omnium nostrum. Isaia 53. Omnes sidentes uenite ad aquas. Isaia 55. Innumera sunt huius generis in ueteri testamento testimonia. In euangelio dicit dominus, Omnis qui petit accipit, & quicumq; querit inuenit, &c. Matthæi 7.

Omnium esse salutem euangelicam.

DE EVANGELIO.

Venire ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Matth. 12. Docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine patris &c. Matthæi 28. Ite in mundum uniuersum & prædicate euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Marci 16. Sic deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Ioan. 3. In Actis apostolorum dicit beatus Petrus, Reipsa comperior quod non sit respectus personarum apud deum, sed in quauis gente, quæ timet ipsum, & operatur iustitiam, is acceptus est illi. Acto. 10. Paulus quoque ad Romanos 3. Iustitia, inquit, dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes qui credunt. Et 10. cap. Idem dominus omnium est, ait, diues in omnes inuocantes se. In epistola ad Titum dicit, Apparuit gratia dei saluifera omnibus hominibus. Et in prima ad Timoth. 2. cap. Deus cunctos homines uult saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Hæc & alia his similia certe clara sunt testimonia, quibus tuto nituntur omnes pii.

Quare nõ
saluentur
omnes ho-
mines.

Saluantur
fideles.

Si uero rogas qui fiat quod non omnes salui fiant, cum dominus uelit omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uocari, pauci uero electi. Id quod adhuc clarius & plenius exponit Lucæ 14. ubi reddit causas in parabola quare bona hominum pars salutem æternam non consequatur, quia terrena perituraque præsertim celestibus. Alius enim aliud suæ prætexebat inobedienciæ. Hic uil lam emerat ille iuga bouum: erat qui uxorem duxisset, ita in euangelio secundum Ioannem dicit dominus, Hæc est condemnatio, quod lux uenit in mundum, & homines magis dilexerunt tenebras quam lucem. Congruit cum doctrina euangelica sermo apostolicus 2. Cor. 4. cap. Et in 1. ad Timoth. 4. ca. dicit apostolus, Deus est seruator omnium hominum, maxime fidelium. Vnde colligimus deum in prædicatione euangelij sui abs quolibet nostrum requirere fidem: cum aliàs constet fide participes nos fieri omnium bonorum Christi. Et certe correlatio est inter fidem & euangelium. Dominus enim in euangelio secundum Marcum prædicationi euangelij fidem coniungit. Et Paulus dicit sibi ministerium euangelij commissum in obedientiam fidei. Idem, Euangelium, inquit, est uirtus dei ad salutem omni credenti. Idem ad Roman. 10. gradatione quadam ostendit euangelium fide percipi. Ut autem fides possit in animis hominum legitime plantari, necesse est præire prædicationem poenitentiae. Vnde in descriptione euangelij sub finem dixi, modo peccata nostra agnoscentes credamus in Christum: id est dominus erit saluator noster conferens

conferens nobis uitam, si agnouerimus peccata, crediderimusque in eum. Ideoque hic locum habent pœnitentia & fides. De Fide disputauit Sermone 4. 5. & 6. Decad. 1. De Pœnitentia postea disseram Sermone peculiari: hic summam duntaxat rerum, & quantum illustrando euangelio satis esse putauero, perstringam.

Ipse dominus noster requirit in prædicatione euangelica, pœnitentiam & fidem: nec alia uia, cum ipse euangelium prædicaret, processit. Marcus enim, Venit Iesus in Galilæam, inquit, prædicans euangelium regni dei, & dicens, Impletum est tempus, instatque regnum dei, respicite & credite euangelio: nec aliter discipulos suos instruxit, cum eos ad prædicandum euangelium nationibus amandaret. Lucas enim habet, Christus discipulis suis dixit, Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Magistrum sequutus discipulus Paulus in Actis, Scitis, inquit, ut nihil suffugerim coram, quæ essent in rem uestram, quin annunciarem uobis & docerem uos publice & domestice, testificans Iudæis simul & Græcis, eam quæ erga deum est pœnitentiam, ac fidem quæ est erga dominum nostrum Iesum. Certe in epistola sua ad Romanos, qua methodice tractat euangelium, auspicatur euangelij prædicationem à peccato, Iudæos & Gentes peccati conuincens. Hoc autem facit hoc consilio & in hunc finem, ut quisquisque in se metipsum descendens agnoscat se nihil habere iustitiæ, sed ex sua natura filium esse iræ mortis, uel condemnationis, non quod talis peccatorum agnitio per se nos efficiat deo gratos, aut mereatur remissionem peccatorum ac uitam æternam, sed quod hominis animum suo modo præparet ad percipiendam fidem in Christum, adeoque ad ipsum Christum amplectendum, qui est iustitia nostra. Nam ualidi non opus habet medico, sed languidi. Ergo qui arbitrantur se sine peccatis mundos, uel iustos esse, Christum asperrantur: contra quæ animi morbos sentiunt, & ex animo fatentur se esse peccatores & iniustos, dissidentes suis meritis & uiribus, anhelant festinant ad Christum. Quod cum fit, offert se Christus in euangelio, promittens eis peccatorum remissionem & uitam æternam: quippe cum uenerit sanandis agris saluandisque peccatoribus. Cæterum promissio fide recipiatur Christus. non operibus recipitur, ideoque euangelium & in euangelio Christus fide recipitur. Etenim distinguendum erit diligenter inter præcepta & promissiones. Nam hæc recipiuntur fide: illa perficiuntur operibus. Unde Paulus dixisse legitur, Si ex lege est hæc reditas, non iam est ex promissione. Atqui Abraham per promissionem donauit

Euangelium docet pœnitentiam & fidem.

Quomodo recipiatur Christus.

Deus. Item apostolus ad Romanos conferens inter se legē & euangeliū. Iustitia, inquit, quæ est ex lege sic habet, Qui fecerit ea, uiuet in eis. Fidei autem iustitia si habet, Si credideris, saluus eris. Lex itaq; nititur operibus, quibus iustitiam tribuere uidetur. Sed quia nemo factis præstat legem, nemo certe per facta uel legē iustificatur. Euangeliū nō innititur operibus. Nam peccatores nihil in seipsis agnoscunt quàm peccatam. Totos enim corruptos se esse sentiunt: accitescendo confugiunt ad misericordiam dei, cuius promissis fidunt, sperantes se gratis consequuturos ueniam, & propter Christum receptos esse in numerum filiorum dei. Plura hic dicerem de Fide in dominū Iesum, de remissione peccatorum hæreditateq; uitæ æternæ, nisi in prima decade id fuisse proposuissem. Hinc obiter colligimus, Euangeliū non syncere prædicari, quando docetur propter opera uel merita nostra Christi uitam nobis communicari. Nam gratis sine omni respectu operum nostrorum, siue præcedentium, siue sequentium, per fidem saluamur,

Fide non operibus recipi Christum. Et quamuis hoc argumentum tractauerim semel & iterum in hisce nostris sermonibus, quia tamen in eo uoluitur cardo doctrinæ euangelicæ, & hoc dogma (nempe fide non operibus recipi Christum) à multis acerrime oppugnatur, duos tantum locos, sed maxime illustres, pro eius declaratione & confirmatione adducam, alterum quidem ex euangelio Christi domini, alterum ex epistolis sancti Pauli.

Euangeliū quomodo prædicari Christum. Dominus noster Iesus Christus compendium ueræ salutis traditurus, id est euangeliū uitæ prædicaturus Nicodemo, in euangelio Ioannis, auspicatur à pœnitentia, totumq; sibi ipsum eripit Nicodemum, nullis relictis ei meritis quibus fidere possit. Dū enim primam hominis natiuitatem prorsus damnat, ut quæ ad uitam æternam nihil conferat consequendam, quid quæso reliquit Nicodemo, in quo gloriari queat? Diserte enim dicit, Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit è supernis, non potest uidere regnum dei. Si prima natiuitas & eius facultates ad regnum dei possent prouehere, quid quæso opus erat natiuitate secunda? Secunda natiuitas fit opera spiritus sancti, qui cœlitus in corda nostra transfusus, inducit nos in cognitionem nostri, ut facile perspiciamus firmiterq; teneamus, adde & sentiamus in carne nostra non esse uitam aut iustitiam ullam: & proinde neminem suis uiribus aut meritis seruari. Quid ergo? Pergit spiritus & docet, sicuti & uox euangelij foris personat, fide nos per meritum filij dei seruari. Nam in euangelio ait dominus, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis

minis qui est in cœlo. Clarius enim alibi dicit, Nemo uenit ad pa-
 trem nisi per me. Et iterum ad Nicodemum, Sicut Moses exaltauit
 serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnino
 qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Moses au-
 tem suspendit serpentem in deserto ad salutem morientium è uene-
 no uel ex morsu serpentium. Moriebantur enim euestigio quos pu-
 pugissent dipsades, Quod si quis ueneno infectus æneum aspexis-
 set serpentem, innoxia reddebatur ueneni uis, neq; moriebatur as-
 fectus: Nec erat in castris Israelitarũ ullũ remediũ aliud, quàm hoc
 unicum: hoc quis spreuit, interijt. Non depellebatur enim uis ueneni,
 non seruabatur uita morientis, uel precibus ullis uel sacrificijs mul-
 tis, uel herbis salutaribus, uel ullo alio medicamine, uel ulla alia ra-
 tione. Si quis uoluisset euadere mortis periculũ, serpentẽ æneum su-
 spensum inspicere oportebat. Porro serpens ille æneus Christũ do-
 minum nostrũ præfigurauit: qui sublatus in crucẽ salus unica cõsti-
 tuitur à deo. Sed quibus obtingit illa salus? Aspicientibus exaltatũ.
 Aspiceret interpretatur dominus, & reponit pro eo credere. Proinde
 nulla opera, nulla media alia, nulla merita seruant nos à morte æter-
 na, à ui peccati seu ueneni ab antiquo serpente nobis omnibus affla-
 ti. Sola fides, quæ Christum credit propter peccata nostra exaltatum,
 in quo uno uita sit ac salus certissima, uiuificat. Audi quid his præte-
 rea subiungat dominus, Nicodemũ in uera fide adhuc plenius eru-
 diens, & causam salutis nostræ meram dei gratiam cõstituens, quæ
 fide percipiatur. Sic enim deus dilexit mundũ, inquit, ut filium suum
 unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum non pereat, sed ha-
 beat uitam æternam. Non enim misit deus filium suum in mundũ,
 ut condemner mundum, sed ut seruetur mundus per eum. Qui cre-
 dit in eum, non condemnatur: qui uero non credit, iam condemna-
 tus est: quia non credit in nomen unigeniti filij dei. En quid poterat
 dici clarius? Fide Christi participes efficimur. Fidem toties repeten-
 do inculcauit, ne quis de tam illustri doctrina uel tantillum addu-
 bitaret. Si uero hic parum apud te ualet Christi autoritas, cuius
 quæso ualebit? Sed ualet, fat scio. Audi tamen adhuc dilectum do-
 mino discipulum in epistola sua hæc domini uerba ueluti declaran-
 tem declarandõq; reperentem & toti mundo ualidissime inculcan-
 tem atque clamantem, Si testimonium hominum accipimus, testi-
 monium dei maius est: quoniam hoc est testimonium dei, quo testi-
 ficatus est de filio suo, Qui credit in filium, habet testimonium in se-
 ipso. Qui non credit deo, mendacem facit eum: quia non credidit in
 testimonium quod deus testatus est de filio. Et hoc est testimonium,

1. Ioan. 5.

quod uitam æternam dedit nobis deus, & hæc uita in filio eius est. Qui habet filium, habet uitam: qui non habet filium dei, uitam non habet. Habere autem filium dei quid aliud est quàm credere? Nam hic sensus colligitur ex præcedentibus: quæ tam sunt clara, ut his ali quid addere, non sit agere aliud, quàm ex orientem solem iuuare aut illustrare uelle candela aliqua sebacea.

*Euangelium
quomodo
prædicauerit
Paulus.*

Iam ad locum Pauli descendimus. Extat is in 3. & 4. cap. ad Romanos, Absque lege, ait, iustitia dei manifestata est, dum comprobatur testimonio legis & prophetarum. Prædicat hoc loco Paulus euangelium luculentissime. Non enim scio si ullibi hoc fecerit clarius. Docet autem quomodo iustificemur apud deum, quæ sit uera iustitia & salus hominum, & per quid obueniat nobis. Dicit iustitiam dei, id est, quam confert deus, uel quæ consistit & ualet coram deo, reuelari absque lege, id est, obtingere nobis nullo legis adminiculo, nimirum nullo præsidio uel merito operum legis. Quod enim attingit testimonium legis, adde & prophetarum, testificantur concorditer, dei iustitia iustificari credentes. Porro quæ nam sit dei iustitia mox sequitur, Iustitia uero dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt. Iustitia, inquit, qua de loquimur, quæ iustificat & saluat, non est hominis uel humana, sed dei uel diuina iustitia. Ut enim solus deus iustus est, ita iustitia dei uera & sola est iustitia saluans. Communicat is eam per fidem Iesu Christi, nempe si credamus in Christum. Nec hic excluditur à iustitia uel salute ullus. Diserte enim dicit Paulus, In omnes & super omnes, qui credunt. Proinde omnes credentes in Christum dei filium pro iustis reputat deus. Causam autem cur dei non hominis iustitiæ salutem tribuat, uel cur euangelium dei nobis iustitiam commendet, subiungit, & ait, Non enim est distinctio: omnes enim peccauerunt, ac destituuntur gloria dei. Quia enim omnes homines natura sua gloria dei destituuntur, carentes utique uera imagine dei ad quam erant conditi ab initio, certe omnes iniusti sunt ac peccatores: proinde nulla est in eis iustitia, nihil habent quo apud deum gloriantur. Peccatores enim à tribunali dei quid obsecro reportant aliud, quàm confusionem & ignominiam? Et quia omnes homines tales sunt, non temere subdit apostolus, Iustificantur gratis per illius gratiam, per redemptionem in Christo Iesu: quem proposuit deus propitiationem uel reconciliationem per fidem in eius sanguine. Quod perinde est ac si dixisset, Mera dei gratia uel misericordia, & nullo merito planè, propter Christum iustificantur homines: si uidelicet credant quod deus filium dederit mundo, ut sanguinem suum funderet, &

pecca

peccatores purgatos reconciliaret deo. Quibus uerbis significantis *Modus & ratio iustificandi* sine modus & ratio tota sanctificandi, purificandi, uel iustificandi *& ratio iustificandi* plenissime est exposita. Sed præstat apostoli uerba repetere, & penitus considerare. Iustificantur gratis, ait. Quare uero gratis? Quia uel purgandi per meram dei gratiam, nullo se nostro merito aut opere admittentem. Omnes enim homines peccatores sunt: unde nihil quod adferant habent: ideoque gratuito iustificantur. Nam idem apostolus in 1. ad Romanos cap. Si per gratiam, ait, saluamur, non iam ex operibus: quandoquidem gratia, iam non est gratia: sin ex operibus, iam non est gratia. Verum sequitur mox in Paulo, quod clarissimum alioqui negotium adhuc illustret magis, Per redemptionem, quæ est in Christo. Gratia meræ opus est salus & iustitia nostra: quia redempti sumus. Quod enim nos nostrasque uires & opera nostra attingit, serui eramus diaboli & mortis, quia peccatores. Deus autem misso filio redemit nos, cum adhuc dei hostes uincti teneremur. Ergo gratis redemit: quod & Isaias propheta in 52. cap. non obscuris uerbis futurum prædixit. Cæterum, non est in alio quoquam, quam in Christo domino nostro, salus uera. Proposuit enim æterno suo consilio cælestis pater filium suum dominum nostrum Iesum Christum propitiationem, nimirum ut is esset reconciliatio nostra, propter quem placatus nos adoptat in filios dei. Verum non alia ratione, quam per fidem in eius sanguinem. Id est, si credamus missum à patre filium effudisse sanguinem, quo purgatos nos iustos & sanctos statuat deo patri. Vbi iterum uidemus, fide in Christum gratis constare salutem nostram.

His ad hunc modum expositis, protinus quam late pateat redemptionis, iustificationisue beneficium indicans, subdit, Ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præteritorum peccatorum quæ deus tolerauit: ad ostendendam iustitiam suam in præsentem tempore. Proposuit deus Christum, inquit, unicam propitiationem, ut ostenderet unicam esse omnium sæculorum iustitiam, ipsum, inquam, Christum, & eorum quidem iustitiam qui credunt. Duo autem tempora commemorat, Verus illud patrum, & nostrum quo hodie uiuimus. Verus præcedit aduentum Christi, nostrum sequitur extenditurque usque in finem sæculi. Et ueteris quidem sæculi peccata tolerauit deus sua illa longanimitate, propter Christum, per quem condonauit. Nec nobis hodie aliam proponit iustitiam quam Christum, fide percipiendum. Nam minime obscuris uerbis ab apostolo subiungitur. In hoc ut ipse sit iustus, & iustificans cum qui est ex fide Iesu. Quasi dicat, Hæc autem huc tendunt, ut intelligamus omnes homines esse

Quos reo demerit Christus.

iniustos & peccatores, solum autem deum esse iustū, extra quem nulla sit iustitia: iustitiā uero suam omnibus cōmunicare quotquot credunt in Christum, nimirum quod propter ipsum nobis placatus sit pater, & quod propter ipsum reputemur iusti & sancti.

*Errores.
refutatur.*

His apostoli uerbis refutantur duo ualde impij & blasphemi errores quorundā. Alter eorū est qui aiunt patres nostros non fide in Christum, sed per legem & merita propria esse iustificatos. Christū enim passum esse nō p̄ illis, sed dūtaxat pro sui sæculi hominibus & insequentibus. Alter est dicentū Christū pro ueteribus, p̄ originali duntaxat peccato, nō p̄ nobis aut pro nostris omnibus peccatis peritasse, ideoq; nos p̄ nostris oportere satis facere. Apostolus aut̄ Paulus hoc loco cōdemnat utraq; sententiā. Nam & beatus Ioānes euangelista S. Paulo accinens, Sanguis, inquit, filij dei emūdat nos ab omni peccato. Ipse enim est p̄pitatio pro peccatis nostris; non pro nostris autē tantum, sed etiam pro totius mundi. Itaq; meritum redemptionis Christi extendit se ad omnes utriusq; testamenti fideles.

Pergit apostolus Paulus & ijs quæ p̄posuit inferi, Vbi igitur gloriatio? Exclusa est. Per quam legem? Operum? Non, imō per legem fidei. Colligit doctrina euangelica hætenus proposita de fide iustificante, omnem propriæ iustitiæ gloriationem, omnem de meritis iactationem sublatam euanuisse. Non per legem operum, id est, per doctrinam de operibus, quæ nos ferē inflare solet: sed per legem fidei, id est, per doctrinam fidei, quæ euacuat nobis nihil nisi humilem inopiæ confessionem relinquit, gratiæq; in Christo omnia tribuit. Tandem uero principalem propositionē colligens inferi, Constituimus ergo, fide iustificari hominem absque operibus legis. Hæc summa est breuissima totius euangelij, iustificari nos, id est, absolui a peccatis, a lata mortis uel condemnationis sententia, sanctificari autem & adoptari in numerum filiorum dei, fide, id est, fiducia in nomen Christi, qui datus est nobis saluator a patre unicus. Et hic nominatim excluduntur opera, ne ulla nobis suppeditetur occasio implecandi fidem operibus, aut operibus eam tribuendi gloriam, quæ uni fidei uel potius Christo domino, cui fides inniuitur, debetur.

Propositionem autem propositam confirmat mox argumentis, simul indicans, hanc salutē cōmunem esse Iudæis & Gētibus, dicens, An Iudæorum deus tantum? An nō & Gentium? Certe & Gentium. Quandoquidem unus deus qui iustificabit circuncisionem ex fide: & præputium per fidem. A natura dei quod dixit confirmat. Unus est dūtaxat deus, natura sua uita & iustitia. Et hic est Iudæorū & Gentium deus; ergo utriusq; gentis uita est & iustitia: quam fide confertur fides.

fides ergo iustificat. Hoc declaratur uel Cornelij Centurionis exemplo. Iustificatur enim, imò iustificatus uisibiliter demisso spiritu sancto comprobatur, cum nec circumcisus esset, nec seruasset legem, sed audisset modo euangelij prædicationem ac credidisset in Christum. Cæterum non solum Cornelium deus sic iustificauit, sed omnes alias gentes iustificabit fide: neq; aliter quàm per fidem Iudæos quoq; purgabit. Sequitur in Paulo, Legem igitur irritam facimus per fidem. Absit. Imò legem stabilimus. Solent enim operum uel potius iustificationis operum assertores obijcere, Si fides in Christum iustificat sola, inuutilis est ergo lex uel legis doctrina. Quorsum enim præcipitur ut bona faciamus opera, si non iustificant? Responder apostolus, Fide non aboleri legem, imò stabiliri magis. Cum enim fides in Christum rectà tendit, in quo omnem plenitudinem querit & inuenit: ac lex ipsa prædagogus est ad Christum, omniaq; sub peccatum concludit, ut iustificatio ex fide deur credentibus, clarum est fidei doctrina legem minime destrui aut obscurari, sed confirmari, illustrariq;.

Pergit apostolus in confirmatione sua & dicit, Quid igitur dices? *Quomodo* Abraham patrem nostrum inuenisse secundum carnem? Nam *Abraham* si Abraham ex operibus iustificatus fuit, habet quod gloriatur: at nō *pater fidei* apud deum. Quid enim scriptura dicit? Credidit Abraham deo, & *lium sit iu-* imputatum est ei ad iustitiam. Multa quidem sunt sanctorum pa- *stificatus.* trum exempla: uerum apostolus sibi ex omnibus Abrahæ solius proposuit tractandum. Nam in scripturis appellatur pater credentium. Vnde certum est, liberos ad eum modum fore iustificandos, ad quem modum pater iustificatus docetur. Id quod apostolus discretis uerbis expressit in fine capituli 4. Deinde Abraham multis clarus fuit operibus bonis, præ cæteris sanctis patribus: ergo si quis alius potuisset iustificari suis operibus uel meritis, potuisset præ cæteris Abraham. Sed quia fide non operibus iustificatus est, constat omnes sanctos fide nō operibus & iustificatos esse, & iustificari. Præterea uixit ante legem per Mosen reuelatam annis 430. unde opera eius nequaquam possunt à contentiosis oppugnantibus iustificationis fidei, appellari opera legis. Ergo quæ fecit opera, ex fide fecit, & opera eius fuerunt opera fidei, nec tamen ijs est iustificatus; sed fide. Manet ergo omnis iustificationis gloria fidei, & illibata quidem ac impermixta. Quid, inquit, dicemus Abrahamum patrem nostrum inuenisse secundum carnem, quatenus uidelicet homo est & nos ex ipso. Quid inquam dicemus illum meruisse? Ad hanc interrogationem respondenda est responsio, Nihil inuenit, nihil operibus suis meruit. See

quitur enim probatio, Si operibus meruit aliquid uel iustificatus est Abraham, habet quod gloriatur. Atqui non habet quod gloriatur ergo operibus non est iustificatus. Deus enim solus iustus est, & hęc suam gloriam sibi incommunicatam alijs soli retinet, iustificans gratis eos qui sunt ex fide Iesu Christi, ut laudetur gratia eius. Cęterum ipse Paulus adducto scripturę loco, ostendit Abrahamum non habuisse unde gloriaretur. Quid enim, inquit, scriptura dicit? Credidit Abraham deo, & imputatum est ei ad iustitiam. En clarissime dicit scriptura Abrahamum fide esse iustificatum, imò fidem imputatam esse pro iustitia, adeoq; Abrahamum propter fidem iustum fuisse reputatum à iustissimo deo. Sed audiamus ipsum Paulū instituto suo locum scripturę applicantem. Sequitur ergo, Ei uero qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Porro ei qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiam. Quę sane uerba in huiusmodi ratiocinationes breues concludi possunt, Quisquis opere suo aliquid promeretur, ei certe merces ut debita redditur, nō gratis imputatur. Imputatur autem Abrahę fides ad iustitiam: ergo iustitiam non ut mercedem debitam, sed gratuito accepit. Et iterum, Ei qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides ad iustitiam, Abrahę autem imputata est fides ad iustitiam: ergo fide consequutus est iustitiam, non operibus. Habet autem emphasim quod dicit, Sed credit in eum qui iustificat impium. Significatur enim iustificandum nihil asferre, nisi miserię, imò impietatis proprię agnitionem, quę misericordiam quęrat. Intelligit enim se destitui operibus perfectis, & coram iudicio dei subsistere potentibus. Confugit ergo ad misericordiam dei, pro certo pręsumens, fidei iustitiam esse pręsidium peccatoris gratuito saluandi. Obseruandum hic iustitiam Christianam dici & esse imputatiuam. Quod sanè omnem nostram gloriationem confringit. Oponitur enim debito, imputatio. Nullo nobis debito obstringitur deus propter nos aut propter nostra opera, nisi quatenus ipse se nobis obstrinxit ex misericordia. Et multa sunt in nobis quę iustitię perfectionē impediunt. Vnde Dauid clamauit, Ne intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in cōspectu tuo ullus uiuens. Deus ergo gratuito nobis imputat iustitiam fidei: id est reputat nos pro iustis, quia credimus ipsi per filium. Sic in euangelica parabola legimus dominum dixisse, Cum autē debitores non essent soluendo, condonauit utrisq; debitum. Condonat enim & nobis debita siue peccata deus, non reputans illa nobis, sed nos pro iustis habens propter Christum.

*Christiano
rū iustitia
imputatiua*

Clarise

Clarissime etenim testificans in epistola ad Corinthios secunda, idem hic Apostolus, dicit, Erat Deus in Christo, mundum sibi reconcilians, non imputando hominibus peccata. Deinde continuo post adijcit, Eum qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatū fecit, ut essemus iustitia Dei in illo. Quid apertius requiras, quā nos coram Deo iustos censerī, quia Christi sacrificio expiata sint peccata nostra, ne amplius sub reatu nos teneant?

Pergimus & alia S. Pauli argumenta, non minus firma quā hęc hactenus fuerunt, recensere. Sequitur, Quemadmodum & Dauid explicat beatificationem hominis, cui deus imputat iustitiam absq̄ operibus, Beati quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum obiecta sunt peccata. Beatus uir, cui non imputauerit dominus peccatum. Principio claris & disertis uerbis quid intendat adserere uel confirmare, exprimens constituit, nempe sanctis deum imputare iustitiam absq̄ operibus. Quid poterat dici clarius? Id ut commonstret testimonium Dauidis profert, quod membra ferē uia habet. Principio, Beati, inquit, quorum remissæ sunt iniquitates. Deinde, Beati quorum obiecta sunt peccata. Postremo, Beatus uir cui non imputauerit deus peccatum. Vis autem argumentationis seu demonstrationis est in uerbis Remittere, Obtegere & Non imputare. Remittit creditor debitori quod nō numerauit, siue uero numerare possit siue non possit. Nos deo hic annumerare nihil possumus. Remissio ergo meræ liberalitatis & gratiæ munus est. Non enim potest creditor remittere quod annumeratū est. Cum hoc facit uocabulum Donare, & donum in scripturis, in hac eadem causa eodem modo usurpatum. Vnde Paulus, Deus Abrahæ donauit, ait, hereditatē: ergo nō meruit operibus. Obtegitur autē res aliqua sc̄da oculos offendens hominū, interim uero res sc̄da laet adhuc sub tectorio, licet oculis hominū non appareat, Et peccata nostra contegit misericors dominus, non ut non sint, sed ne appareant aut iudicentur. Id quod gratiæ est munus, non meriti, Tectorium enim aliud non est, quā sanguis filij Dei: propter hunc enim nō damnamur peccatores. Iam uero iure posset nobis dominus imputare peccatū: sed ex gratia nō imputat. Omnia hęc euidenter confirmāt atq̄ demonstrant, iustitiam gratuito per fidem absq̄ operibus imputari nobis.

Idem hic Pauli ex Dauide sumptus locus et alia nobis controuersa dogmata discutit & illustrat. Discimus enim quod iustificatio aliud nihil sit quā beatificatio, peccatorū remissio, & adoptio in numerum filiorum dei. Discimus Paulum loqui non tantum de operibus legis cæremonialibus, sed de omnis generis sanctorum bonis

Quid Dauid
uid senserit
de iustifi-
catione.

operibus. Discimus item remitti & condonari & peccata & iniquitates, id est omnia omnis generis peccata fidelium. Discimus præterea plene remitti peccata, non culpam duntaxat sed etiam pœnâ: quam quidam aiunt retineri: non enim imputat peccata. Alibi dicit se peccatorum nullam prorsus memoriam habiturū. Postremò discimus satisfactiones pro peccatis ab hominibus inuentas, uanissimum esse commentum, ex diametro pugnans cum doctrina apostolica.

Adduxi hucusq; locos maxime illustres, alterū quidem ex euangelio Christi, alterū ex epistola ad Romanos Pauli, quibus demonstrare uolui, Christum per euangelium nobis annunciatū, non operibus sed fide recipi: ac spero me diuinis testimonijs rem maxime momenti sic declarasse, ut nemo sit porrò qui anceps & dubius hæreat. His illud maxime certe necessarium adijcio, omnibus in ecclesia Christi sanctis & bonis uiris modis omnibus annitendum, ut impolluta & sincera hæc euangelij doctrina maneat. Nullo enim modo admittendum est, ut iustificationis portio fidei & misericordiae Dei, portio operibus, fidei & meritis nostris transcribatur. Id enim si fiat, actum est de euangelio. Vrgendum ergo unice & incessanter omnibus nobis censeo, fide absq; operibus, gratia, inquam, & misericordia Dei per solum Christum iustificari, saluari uel beari credentes. Ac multas quidem ob causas hoc dogma euāgelij syncerum & incōmixtum seruari oportere in ecclesia arbitror, maxime uero propter has sequentes.

Quare dogma de fide absque operibus, iustificante, syncerū in ecclesia retinendum.

Principio cōstat iam sæpe repetitam doctrinam de gratia Dei in filio suo unico per solam fidem iustificante, tot inde à mundi exordio diuinis testimonijs, demonstrationibus determinationibusq; etiam irrefragabilium conciliorū, & propositam & inculcatam esse, ut ipse omnium sæculorum in ueritate cœlitus reuelata consensus sanctissimorumq; in toto mūdo hominū autoritas nos inuiter ad retinendū dogma illud impollutū. Habemus beati patris nostri Abrahamæ iustificationē non ab obscuro aliquo auctore, sed à doctore gentium organoq; Dei selectissimo Paulo, paucis ante expositam. Habemus gloriosissimi regis Dauidis, uiri parati secundum cor Dei, proauī Christi domini nostri, doctrinā de iustificatione ab eodem enarratam apostolo Paulo. Fuerunt autē in ecclesia Dei semper primæ autoritatis Abrahamæ atq; Dauid. Quibus accedit eorum omnium prophetarū collegium. Petrus enim apostolus, Christo omnes prophetæ, ait, testimoniū serūt, quod remissionem peccatorū accepturus sit per nomen eius quisquis crediderit in eum. Sed & modo ex ore Pauli audiuius, iustitiam Dei gratis per fidem absq; lege collatā, compro-

comprobari testimonio legis & prophetarum. Habemus ipsum quod
 dei filium Iesum Christum dominum nostrum, autoritate omnes in
 mundo prestantissimos longe excellentem. Is ueluti Concilij quibus
 dam celebratis definit quod modis omnibus retinendum suademus.
 Collectis enim discipulis suis apud Cæsaream Philippicam interro-
 gavit quid de ipso sentiant. Respondentibus autem uarie, ex diuersis
 uulgi opinionibus, certam ex ipsis confessionem requirit. Hic Pe-
 trus omnium nomine, Tu es, inquit, Christus ille filius dei uiuentis.
 Ad quem dominus dixit, Beatus es Simon bar Iona, quia caro & san-
 guis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in caelis. Duo his deter-
 minat. Prius, Veram fidem beatificare. Nec dubium quin beatifican-
 di uerbo utatur sicuti modo in Paulo usurpatum ex Dauide audi-
 uimus. Posterius, Fidem beatificantem non esse opus nostrae natu-
 rae, sed donum dei caeleste. Deinde uero Simoni Petro ex memora-
 bili illa uerae fidei confessione nomen imponit, ad aeternam rei me-
 moriam, & ad mysterij huius significationem in omnium animis
 retinendam. Petrus Christum petram erat confessus. A petra ergo Pe-
 trum denominat, quasi tu dicas uiuo lapidi uiuum impositum, & a
 Christo Christianam. Imò ne quis uniuersale negotium ad catho-
 licam ecclesiam pertinens, ad unum Petrum astringeret, ipse dominus
 uniuersali ecclesiae ista adaptat, & dicit, Et super hanc petram aedifi-
 cabo ecclesiam meam; & portae inferorum non praeualebunt aduer-
 sus eam. Quasi dicat, Quod modo in te factum est Petre, posthac fiet
 in omnibus fidelibus. Tu per fidem mihi petrae impositus & mem-
 brum ecclesiae factus es. Constituo ergo, ut quisquis me petra confite-
 tur, sit membrum ecclesiae, beatus, iustus, a diabolo & ui mortis libe-
 ratus. Erit confessio tua, id est, ego Christus dei filius, quem confessus
 es, fundamentum ecclesiae: cui qui fide imponuntur, salui & beati fu-
 turi sunt. Nam & Paulus dixit, Fundamentum aliud non potest poni,
 quam quod positum est, quod est Iesus Christus. Et Ioannes aposto-
 lus, Haec est uictoria, ait, quae uicit mundum, fides uestra. Iam ne Petrus
 cum alijs condiscipulis nesciret qua uia alij homines in consortium
 ecclesiae & communionem cum Christo admitterentur, subiungit pro-
 titus, Et dabo tibi clauas regni caelorum: & quicquid solueris in terra,
 erit solutum & in caelis, &c. Clauas autem dedit cum apostolos ad praed-
 icandum euangelium amandauit. Praedicatione ergo euangelij (quae
 clavis est regni caelorum) aperitur caelum & indicatur uia quomodo
 Christo & ecclesiae inserti haeredes fiamus uitae aeternae, nimirum per
 fidem in Christum, quam docet nos Christi euangelium. Haec de Cae-
 sariensis. Concilio haecenus. Extat apud Ioannem aliud, Capernaui

ticum, frequens & celebre, In magna enim discipulorū & hominū frequentia determinat, fide in Christum uitam parari æternam: nec aliam esse uiam ad uitam perueniendi, nisi edamus eius carnem, & bibamus eius sanguinē: id est, nisi in ipsum credamus. Cumq; inter auditores schisma fieret multis à Christo deficiētibus, rogat discipulos suos intimos, num & ipsi uelint apostatare, respondit Petrus omnium nomine, Cum in te Christe salus sit & uita, non possumus uita participare cupientes à te diuertere, ideoq; per fidē tibi firmiter & æternum adhærebimus. Porro Concilia hic cōmemoranda ueniunt apostolica duo, Alterum quidem nemo negauerit fuisse uere œcumenicum, Erant in eo uiri religiosi ex omni natione earū quæ sub cœlo sunt. In eo disertissimis uerbis docuit Petrus, Christū esse salutem mundi, cui qui credit habeat uitam æternam. Notus est locus Acto, cap. 2, Apud principes Iudæorum idem apostolus demonstrat non in alio quàm in Christo esse salutē. Exiit locus in Actis apost. cap. 3. Idem facit apud Gentium primitias, apud Cornelium & suos cap. 10. Alterum concilium & ipsum fuit celeberrimū, & omnibus doctibus maximis instructissimū, & describitur Acto. 15. In eo obtinuit hæc propositio, fidem absq; operibus gratis iustificare, De qua re aliās copiose disserui. His uero omnibus ostensum uolo, ideo dogma de iustificāte absq; operibus fide, in ecclesia impermixtū & syncerum retineri oportere, quia, ut sic dicā, catholicissimum & irretractabile est: cui hic quoq; ab apostolo Paulo anathematisimus accessit, Etiam si nos aut angelus è cœlo prædicarit uobis euangelium, præter id quod prædicauimus uobis, anathema sit.

*Vide Serie
in Acta ap
postol. Et
Sermonem
tertiæ De
cadis octa
uum.*

Secunda causa cur præstet hoc dogma syncerum retinere in ecclesia, illa est, quod hoc uel luxato, periclitabitur gloria Christi. Hæc enim & obscuratur & corrumpitur in animis hominum (in seipsa manet alioqui integerrima & illustrissima semper) si iustitiam quam coram deo consistimus cœperimus etiam partiri nostris operibus ac meritis. Hæc enim est gloria filij dei, quod aliud nomen sub cœlo non est datū hominibus in quo oporteat saluos fieri. Hinc dixit Paulus, Christus uobis factus est otiosus, quicumq; per legē iustificamini à gratia excidistis. Et iterum, Non asperrnor gratiam dei. Nam si per legem est iustitia: igitur Christus frustra mortuus est. Si frustra mortuus est, perijt gloria crucis Christi.

Tertia causa est nostræ salutis certa & constantissima ratio. Incer-
tissima esset salus nostra si à nostris penderet meritis atq; operibus,
qui propter agnatam nobis corruptionem, nisi insaniamus profusus,
cum Iobo dicimus, Si habuero quippiam iustum non respondebo,
sed

sed meum iudicem deprecabor. Paulus ergo recte pronunciauit, Si ex lege hæreditas est, inanis facta est fides, irrita facta est promissio. Propterea ex fide, ut secundū gratiā, quo firma sit promissio uniuerso semini.

Quarta causa est, quod hac doctrina maxime reparatur in nobis imago dei, ad quā initio sumus conditi. Fide enim in nobis habitat & uiuit Christus, qui humilitate nostra delectatur. Excitatur autē in nobis imago diaboli, cum in nobisipsis superbire & gloriā dei usurpare incipimus. Hoc fit proculdubio, cum nobisipsis iustitiam & salutem attribuimus: quasi nostris operibus & meritis regnū dei pro mereamur. Diabolus superbit conaturq; ad se gloriā dei rapere. Sancti agnoscunt se uera dei gratia misericordiāq; saluari; unde omnem deo gloriā tribuūt, sibi confusionē & ignominiā. Quo haud dubie pertinet parabola euangelica de pharisæo gloriantē in suis bonis operibus, & de publicano clamante, Deus propitiū esto mihi peccatori: quorum hic magis quā ille iustificatus in domū suam descendisse legitur.

Quinta causa est, peccati æstimatio. Certe non grandis uideatur culpa quam coram deo diluere possunt humana opera. Verum scriptura sancta demonstrat peccata non potuisse expiari, nisi ipsius filij dei morte & sanguine innoxio. Inde uero cordatus quisq; colligit, peccatum in oculis dei rem esse longe deterrimam atque prorsus horribilem. Vnde mox exoritur in sanctis diligens contra peccatum uigilia, & perpetua sortis nostræ, profecto miserrimæ, deploratio & humilitas modestiāq; exquisitissima. Possē his adhuc plures atterere causas, cur modis omnibus omnes adniti & laborare deceat, ut dogma hoc, Gratia dei, in unigenito dei filio, per fidem, non per opera iustificari ecclesiam catholicam, syncerum & impermixtum retineatur in ecclesia: sed has minime contentiosis sufficere spero. Nullum hic periculum est ne uilescant opera bona. De quibus dixi suo loco. Si qui uero contra manifestam ueritatem euangelicam rixari perrexerint, ihs illud Pauli obijcio, neque nos neque ecclesias dei in huiusmodi aperta luce alterari.

Summa uero omnium eorum quæ hactenus de euangelio disserui, hæc est, Omnes quotquot in mundo sunt homines sua natura seruos esse peccati, diaboli mortisq; æternæ, nec solui, nec liberari posse ulla re alia quā gratuita dei gratia & redemptione quæ est in unigenito dei filio domino nostro Iesu Christo. Cuius quidem redemptionis fiant participes soli credentes. Nam qui per ueram fi-

DE POENITENTIA.

dem filium dei, euangelio annunciatum, recipiunt, simul iustifican-
tur, id est, absoluuntur à peccatis suis, sanctificantur, fiuntq; hære-
des uitæ æternæ. Qui uero per incredulitatem cordisq; duritiem,
Christum non recipiunt, æternis pœnis & uinculis sunt addicti.
Nam ira dei manet super eos. Agamus ergo gratias redemptori no-
stro deo, obsecrantes ut nos in uera fide retineat, prouehar, & in ui-
tam æternam perducatur. Amen.

De Pœnitentia & causis eius. De Confessione & remissione pec-
catorum, de Satisfactione & Indulgentiis, de Vetere & Nouo
homine, hominisq; uiribus, & reliquis ad pœnitentiam pertinenti-
bus. SERMO II.



ROMISI proximo Sermone, habito de Euangelio Ie-
su Christi, dissertationē De Pœnitentia, quam hodierno
Sermone, Deo & uestris precibus adiuuantibus, profe-
ram in medium.

Pœnitere.

Pœnitere dicuntur Latini, quos tædet atq; pudet rei commissæ.
Beneficium contulisti, arbitraris te contulisse indigno, ideoq; doles:
is dolor est pœnitentia. Germani appellamus *Den rûwen*. Græci
nominant *Metanœam*, Tradunt autem eius linguæ peritiores *Metanœ*
uôiv à posterius intelligendo dici: ut *metanœa* ibi proprie locum ha-
beat, ubi homo lapsus, re perperam peracta, demum in se redit, & de
& ad opus. Qui enim intelligit se deliquisse, de emendatione con-
sultat. Ita iam displicere incipit, quod olim placuit: ita fugis modo,
quod sectabaris aliquando cupidissime. Porro Hebræi uocant pœ-
nitentiam *Theſchuah*, nimirum conuersionem uel reditiōem aut re-
uerſionem in uiam & ad mentem. Videtur metaphora sumpta ab
illis qui aberrarunt ab itinere, sed redeunt in uiam tandem. Id quod
ad mentem & ad mores factæue hominum transfertur.

Vſus uo-
cabuli.

Pœnitere
dei quidē

Est autem uarius huius uocabuli usus. Significat enim mutatio-
nem consilij concepti aut rei alicuius. Nam per Ieremiam dicit do-
minus, Si conuersi fuerint à malo, pœnitebit & me mali quod
eis irrogaturus eram. Pœnitet ergo deum, cum institutum mutat:
non pœnitet, cum non mutat. Paulus, Sine pœnitentia, ait, sunt
dona & uocatio dei. Et Dauid, Iurauit dominus, & non pœnitebit
eum. Alicubi pœnitentia deo tropice tribuitur secundū affectum hu-
manū: ut cum dicit, Pœnitet me fecisse hominē. Alioqui. sua natura
deum.

deum non pœnitet, more humano, ut uidelicet dolore tangatur, & ei displiceat modo quod placuerat prius, sed mutat factum. Apud scriptores ecclesiasticos pœnitere dicuntur, qui peccata commissa, præscripta per formulam pœnitendi pœna, luunt. Scriptura alicubi usurpat per toto euangelij negotio. Sic in Actis legimus Gentibus deum concessisse pœnitentiam ad uitã. Sed in hac disputatione nostra usurpabimus pro conuersione ad dominum, pro agnitione peccatorum, pro dolore propter peccata commissa conceptio, pro mortificatione & inuouatione uitæ, breuiter pro mutatione, emendatione uel correctione uitæ in melius: id quod Germanice uocamus *Besserung/Ënderung* oder *Besserung*.

Nec minus uarie definita est à scriptoribus Pœnitentia: consensu tamen omnes esse conuersionem ad deum, pristinaeque uitæ & pœnitentiæ immutationem. Dicimus itaque pœnitentiam esse ueram ad deum cõuersionem, qua ex timore dei sincero humiliati, peccata nostra agnoscimus, ueteremque hominem mortificantes, spiritualiter inuouamur. Habet hæc definitio capita, quæ paulo fusius sparsa explicataque diligentius, totam nobis naturam pœnitentiæ exponunt oculisque subiiciunt.

Quid sit pœnitentiæ

Principio dicimus pœnitentiam ueram esse ad deum conuersionem. Nam paulo post ostendemus duplicem esse pœnitentiam, ueram & falsam. Et Petrus apostolus, Pœnitementini, inquit, & conuertimini, ut deleantur peccata uestra, consequenti ueluti interpretans, quid intellexerit per præcedens, per pœnitentiam utique conuersionem, certe ad eum, à quo erant auersi. Nam aliquis est respectus inter conuersionem & auersionem. Si nunquam auersus fuisses, nulla certe opus esset conuersione. Auersi autem sumus omnes à Deo uero, iusto & bono, & à sancta eius uoluntate, ad diabolum et ad prauam uoluntatem nostram. Oportet itaque rursus conuerti nos à diabolo, & à uita menteque pristina praua, ad deum uiuentem, & ad sanctam eius uoluntatem. Significanter uero dicimus ad deum, non ad creaturas, non ad ulla præsidia humana. Dicit enim apud Ieremiã dominus, Si reuertu uolueris Israel, ad me reuertere. Proinde qui non cõuertunt ad Deum, nec eius uoluntati sanctæ se conformant, utique ad creaturas, & ad alia ab hominibus inuenta media, conuertant, reuera inter pœnitentes habendi non sunt.

Conuersio ad deum.

Porro nemo est qui hic non uideat ad pœnitentiam in nobis excitandam, opus esse predicatione uel doctrina ueritatis, quæ nos doceat quis sit deus ad quem conuertamur, quid bonum & sanctum, ueritatis ad quod conuertamur, quis diabolus, et quid malum & falsum, à quo

Opus est doctrina ueritatis.

DE POENITENTIA.

auertamur, deniq; quid in mente & uita nostra emendandum sit, & quomodo. Certe prophete & apostoli domini ad poenitentiam adhorantes homines, multu & diu haerent atq; laborant in describenda dei natura, bonitate, iustitia, ueritate & misericordia, in describendis uitae legibus officijsq; hominu item in accusandis & exaggerandis peccatis hominum, quibus minas graues & horrendas diuini iudicij hypotyposes coiungunt: id quod in prophetis ubiq; ium legitur. Ideoq; no desunt qui in praesenti iubeant hominibus, quos ad poenitentia pertrahere uolumus, lege praedicare: qd ut non oppugno, sed maxime approbo, ita simul admono praedicatione quoq; euangelicam obijcere hominibus peccata, & accusare grauiter. Dominus enim in euangelio dicit, Cu uenerit spiritus sanctus, arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me. Vnde S. Petrus in Actis apostolorum, Peccata Iudaeis comissa exprobras simul & Christum fideiq; in Christum praedicans, adhortatur Iudaeos ad poenitentia. Notissimi sunt loci in cap. Acto. 2. & 3. S. Paulus Athenienses pertracturus ad poenitentia, dicit, Tempora huius ignorantiae, cum deus hucusq; dissimulauerit, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubiq; respiciant, eo quod statuit diem, in quo iudicaturus est orbem terrarum, cum iustitia per Christum. Discat hic quibus commissum est homines doctrina pertrahere ad poenitentiam, multa libertate & prudentia uti ut omnes peccatum suum & peccati grauitatem agnoscant. Praeterea excitat deus homines ad poenitentiam, non tantum uerbo suo, sed etia uarijs afflictionibus & poenis. Imo omnes mundi calamitates sunt conciones quaedam inuitantes ad poenitentiam. Ut enim nihil ex prophetarum scriptis adducam, an non dominus noster in euangelio, audita strage, quam ediderat Pontius Pilatus, caesis Galilaeis, calamitateq; decem & octo hominum, quos ruinae turris in Siloe oppresserat, protinus ita pronunciat, An arbitramini illos praeteris fuisse peccatores? Non certe: imo nisi resipueritis, omnes simul peribitis. Certum est itaq; bella, famem & pestes semper omnes nos inuitare ad poenitentiam, hortari inquam ut sceleribus calcatis ad deum conuertamur studeamusq; integritati.

Timor dei in poenitentibus. Porro frustra praedicatur nobis poenitentia, nisi timore in animis nostris concepto, iudicium uel iram dei propter commissa peccata, reuereamur. Excitat hunc quidem foris doctrina & disciplina exterior, sicuti modo commemorauimus, uerum nihil efficit sola, nisi in animis nostris comoueamur a spiritu dei sancto. Ideoq; in Threnis clamat propheta Ieremias, Conuerte nos domine, & conuertemur. Et 31. cap. Conuerte me domine, & conuertar: quoniam

tu es dominus deus meus. Et postquam conuersus sum, pœnituit me mali, S. Petrum legimus ostiari & militum uocibus impulsus, turpiter abnegasse Christum: galli uero cantu reuocatum rediisse ad pœnitentiam. Sed canus galli commouit, non per se quidem, sed coniuictus cum uerbo Christi, dicentis, Amen dico tibi, non canet gallus, donec ter me negaueris. Vnde Mathæus dicit, Et recordatus est Petrus uerbi Iesu, qui dixerat ei, Priusquam gallus canter, ter me negabis, &c. Cum his cõcurrit oculior animi tractus, Tetigit enim cor Petri bonus dominus, testante euangelista, & dicente, Et conuersus dominus, intuitus est Petrum, Respectus ille domini emolliuit & retraxit in perniciem ruentis cor Petri. Proinde si aures nostræ perstringantur uerbo domini, & corda nostra eiusdem spiritu imbuantur uel tangantur, deum pœnitentes serio reuerebimur.

Simul autem humiliati corâ iustissimo & sanctissimo deo, quem tantopere & offendimus & irritauimus peccatis nostris, iudicium eius iustum esse contra nos fatemur, imò & omnia peccata quæ uerbo dei nobis obijciuntur ingenuè agnoscentes confitemur, dicentes cum prophetis, Tu quidem domine iustus es, uerax es, & iusta sunt iudicia tua: nos uero sumus iniustissimi, mendacissimi, sceleratissimi & nephandis flagitijs adoperati, Nihil est sani uel integri in nobis. Omnia nostra sunt corruptissima, deploratissima, Peccauimus, iniqui fuimus, impie egimus, desciuimus à te. Seruis tuis prophetis contradiximus, uerbis ueracissimi oris tui non obediuimus. Tibi ergo ó deus iustitia debetur, nobis autem pudor. Hanc humiliationem liberantem confessionem peccatorum requirit deus à pœnitentibus. De qua paulò post plura dicemus. Iam enim redimus ad copiosorem Timoris dei explanationem.

Loquimur autem in præsentem de syncero dei timore. Fatemur enim duplicem esse dei timorem, Syncerum & Insyncerum. Syncerus dei timor conspicitur in fidelibus, estq; pia reuerentia, constans amore & honore numinis. Propheta enim deum loquentem inducens, Filius honorat patrem, inquit, & seruus dominum. Si ergo pater, ubi honor? Si dominus, ubi timor? Et Paulus, Non accepistis, ait, spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepistis spiritum adoptionis per quem clamamus abba pater. Timor ergo dei syncerus in pœnitentibus non est metus seruilis pœnæ, sed sollicitum studium amore & honore dei mixtum. Honestâ matrona metuit maritum: timet filia ingenuâ parentem, sed amat interim parentem uel maritum quæq; suum, studioq; sancto nititur eius retinere gratiam, amittere metuit. Ideoq; pœnitentes deum non tantum metuunt, quæ

*Humilitas
tio & agnã
tio peccatorum.*

*Duplex deo
timor.*

DE POENITENTIA.

sciunt, spiritu dei docti, se designasse ea ob quæ abdicari meruerant: sed etiam ipsum diligunt ut patrem, ideoq; dolent ex animo propter commissa peccata, & reconciliari deo patri benignissimo ante omnia cupiunt.

Dolor secundum deum. Nam cum timore hoc dei sincero coniunctus est dolor ex spiritu dei propter peccata commissa conceptus. S. Paulus duplicis meminit Doloris. Qui secundum deum est dolor, inquit, is poenitentiam ad salutem haud poenitentiam parit, contra mundi dolor mortem affert. Secundum deum doluit rex & propheta Dauid, clamans, Sanguis tuus in me defixus sunt, & depressa est super me manus tua. Nichil integrum est in carne mea, propter indignationem tuam: non est pax ossibus meis, propter peccatum meum, Et quæ sequuntur Psal. 38. Qui tamen de morbo graui sit conscriptus, adumbrat interim quantum sit dolor in sanctis propter offensum peccatis patrem benignissimum. Secundum deum doluit peccatrix illa, apud Lucam, quæ à tergo domini pedibus prouoluta, hos lachrymis rigauit & terfit rursum capillis. Secundum deum doluit beatus Petrus apostolus, qui & ipse amarissime fesse legitur. Dolet pijs quod tam benignum patrem usque adeo offenderint turpiter. Neq; arbitror ulla uerba doloris acerbiter assequi. Contrarium in impoenitentibus studium Ieremias describens, dicit, Nunquid sic cadunt homines, ut non resurgant? Num sic aliquis desectit, ut non redeat? Qui frigitur, ut populus iste Hierosolymitanus auertatur auersione tam peritina: Attendi & auscultauit, non loquebantur rectum: nemo enim quem poeniteret mali sui, ut diceret, Quid feci? Quisque illorum ad suum cursum tendit, perinde ut equus in prælium effusus.

Dolor mundanus. Mundi dolor hominum est ignorantium deum, carentiumq; fide & dilectione dei uera, imò succumbentium sub onere meroris uel aduersitatum a deoq; & peccatorum. Eadem ferè ratio est & Insynceri timoris dei. Nam impij cum suo capite diabolo deum timent, non ut patrem, quem offendisse doleat, cui reconciliari cupiant tanquam patri, sed tanquam tortorem, quia uindicem esse iustum intellegunt. Cum Iuda itaq; Ischariota recurrunt tandem ad laqueum. Nullus in his amor dei, nullus honor, nullum studium, nulla reuerentia, sed odium dei, horror & desperatio. Talem uero timorem negauit beatus Ioannes apostolus & euangelista esse in charitate, sed dicit perfectam charitatem eijcere timorem: non illum utiq; qui est initium sapientiæ domini, sed illum de quo hæc hæctenus.

Poenitentibus necessaria fides. Hinc uero colligimus poenitentibus in primis necessariam esse fidem in deum & in meritum Christi. Quo nomine arbitror multos fidem

fidem constituisse partē pœnitentiæ. Quod ut non ualde oppugno, sic uideo S. Paulum, ueluti distincta collocasse pœnitentiam & fidē, cum in Actis 20. cap. dicit, se Iudæis & Gentibus testificatū in deum pœnitentiam & fidē in Iesum Christum. Videntur itaq; diuersa esse pœnitentia & fides: non quod uera pœnitentia, sine fide esse possit, sed quod illa distingui, non cōfundi debeant. Fidem ueram scimus omnes non esse sine opibus (lege utiq; cōmuni) sed distinguimus tamen inter fidem & opera, ut interim illa non separemus aut lacere- mus: ita agnoscamus cohærere pœnitentiæ ueræ fidem ueram. Con- tendere nolo pars ne sit an aliās adhæreat. Stultissimū mihi esse ui- detur, res diuinas ubiq; ad pœcepta dialectica astringere uelle. Neq; hoc ab apostolis domini didicimus. Monuimus in Sermonē de E- uangelio (quod modo repetimus) agnitiōē peccatorum per se non impetrare gratiam uel peccatorum remissionē: sicut nec morbi agni- tiō remedium est morbi. Et damnati peccata sua agnoscunt, sed non ideo sanantur. Agnitiō peccati quædā est pœparatio ad fidē. Agni- tiō morbi, occasionem suppeditat cogitandi de medicina. Addimus his in pœsenti, ne ipsum quidem dei timorem quantumuis synce- rum, non ipsum dolorem propter peccata cōceptum, licet maximū, non humiliationem quamuis subiectissimā, per se ipsam, pœniten- tes deo acceptos facere, sed magis ingressum ad cognitiōē Christi pœstruere, adeoq; ad ipsum Christum incarnatum & crucifixū pro nobis, adducere, & huic uni nos uiuificandos & purgandos impos- nere. Qui enim uere cōuertitur ad deū, certe à semetipso & ab oibus pœsidijs auertitur. Qui uere timet deū, & ex animo dolet, ppter pec- cata cōmissa, timet & dolet, nec hoc tantū, sed quia deprehendit se to- tum corruptū, nihil habere sani uel integri: imò quia reueretur deū ut patrem, detegit ei ut medico uulnera, & eidem ut amantiissimo re- conciliari cupit. Et cum hic uera pietas clamet, neminem posse re- conciliari deo patri, nisi per unigenitum filium, hunc fide apprehen- dit pœnitens. Fides in solam dei gratiam uel misericordiam, in Chri- sto nobis exhibitam, fundatur, creditq; pœnitens se deo gratum esse propter Christum. Deo ergo supplicat, & totum se deo committit, sicut Dauid fecisse legitur, & filius ille prodigus Lucæ 15. cap. Habet hic locum doctrina de euangelio, & de fide in Iesum Christū, item de remissione peccatorum, de quibus dixi superius.

Interim modis omnibus mentes pœnitentium cōfirmandas esse censeo multis & diseris scripturæ testimonijs æditis de remissione peccatorum plenaria, ne quid ambigamus in tentationibus nostris. Vbi tamen perpetuò pro assertione gloriæ unigeniti filij dei repe-

Certo &
plene remit-
tuntur pœ-
nitentibus
peccata.

DE POENITENTIA.

tens inculco, remitti pœnitentibus peccata, non propter pœnitentiam, quatenus ea nostrum opus est, sed quatenus pœnitentia complectitur renouationem hominis per spiritum sanctum & fidem uestram, quæ medico nos tradit Christo, qui sanat omnes morbos nostros, & colligat omnes contritiones nostras. Et quamuis hæc tractatio proprie ad fidei & euangelij locū perineat, de quibus quantum per cōpendium fieri potuit antè disserui, recitabo tamen hic claras aliquot de gratia dei & remissione peccatorum sententias.

Dauid Psal. 103. canit, Benedic anima mea dominū, & noli obliuisci eorū quæ in te contulit, Qui condonat omnes iniquitates tuas: qui sanat omnes morbos tuos. Qui uindicat ab interitu uitæ tuam, & undiq; te cumulat benignitate & misericordia. Non rependit nobis pro peccatis nostris, neque retribuit nobis secundum iniquitates nostras. Nam quanto interuallo cœlum altius est terra, tantum præualet benignitas eius erga timentes ipsum. Et quàm longe distat ortus solis ab occasu, tam lōge remouit à nobis scelera nostra. Vtq; patet miseretur liberorum, ita dominus miseretur timentium eum. Ipse enim nouit nos fragiles esse (ad peccandum propensos) recordans quod sumus puluis.

Isaias in 1. cap. dicit, Sic dicit dominus, Si peccata uestra fuerint ut coccus, niue reddentur albiora: si rubuerint instar purpuræ, sicut natiua lana fient. Idem in 43. cap. inducit loquentem deum, ac dicens, Ego ego ille ipse sum, qui deleo transgressiones tuas, idq; propter me, & peccatorum uorum non recordabor.

Apud Ieremiã in 31. cap. quod & Paulus repetijt in 8. & 10. cap. ad Hebr. dicit dominus, Hoc est fœdus meū quod feriam cum eis post dies istos. Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccati eorum non recordabor amplius.

Ezechielis 36. ait dominus, Spargam super uos aquas mūdas, & mundabimini ab oībus inquinamētis uestris. Et dabo uobis cor nouum & spiritū nouū: auferā cor lapideū de carne uestra, & dabo uobis carneū. Ego uos liberabo ab omnibus immunditijs uestris. Nō propter uos ego facio: dicit dominus deus: hoc notū sit uobis, &c.

Daniel in 9. cap. manifestū Cōfessionis peccatorū exemplū relinquit nobis, præterea disertis uerbis dicit, per Messīã condonata esse peccata, expiatam iniquitatem, et adductam iustitiam sempiternam. Sic Zacharias propheta in cap. 3. asserit, iniquitatē terræ unico Christi sacrificio esse expiatam.

Dñs in euangelio secundum Mathæū dicit, Non opus habēt qui ualidi sunt medico, sed qui male habent. Nec ueni ad uocandū iuos,

ros, sed peccatores ad poenitentiam. Ideoq; Iesus est appellatus. Angelus enim, Is saluum faciet, inquit, populum suum a peccatis suis. Et S. Paulus ad Timothi. dixit, Certus sermo & dignus, quem modis omnibus amplectamur, quod Christus Iesus uenit in mundum, ut peccatores saluos faceret.

In eodē euangelio dicit dominus, Omne peccatum & conuictum remittetur hominibus: at conuictum in spiritū sanctum non remittetur hominibus. Et quicumq; dixerit uerbum aduersus filium hominis, remittetur: qui autem dixerit aduersus spiritum sanctū, non remittetur ei, neq; in presenti sæculo, neq; in futuro. De peccato in spiritum sanctum dixi aliās. Huc pertinent omnia exempla liberalissimæ condonationis peccatorū quæ cōmemorantur in historia euangelica, uelut mulieris peccatricis, Lucæ 7. item Ioan. 4. et 8. Matthæi, Zachæi, S. Petri, Latronis in cruce. Quis uero cōmemoret paucis omnia? Huc pertinent parabola tres ex 15. cap. euangelij secundū Lucā.

In euangelio Ioannis clamat præcursor domini, & ait, Ecce agnus dei qui tollit peccatum mundi. Item ad discipulos suos ait dominus, Quoruncunq; remisistis peccata, remittuntur eis, &c.

Petrus apostolus in Actis clamat, Christo omnes prophetae testimonium ferunt, quod remissionē peccatorū accepturus sit per nomē eius quisquis crediderit in eum. Idem in sua epistola, Christus peccata nostra ipse pertulit in corpore suo sup lignū, quo peccatis mortui, iustitiæ uiueremus: cuius eiusdem uibice sanati fuistis.

Paulus apostolus in 2. ad Cor. 5. ca. ait, Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata sua. Eum enim qui non nouit peccatū, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia dei per illū. Et in 10. cap. ad Hebr. dicit idem, Christus una pro peccatis oblata uictima, perpetuō sedet ad dexteram dei, id quod superest expectans, donec reddantur inimici ipsius scabellū pedū eius. Unica em̄ oblatiōe pfectos effecit in perpetuū eos qui sanctificātur.

Porro beatus Ioānes apostolus & euangelista non minus clare q̄ euidenter testatur, dicens, Sanguis Iesu Christi filij dei emundat nos ab omni peccato. Et iterū, Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

Cæterū uanissimi & ipsius sathanæ nuncij sunt, Nouariani & Anabaptistæ, fingentes baptismo purgari nos in uitā angelicam, quæ nullis porro sordibus polluat: si autē polluat, nullā polluto expectandā esse ueniā. Nam ut multa alia transeā scripturæ loca, nonne S. Petrus baptismo consecratus fuit deo? an non bonā dei gratiā gustauerat? Certe cum præclarā fecisset confessionē audit a domino,

Contra Nouarianos & Anabaptistas.

DE POENITENTIA.

Beatus es Simon bar Iona, Caro & sanguis nō reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis. Idem roganti domino, Num & uos uultis abire? omniū nomine respondens, dixit, Domine ad quem ibimus? Verba uitæ æternæ habes: & nos credimus & cognouimus quod tu es Christus filius dei uiui. At idem hic Petrus, post baptismum & gratiā dei, statā dei gratiā, peccat, nec leuiter quidē peccat, sed grauissime, ipsum abnegans & abiurans dominū. An uero propter peccatum eius omnia uenia excidit? an preclusus est ipsi ad deum reditus? Minime Gentium. Audito enim galli gallinacei cantu, uerborū domini recordatur, in se descendit, & quid egerit expēdit, flet amare, & in grauem se luctū tradit. Non tamen diu in ipso conficiebatur sine cōsolatione. Tertia enim mox insequenti die angeli, mulierculis ad sepulchrū domini uenientibus, dicunt, Dicite discipulis eius, & Petro, quod resurrexerit, & præcedat uos in Galiliam. En singulariter uult dominus innotescere Petro quod resurrexerit. Cur autē singulariter Petro? Quia reliquis peccat grauius: non quod peccatum Petri probaret dominus, sed quod nobis declarare uellet ueniam consequi poenitentes, quoties conuertuntur ad gratiam dei cœlestem. Nec uero multos, post dies restituit Petrum ministerio, commendatis ipsi ouibus suis. Præterea dicit dominus apud Ieremiam ad populū Israelis, Si quisquam uxorē suam dimittat, & illa ab ipso diuertens alteri nupserit, nunquid ille ad ipsam reuertetur? An uero non est polluta terra illa? An non cum multis fornicata es? Sed reuerrere ad me, dicit dominus. Et Galatæ recte instituti ab apostolo Paulo, per pseudoapostolos seducti, defecerant à ueritate euangelica: & tamen ueniam consequuntur. Corinthij quoque in multis scientes & uolentes post acceptā gratiā peccauerunt: sed respicientibus promittit nihilominus S. apostolus condonationē delictorum à domino. Quid uero manifestius est, quàm quod omnes sancti quotidie & serio uerèq; non hypocritice uel mendaciter, orant, Dimitte nobis debita nostra. Hoc qui orant, fatentur se esse peccatores. Interim promittit dominus se exauditurum orantes fide, remittuntur ergo etiam illa peccata orātib; quæ homines post cognitā uel indeptam patrarunt gratiam. Loca uero ex epistola ad Hebræos, quæ pro suo dogmate confirmando producunt Nouatiani, aliàs excussimus, ut hic nihil sit necesse q̄s inhiærere operosius.

Summa uere doctrine de Poenitentia. Iam uero, ut summam colligamus eorum quæ hæctenus disputauimus de Poenitentia, teneamus poenitentiam esse conuersionem ad deū, quā etsi uerbo suo & alijs rationibus exciter, præcipue tamē spiritu suo efficit ut reuersemur ipsum, deum, inquam, iustum, à quo auers

auerſi fueramus, dolentes ex animo patrem optimū peccatis noſtris eſſe offenſum. Nam humiliari coram æterna ſanctiſſimæq; maiestate eius, agnoſcimus quæ nobis obijciuntur per uerbum dei peccata: agnoſcimus nihil eſſe in nobis integri. Cupimus autem reconciliari cum deo: quod cum non poſſit fieri, niſi per ſolum mediato-rem Chriſtum dominum, hunc fide apprehendimus, per quem ab omnibus peccatis abſoluti, ſancti & iuſti à deo reputamur. Hoc beneficium quicumq; ſynceriter agnoſcunt, non poſſunt non odiſſe peccatum, ueteremq; mortificare hominē. Subiungerem ergo nunc alia membra ad pœnitentiam pertinentia, uidelicet mortificationem ueteris hominis et innouationem ſpiritus, niſi res ipſa poſtularer aliquid dicere de Confefſione peccatorum & de Satisfactione pro peccatis. De his enim nonnulli aliena à ueritate docent, qui de Pœnitentia diſſerunt. Ne ergo neſciat C. V. quid de his ſentiat ſecundum ueritatem, non grauabor his explicandis immorari nōnihil. Spero autem ex his fructum ad C. V. non pœnitendum rediurum.

Confiteri uel Confefſio uarie uſurpatur in ſcripturis ſanctis. Si- *De Confef*
gnificat enim laudare dominum & gratias agere pro acceptis be- *ſione pecca*
neficijs. Vnde confefſio ponitur pro laude & gratiarum actione. *torum.*
Propheta enim canit, Confitemini domino, quoniam bonus, quos
niam in æternum miſericordia eius. Paulus ad Titum, loquens de
hypocritis, ait, Confitentur ſe noſſe deum, factis autem negant: ubi
Confiteri ſignificat dicere, profiteri uel iactare. Alicubi eſt confidere
& niti diuinæ bonitati, ſed & hanc fiduciam cum dictis tum factis
teſtari. Sic uſurpauit S. Ioannes 1. Ioannis 4. & Paulus ad Rom. 10.
Eſt præterea confiteri, deo dare gloriam & agnoſcere ingenue pec-
carum & iudicium quod tibi obijcitur. Solomon in Prouerbijs cap.
28. dicit, Qui celat iniquitates ſuas (imò & has ueluti defendit) nil
proſperum habebit: qui autem confiteatur & deferat, huic fit miſeri-
cordia. Uſurpat Hebræus ſermo in hac ſententia uerbum Iadah, pro
quo noſtri reponunt confiteri. Eſt autem Iadah proijcere uel dimit-
tere, ueluti cum arcus intentus remittit. Et Modah perinde eſt ac ſi
tu dicas confitens, uel cedens, uelutiq; herbam præbens. Deus enim
accuſat nos, & criminis pœnæq; reos agit, Id non prouinus agnoſcit
caro, ſed ueluti intentus arcus manet, tandem uero remiſſa pertina-
cia agnoſcit, quod deus obijcit: hæc agnitio modah, id eſt confefſio
eſt. Sed et Germanice dicimus, Es hat gelaffen. Er hat geſchnelt,
cum ſignificamus uel rem aliquam ceſſiſſe loco, uel hominem con-
feſſum eſſe quod aliquandiu uel negauit, uel diſſimulauit.

DE POENITENTIA.

Diuinitus instituta confessio. Ceterum non est unius generis Confessio peccatorum. Est enim Diuina, est & Humana. Primum dicemus de Diuina, deinde de Humana. Diuinam appellamus, quæ clara in scripturis sanctis testimonia uel exempla habet, & ab ipso deo instituta est. Ea est peccati, quod obijcitur nobis, ingenua agnitio professioque, qua omnem deo gloriam, nobis autem confusionem tribuimus, deumque & proximum, contra quem peccauimus, deprecamur. Obijcitur autem nobis peccatum ab ipso deo, qui foris per uerbum uel per ministerium hominum, aliquando & per signa arque portenta, intus autem spiritaliter sui arcano afflatu, & peccati & poenæ reos agit, liberam & ingenuam à nobis deposcens peccatorum confessionem. Spontaneam enim & ingenuam, non simulatam aut extortam approbat. Certe ciues Hierosolymitani & populus Iudaicæ regionis sua sponte ad Ioannis baptismum ueniunt, confitentes peccata sua: quæ ipsis beatus Ioannes prædicatione sua obiecerat. Et post ascensionem Christi in cælos, accusat peccatum populi Iudaici beatus Petrus: acculationem uero mox sequitur in historia, His auditis compuncti sunt corde: & dixerunt ad Petrum, & reliquos apostolos, Quid faciemus uiri fratres? Et quæ sequuntur Acto. cap. 2. Magister quoque carceris Philippici, postquam terræmotum sensisset, exiit, & uerbis apostolicis instructus peccata sua confitetur. Sic etiam uiri Ephesii, aribus dediti magicis, audita calamitate, quam dæmon intulerat filijs Scæuæ, eiusdem artis consortibus, timent, uenientesque confitentur peccata sua. His causis potissimum ferè exoritur peccatorum confessio.

Confessio quæ priuata cum fit deo. Porro diuinitus institutæ confessionis alia quidem deo fit, alia proximo. Quæ deo fit, uel priuata est, uel publica. Priuatim confitemur deo, quando excutimus corda nostra coram deo, solique abscondita pectoris nostri recludimus, agnoscens quæ in nobis sunt peccata, precamurque ut nostri misereatur. Hæc confessio ad remissionem peccatorum consequendam necessaria est. Nisi enim corruptionem & iniustitiam nostram agnoscamus, nunquam fide uera apprehendemus Christum, per quem solum iustificamur. Non autem arbitramur poenitentibus properandum esse ad ullum alium confessorem, cui peccata confiteantur quam ad deum. Hic enim solus peccata remittit & delet. Hic medicus est, cui uni oportet reterege uel aperire uulnera. Hic offensus est à nobis, ab eo ergo petenda pax & reconciliatio. Hic solus inspicit corda & scrutatur renes, soli ergo aperienda sunt pectora. Hic peccatores ad se uocat: ad ipsum ergo festinemus, procidamus, confiteamur & ueniam petamus. Hæc confessio, si animo in deum intento fiat, licet ore fieri nequeat, recipitur à deo, cor.

cordium inspectore. Rursus si confiteamur ore, corde uero in deum intenti non simus, licet ipsi deo uel pontifici confiteamur, non curat confessionem uanam dominus. De uera illa quæ deo fit confessione loquutus sum cum in definitione Pœnitentiæ dixi pœnitentes peccata sua agnoscere. De hac loquitur multis in locis scriptura. Dauid in Psalmis orat & confitetur dicens, Miserere mei deus, secundum magnam misericordiam tuam, Quoniam peccata mea agnosco, & peccatum meum coram me semper. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Et reliqua. Et in alio Psalmo, Delictum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi. Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. In euangelio docet dominus noster orare, & inter orandum confiteri & dicere, Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Sic autem orantes consistentesq; iussit secedere in cubiculum, ut patri cœlesti soli cor nostrum cordisq; nostri pareat deuotio. Filius prodigus priuatim in campo apud porcos confessionem sui peccati componit & soli patri offert. Et publicanus ille in euangelio, qui confertur cum pharisæo, tundit pectus & querula uoce apud semetipsum confitens dicit, Deus propitius esto mihi peccatori. Audiamus iam & Ioannem apostolum ac euangelistam, totum hoc quod dici uere potest de hac confessione comprehendentem & dicentem, Si dixerimus peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & ueritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Hanc priuatam confessionem quæ fit deo, sequitur confessio uoluntaria apud homines. Humiliantur enim pœnitentes, quoties ipsa res, gloria dei & incolumitas proximi poscit, & coram hominibus etiam testantur se peccasse deo. Sic enim Dauid Nathano obijcienti peccatum, clamauit, Peccaui domino. Sic Zachæus intelligens calumnijs peti dominum, confitetur palam peccatum suum, & emendationem promittit.

Publice quidem ita deo confitemur, sicut modo diximus, sed magis tamē, cum audito uerbo ueritatis, publica illa forma solennit̄, uel in templo uel alijs in cœm aliquo coram hominibus, recitantes peccata admissa, imploramus à misericorde deo ueniam. Quōdam certe in ueteri populo instituit dominus, ut præeunte sacerdote, uerbis conceptis, totus populus sequens, peccata sua palam confiteretur in templo. Vnde haud dubie etiam hodie receptum est in ecclesia Christianorum, præeunte conceptis uerbis pastore uel doctore ecclesiastico, post finitam scripturarum expositionem et paulò ante

Confessio publica.

Leuit. 16.

DE POENITENTIA.

quam dimittatur concio, confiteri palam in templo omnia contra deum commissa delicta, & implorare diuinam misericordiam, Notæ sunt confessiones peccatorum publicæ ab Esdra, Daniele, & Nehemia factæ. Publicam confessionem peccatorum illam fuisse interpretor, quam fecisse Iudæos author est S. Mathæus in cap. 3. Tota enim Iudæa egressa est ad Ioannem præcurforem domini, ac baptisabantur ab eo, in Iordane, confitentes peccata sua. Nam cum baptismum publice reciperent, ea ipsa re confitebantur palam peccata sua. Baptismus enim est signaculum expurgationis peccatorum: ergo qui baptisantur, confitentur se esse peccatores. Qui non baptisabantur, arbitrabantur se aliis purgatos esse, neq; ulla indigere sanctificatione. Publice peccata sua confitebantur Ephesij, qui magis confitebantur se scelus igni piandū admisisse.

Acto. 19.

Confessio
quæ proximo fit.

Iam quæ proximo fit confessio talis est, Offendisti proximum tuum, uel is te iniuria affecit, iccirco dissidetis odiatq; exercetis mutua: hic certè cogitandum est de reconciliacione, alter ergo alterum accedens, culpam uel errorem admissum, & fateatur & deprecetur, alter confitenti, benigne peccatum condonet & cum ipso in gratiam redeat. De hac confessione loquutus beatus Iacobus apostolus, dixit, Confitemini alterutrum peccata uestra, & orate pro uobis inuicem, ut saluemini. Quia dominus & saluator noster prior in hec uerba nos docuit, Si obruleris munus tuum ad altare (loquitur autem illis quibus adhuc in usu erant sacrificia legalia) & ibi recordatus fueris, quod frater tuus aliquid habet contra te, relinque illic munus tuum coram altari, & abi, prius reconcilieris fratri tuo: & tunc uenies & offeres tuum munus. Huc pertinet & parabola domini, exposita Math. 23. de coniecto in perpetuos carceres, qui gratiam expertus domini, se uiebat in conseruum suum, cui nihil condonare uolebat. Nam in Math. 6. cap. dicit dominus, Si remisistis hominibus errata sua, remittet uobis & pater cœlestis. Si uero non remisistis, non remittet uobis pater cœlestis. Non quod propter remissionem nostram condonentur nobis peccata. Sic enim remissio non esset gratuita, sed ex merito & recompensatione. Iam uero cum gratia condonantur per fidem, certe animus ille irreconciliabilis ac durus, certum est argumentum, nullā esse fidem in homine duro, pertinace, implacabiliq;. At ubi non est fides, ibi nulla remissio. Spondet ergo remissio, signum est euidentis, & natiuus fructus fidei ueræ & gratiæ diuinæ in nobis.

His

His duobus generibus confessionis adijciunt quidam illam, qua *Confultatio.*
 pressi scelere aliquo graui consiliū petunt, uel à pastore gregis do-
 minici, uel ab alio legis dei perito. Cæterum illa potius est *Confultatio.*
 ratio quàm Confessio. Hæc autem nullibi uel præcepta est uel pro-
 hibita, ideoq; libera. Proinde nemo cogi debet ad istam *confulta-*
 tionem. Si uero frater aliquis, uel à ministro ecclesiæ, uel à priuato
 aliquo fratre consilium petat, charitas iubet, si possis, inseruire fra-
 tri. Imò si non petat, uideas autem periclitari fratrem, charitas ite-
 rum iubet te periclitantem admonere, & tractare ut fratrem. Nam
 Paulus ad Galatas, Fratres, inquit, etiamsi præoccupatus fuerit ho-
 mo in aliquo lapsu, uos qui spirituales estis instaurate eiusmodi ho-
 minem spiritu lenitatis: considerans teipsum, ne tu quoque tente-
 ris. Alij aliorum onera portate: & sic adimplete legem Christi. Sed
 hæc nihil ad Cõfessionem peccatorum, redimus ergo ad institutum.

Ista diximus hæctenus de diuinitus instituta confessione peccato-
 rum, subtingemus iam quædam de Confessione peccatorum in-
 stituta ab hominibus. Ea est duplicis generis, uidelicet Publica & *Confessio*
 ritualis uel ceremonialis, quam ferè appellarunt Exhomologesim: *ab hominibus*
 & Priuata uel arcana, dicta auricularis. Publicam uoco ritua- *bus instituta.*
 lem, quia non tam cognitio & confessio est peccati, quàm actus pœni-
 tentialis. Isidorus enim Hispaleñ, episcopus libro Etymol. 6. cap.
 18. Exhomologesim, inquit, prosternendi & humiliandi hominis *Exhomolo-*
 disciplina est, habitu atque uicti, sacco & cinere incubare, corpus *gesis.*
 fordibus obscurare, animum mœroribus deijcere, illa quæ peccauit,
 tristi tractatione mutare. Hæc Isidori episcopi uerba non recitasse
 C. V. utpote authoris non admodū illustis, nisi eadem ferè legeren-
 tur in libro Terullianiscripto de Pœnitentia: nisi & exemplum sup-
 peditaret Eusebius, qui Eccles. hist. lib. 5. cap. ultimo, Natalis, inquit,
 martyr deceptus ab hæreticis, tandem errorē intelligens, mane con-
 surgit, cilicio se induit, & cinere conspergit, ac multis lachrymis erro-
 rem suum deslens, ante pedes se Zephyrini episcopi prosternit, & ue-
 stigijs omniū, nō modo clericorū, sed etiā laicorū, multa cum lamen-
 tatione prouoluit in lachrymas omnem prouocauit ecclesiam, ut
 indulgentiam sibi à Christo continuis & iugibus pro ipso precibus
 implorarent. De ritibus pœnitentiæ paulò post dicemus. Non autē
 uidetur hæc ritualis pœnitentia, sicut ueteribus in usu fuit, diuinitus
 esse præcepta, ut uel hodie quicūq; scelus aliquod patrauit, cogatur
 mox palam pœnitere, ad eum quem isti usurparunt modum. Vbi
 enim legitur pœccatrici uel adulteræ mulieri talis in euangelio in *Luca 7.*
 sancta esse pœnitentia? Recipiuntur alij multi peccatores. per Chris- *Ioan. 8.*

stum in gratiam dei sine huiusmodi poenitentia. Nonissimū est enim quid egerit Christus dominus cum Mathæo, cum Zachæo, cum Petro negatore & alijs multis. Proinde non temere credimus episcopos ac sacerdotes ueteres, disciplinæ gratia, & quo minor esset peccandi licentia, inuenisse publicam illam poenitendi rationem. Certe Hermius Sozomenus Salaminus historiæ ecclesiasticæ scriptor egregius, lib. hist. 7. cap. 16, Ab initio, inquit, sacerdotibus placuit, ut uelut in theatro, teste multitudine ecclesiæ, peccata manifestarentur. Et sacerdotibus placuit, ait, Addit institutum fuisse presbyterū ad quem qui deliquissent accedentes peccata confiterentur, deinde etiam audirent multam quid uidelicet faciendū esset luendū uel. Idem mox describit & Romanæ ecclesiæ morem poenitendi. Deinde subdit, In Constantinopolitana ecclesia presbyter poenitentibus deputatus, hoc munere functus est, donec mulier quædam nobilis propter peccata quæ confessa fuerat, ab huiusmodi presbytero ieiunare decet supplicare iussa, & eam ob causam ecclesiæ immorata, à diacono scortationis scelere polluta fuisse proderetur. Ob quam causam sacerdotibus plurimum detrahebatur. Nestarius uero episcopus perplexus quid commissio facinori competeret, diaconum illum qui scelus hoc ausus fuerat, diaconatu priuauit. Et quoniam nonnulli suadebant ut unicuique liberum permitteret, secundum quod sibipsum bene conscius esset & bona fiducia esse posset, ad communionem mysteriorum accedere, munus illud presbyterij poenitentiarj sustulit: & excoinualuit consilium illud Nestario datū, & iam quoque permanet. Et cætera. Idem in capitis initio, Primus Nestarius Constantinopolitanus episcopus, inquit, presbyterum qui poenitentibus deputatus erat sustulit ex ecclesia: quem ferè omnes episcopi sunt secuti. Hæc ille. Non abrogasset autem exhomologesim sanctus alioqui episcopus Nestarius, si intellexisset diuinitus esse institutā: nec licuisset etiam abrogare. Sciuit ergo, sicuti & Sozomenus confitetur, episcoporum consilio formam illam usurpata esse in ecclesia. Neque legimus Ioannem Chrysostrum, qui proxime Nestario successit, et diligentissimus seuerissimusque episcopus fuit, ritualement illam abrogatam restituisse poenitentiam. Scribit enim Homelia 31 in epist. Pauli ad Hebr. Non dico tibi ut te prodas in publicum, neque ut te apud alios accuses: sed obedire te uolo prophætæ dicenti, Reuela domino uiam tuam. Antequam deum ergo confitere peccata tua, apud uerum iudicem, cum oratione delicta pro iniuria: non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria. Et tunc demum crede te misericordiam posse consequi, si habueris in mente tua continere, &c. Rursus in Psal. 56. Si confunderis alicui dicere quia.

*Ioã. Chry
sost. doctri
na de Con
fessione.*

Quia peccasti, dicito ea quotidie in anima tua. Non dico ut confitearis ea conseruo tuo ut exprobet, dic deo tuo qui curat ea. Si non dixeris, non ignorat ea deus, qui p̄ssto erat cum ea faceres. Et idem iterum alicubi, Non te in conseruorum tuorum theatrum te duco; non hominibus peccata tua detegere cogo. Repete coram deo conscientiam tuam, & explica. Ostende domino p̄sstanissimo medico tua uulnera, & pere ab eo medicinam. Item, Caue homini dixeris, ne tibi opprobrat. Neque enim conseruo est confitendum, qui in publicum proferat, sed domino, qui tui curam gerit, qui & humanus est & medicus; ei ergo ostendes uulnera. Sed & dominum idem ille loquentem inducit, Non cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes: mihi soli dic peccatum tuum priuatim, ut sanem ulcus. Hæc Chrystost. omnia arguunt clare satis ritualement illam p̄nitentiam (sicuti aliquando usurpata est in ecclesia) non à deo institutam, denique nulla iniuria ex ecclesia submotam, neque mox à sanctis episcopis restitutam fuisse. In Romana ecclesia multas remansisse reliquias illius nō omnino uane perhibent. Sed quid ad nos quid ecclesia quælibet sibi sumpserit uel seruandum uel dep̄nendū: Hæc magis inquiramus quid tradiderit nobis Christus, quid die docuerint apostoli. De quorum doctrina iam satis dictum arbitror.

Priuata uel arcana confessio peccatorum fieri consueuit remotis De Auriculari confes-
 arbitris solis sacerdotibus. Insuffurat enim aliquis clanculum peccati sione.
 ra sua in aurem sacerdotis, confessionibus clancularijs deputat, ab-
 solutusq; ab hoc, conceptis uerbis, existimat se purgatū esse ab omni
 bus peccatis. Ideoq; Auricularem appellauit. Hanc ignorauerūt tem-
 pora apostolica, & quanquam olim radices agere cœperit, libera ras-
 men ab initio fuit. Præcepta demū & rigide extorta legitur à Rom.
 Pont. in longe corruptissimo ecclesiæ statu, nempe cum numerare-
 tur annus domini millesimus ducētesimus decimusquintus, aut circ-
 eiter. Disputatum est tamen per 30. annos aut plures priusquā lege
 certa imponeretur omnibus, deo ne confiteri satis sit, an sacerdoti
 quoq; confiteri oporteat ad repurganda peccata? Hugo in libro de
 Ecclesiastica potestate ligandi & soluendi sic reliquit scriptum, Au-
 daacter dico, si ante sacerdotis absolutionem ad communionem cor-
 poris & sanguinis domini quis accesserit, pro certo sibi manducat
 & bibit iudicium, etiam si eum multum p̄niteat & uehementer do-
 leat & ingemiscat. Hæc Hugo certe audacter dixit, nisi falsum nos
 doceat uerbum dei. Floruit hic author circa annū domini 1130. Se-
 curus est hunc non ita longo interuallo Petrus Lombardus, uulgo

Magister sententiarum appellatus, nimirum quod sententias patrum collegerit, & doctrinam patrum ueluti per compendium mundo proferat, de cuius opere quale sit nunc non pronuncio. Floruisse putatur circa annum domini 1150. In Sententiarum lib. 4. distinct. 17. & 18. ex patrum autoritate primum indicat sufficere confessionem peccatorum soli deo factam. Deinde alias subiicit sententias contrarium docentes. Postremo sua etiam interposita sententia concludit, Ex his indubitanter ostenditur, oportere deo primum, & deinde sacerdoti offerre confessionem, nec aliter posse perueniri ad ingressum paradysi, si ad sit facultas. Item, Certificatum est, quod non sufficit confiteri deo sine sacerdote: nec est uere humilis & pœnitens, si non desiderat & requirit sacerdotis iudicium, Petro Lombardo fuit magis ingenuus Grauanus Decretorum confarcinator, qui eodem cum Lombardo claruit tempore. Nihil is certi definit, sed propositis in utraque partem sententijs, & quod peccata oporteat confiteri sacerdoti, & quod non oporteat, iudicium lectori liberum permittit. Sic enim concludit, Quibus autoritatibus uel rationibus utraq; sententia confessionis & satisfactionis innitatur, in medium breuiter exposueratur. Cui autem horum potius adhærendum sit, lectoris iudicio relinquatur. Viraq; enim fautores habet sapientes & religiosos uiros. Hæc Gratianus prope finem Distinct. 1. de Pœnitentia.

*Lex lata
precipitur
Confessio
auricularis.*

Post quinquaginta annos secutus est Lotharius Leuita doctor Parisiensis, diligens Lombardiseكتور. Hic creatus Pontifex Romanus, & Innocentius tertius uocatus, Romæ concilium coegit generale, quod appellatur Lateranense. in quo legem tulit, quam recitat Grego. IX. in Decretali sua de Pœnitentijs & Remissionibus lib. 5. cap. 12. in hæc prope uerba, Omnis utriusq; sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua, solus, peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti: & iniunctam sibi pœnitentiam proprijs uiribus studeat adimplere: suscipiens reuerenter ad minus in pascha eucharistiæ sacramentum. Nisi forte de proprijs sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum. Alioquin & uiuens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Hæc illa est lex noua, quæ plurima habet absurda & impia. Et ut plerq; non commemorem, sed unum duntaxat & alterum. An non impium est ad proprium nescio quem sacerdotem relegare peccatorem, cum dominus Christus ecclesiæ suæ ministros tantum & præcones dederit, ipse solus maneat sacerdos uniuersalis. & cuiusque proprius in ecclesia ad finem usque sæculi: ad quem unum;

num fideles ministri à seipſis omnes confitentur relegar peccatores? Ioannes enim dixit, Non sum ego Christus, sed misius ante illum, ut testimonium ei feram. Quid quod impiissimum est confessioni nostræ & absolutioni sacerdotis, ueluti operi humano, attribuire peccatorum remissionem? Et quis obsecro omnia sua peccata homini sacerdoti confiteri possit? An non Ieremias clamat, Prauum est cor hominis & inscrutabile? An non Dauid canit, Delicta quis intelligit ab oculis meis munda me, Impossibile est homini omnia sua cōfiteri peccata. Ergo dum huic, lege adactus, animum ratiocinationi applicat, non poterit nō altissime in desperationis immergi barathrum. Et tantum onus, ueluti ad salutem consequendam necessarium, imponitur liberis Christi fidelium collis: idq; contra decretum apostolicum scriptum Actorum 15. Quid autem proprijs suis uiribus perficiat peccator? Quæ obsecro nobis ad bonum sunt uires?

Pudet autem & piget me impudentiæ istorum hominum, cum confessionem illam suam auricularem, ueluti à domino institutam, iam quoq; ex scripturis ornare & confirmare uolentes, illud domini dictum Leproso proferunt, Vade ostende te sacerdoti. Non autem hunc locum solum torquent impudentissime contra natium sensum, sed omnia alia scripturæ, quæ citare solent, testimonia corumpunt. Vnum ex multis proferam, Bonauentura in Commentarijs suis ad sententias magistri lib. 4. dist. 17. quæst. 3. fingit duo esse in confessione: Vnum formale, nempe absolutionem, uel medicandi potestatem: & hanc ait sub ministris clauibus institutam esse à domino. Alterum uero materiale, nimirum detectionem peccati: & hanc dicit dominum non instituisse per se sed tantum insinuasſe. Mox enim hæc subiicit uerba, Et ideo confessio fuit à domino insinuata, ab apostolis instituta, ab episcopo Hierosolymitano Iacobo uidelicet promulgata. Sicut enim sententiam de non seruandis legibus promulgauit, Acto. 15. sic & confessionem omnibus peccantibus imposuit, dicens, Confitemini alterutrum peccata uestra. Hæc ille. Quis uero non miretur cæcitatem illius sæculi? Agnoscit scriptor non institutam esse à domino confessionem auricularem, nisi implicite & ueluti ex quadam consequentia: apostolos autem explicasse mentem Christi & instituisse illam: porro S. Iacobum omnium apostolorum nomine, lata sententia, promulgasse, Promulgationis uerba subiicit hæc, Confitemini alterutrum peccata uestra. Quid est autem torquere scripturas si hoc non est? Cernit uel cæcisimus, inermes esse istos pugiles in hac palestra, qui telū huiusmodi

Nullis scri-
pturis sus-
fulta auri-
cularis Cō-
fessio.

DE POENITENTIA.

proferunt, nō utiq; fraxineum, sed prorsus betaceum, quod interim ipsi ueluti Hectoream aut Achilleam hastam uibrant. Planissimum est, apostolum non loqui de confessione arcana auriculari, sed de ea quæ reciprocatione quadam ab illis fit, qui se mutuum offenderūt, modo autem libere & alternis peccata sua inuicem confitentes mutuum rursus reconciliantur & orant pro inuicem. De qua non nihil dixi paulo superius. Non uident duo esse in uerbis apostoli, quæ designentius perpensa, ipsos plane ridiculos reddunt. Principio enī tūtur apostolus dictione ἀμύνετε, quod significat mutuo, inuicē, uicissim, alterutrū & quasi reciproce. In de sic colligimus, Si iuxta præceptum apostoli inuicem confiteri oportet: & ἀμύνετε significat alterutrum, uel uicissim, id est confiteatur peccata alius alij, uel per uices, ut reuera significat: necesse est ut postquam laici sacerdotibus confessi sunt, sacerdotes uicissim confiteantur laicis. Id enim est alterutrum confiteri. Dicimus enim ἀμύνετε ἀμύνετε, id est amāt se inuicem, hoc est alter alterum, uel reciproce. Quod si hoc graue est presbyteris, agnoscant hunc locum apostoli nihil facere pro arcana & auriculari illa confessione quam ipsi ad commodum suam finxerunt. Deinde subdit iacobus, Et orate pro uobis inuicem, ut salui sitis. Sociat ergo, & ueluti sub unum iugum connectit, cōfessionem & orationem. In de rursus ita colligimus, Si solis sacerdotibus confitendum est, pro solis orandum est sacerdotibus. Sed non orandum est pro solis sacerdotibus, ergo non cōfitendum solis sacerdotibus, sed alterutrum. Idem locus iacobi non intelligi debet de confessione auriculari occulta, sed de publica illa, qua in concordiam per mutuum delicti confessionem redeunt illi, qui mutuis sese offenderant iniurijs: & iam reconciliati orant pro se inuicem, ut saluentur. Re linquimus ergo indubitatū, auricularis confessionis defensores nō probasse, neq; probare posse, illam à deo esse institutam.

An confessio auricularis retinenda sit propter disciplinam.

Ruentem uero quibusdam fulcris sustentare firmareq; cupientes, subiiciunt confessionem illam suam in ecclesia retinendam salutem propter disciplinam uel erubescenciam: ob quam pleriq; peccent minus. Deinde etiam propter priuata[m] absolutionem consolationemq; euangelij peculiarem uel singularem. Si uero confessio auricularis tam est uilis ecclesie, quam isti uolunt uideri, qui factum est quod ea caruerit ecclesia annis à temporibus apostolorum amplius mille. Mirum est ipsam nullibi ab apostolis uel usurpata[m] uel præcedentia, nihil de hac confessione uel somniasse: & apostolos nulla re necessaria destituisse dei ecclesiam, tam qualem disciplinam plane

plantarit in ecclesia dei, probant impura flagitia & actus nepharii. Didicerunt cum confitens tum confessor horrenda ex circumstantiarum discussione scelera. Causæ uel occasiones suppeditatæ sunt stupris & adulterijs. Tentata est in Confessionibus, imò & corrupta sæpius quàm probit, aut referre conueniat, uirginum matronarumq; pudicitia. Omnia hominum secreta expiscati sunt confessores illi. Id quod non parum profuit ad stabiliendam ipsorum tyrannidem. Profecto poterunt confessores illi singulos, quos uocant confessionis filios, commodius de prædari & deglubere; quia non ignorauerunt, quas quisq; haberet, aut quomodo parasset facultates. Et cum primores reipub. scirent sacerdotes probe scelerum suorum esse confesos, non poterunt nõ metuere sacerdotes. Ita fiebat ut minus strenue se opponerent sacerdotum extremæ corruptioni & libidini, a quoque minime in populo dei ferendæ. Audiat sunt uoces, Ego ad unguem ex Confessionibus quales in hac urbe sint uiri, mulieres, & uirgines, didici & teneo cognitissimum. Ego queng; pro suo ingenio tractare noui. Omnes me metuumt & reuerentur: quia intelligunt me ipsis perspexisse in animi ipsorum penitissimam penetrabilia. Esquuta sunt nonnunquam confessionis secreta cum periculo capitum consentientium. Proditiones concinnatæ sunt ex confessionibus, nec pauca nec exigua. Egregie uero profectum est, si unius hominis, confessoris inquam, pudore, uerecundiatq; carnali, non timore dei sincero desinimus peccare, cum deum non ueremur habere teñem conscientia nostræ, neq; ad iudicium eius expauescimus. Quid quod confessione hac auriculari stabili in ecclesia, nihil efficitur aliud, quàm ut præceptum dei uilescat propter traditionem nostram, cuiusd; ipsi deo confiteamur? Quoties enim in memoriam ueniunt peccata, securi illa expectoramus, donec confitendi tempus adueniat. At cum aduenit, quis oro ad confessionem alacri mēte accedit? ludicent ergo prudentes auditores, qualis hæc disciplina sit, & quã deo placere possit.

Quod de absolutione priuata affertur, commentū est humanum *An pro-*
plane: quod nullum in sacris literis uel præceptum uel exemplum *pter priua-*
habet. Reuera à peccatis à pœna & à culpa nemo absoluit, nisi so- *tam absoluta*
lus deus, cuius solius est hæc gloria. Minister euangelica prædica- *tionem recõ-*
tione uel consolatione annunciat & testificatur credenti peccata esse *nenda aurã*
remissa. Hæc ergo condonationis prædicatio ex ore uel uerbo dei *cularis corp-*
petita, absolutio est, qua minister absoluit. Nec redditur hæc effica- *fectio.*
cior, si eam priuam infuset minister peccatori in aurem. Publica
euangelij prædicatio, ab ipso Christo domino sic instituta, satis facit

animo fidei, qui non tam respicit ad ministri gestum, quam ad ueritatem eius cuius nomine minister agit. Verū, Si peccator, inquit, priuam ad se dici audiat, Ego te absoluo à peccatis tuis, idq; clauis uirtute, rectius intelligit sibi remissa esse peccata, quam cum in genere prædicatur remissio. Nos uero apostolorum exemplum opponimus, quos cum audissent Hierosolymitani, compuncti corde, dixerunt, Quid faciemus uiri fratres? Respondit Petrus, Respicere, & baptisetur unusquisq; uestrum sub nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum, &c. Et accesserunt illo die animæ circiter ter mille. At quis non intelligit tantæ multitudini simul & baptismum esse collatum & uniuersaliter prædicatam remissionem peccatorum, nõ autem singulis in aurem insusurratum, Remittuntur tibi frater peccata tua? Ac reuera potest uir religiosus ueram in Christum fidem, per quam remissio peccatorum confertur, non minus solide discere ex publica prædicatione euangelij, quam ex huiusmodi susurris. Præsertim cum prædicatio publica præceptum dei habeat: susurratum contra non item: deniq; cum euangelium dei uel publice prædicatum gratiam singulis applicet, sed & sacramenta testificentur remissionem peccatorum, & dona cœlestia esse singulorum credentium in Christum. Hæc non dico, quod iniquum putem, si ita casus ferat, priuam uni aut alteri prædicare euangelium, aut uerbis Christi promittere remissionem peccatorum credenti: sed contra illos disputo, qui arbitrantur publicam et generalē (ita ut & ab apostolis usurpata est) prædicationē, omnibus singulisq; annunciantem fidelibus peccatorum remissionē, minime sufficere, nisi peccator accedens ad sacerdotem, peccata sua confiteatur, & ab eodē priuam & petat & accipiat singularem absolutionem. Nã propter illā priuam absolutionē, censent retinendam confessionem priuam uel auricularem.

Sed nolimus, aiunt, ut omnia uel singula recitentur peccata cum suis circumstantijs. Quid tum postea? Quis obsecro iussit uel aliqua in aurem sacerdotis peccata insusurrare? Primitiua ecclesia, nec pau restatur ante Innocentium eius nominis tertium, non habitos pro hæreticis, qui affirmarunt confessionem soli deo, sacerdotibus præteritis, factam, sufficere fidelibus: cæterum post decretum ab illo & dictum de confessione, etiam proprio sacerdoti faciendam, hæreticos iudicari, docentes soli deo confiteri. Quasi uero Innocentius potuerit nouum condere fidei dogma, quo caruit ecclesia annis à Christo 1200, & amplius. Si itaq; isti qui ante Innocentium uixerunt omnes subterfugerunt hæreseos iudicium: si Nectarius cum Constantino

tinopolitana ecclesia non dānatus legitur, propter exhomologesim abrogatam eiectāq; ex ecclesia, quæ tamen auriculari cōfessione uidentur fuisse præstantior multo: nemo pius haud dubie cōdemnabit nos, qui faremur diuinitus institutā confessionē, quæ fieri solet deo & proximo: duntaxat autē explodimus arcanā illam auricularemq; confessionem, utpote plus incommodorum ecclesiæ dei afferentem quàm honestæ commoditatis.

Et quia hæctenus de Confessione auriculari arcana hæc diximus, *De satisfactioe operum.* cui tractatio de Satisfactione adhæret, dicerē non nihil & de hac uel ex necessitate, nisi de ea, quantum satis est, differuissem in alijs Sermonibus huius operis, uelut Decad. 1. Ser. 6. & 9, item in Decad. 3 ubi disputo de afflictionibus sanctorū, item eiusdē Decad. Ser. 10. & Decad. 4. ubi tracto euangeliū. Docent Sacerdotes & Monachi, nō satis esse ad expiationē peccati pœnitentiā & fidē in Christum, nisi accedat & satisfactio nostrorū operū: quæ cōmemorant, saccū, ieiunia, lachrymas, preces, elemosynas, oblationes, corporis afflictiones uarias, passagia, & his similia permulta. Nā his pœnā peccatis (quorum culpā duntaxat condonatā aiunt) debitā, ceu nimbo effuso deleri affirmant. At nos docuimus ex scripturis canonicis, deū non tantū culpam peccatorū, sed & pœnā condonare gratis. Docuimus homines non per opera & merita sua iustificari, sed mera dei grātia per fidem Iesu Christi. Alioqui enim frustra carnē induisset, & in mortē crucis acerbissimā sese tradidisset Christus. Iam addimus, Si non per opa iustificamur: ergo nec operibus nostris satisfacimus pro peccatis. Nā quod summā animet (discrimē interim aliquod agnosco, non utrāq; confundo) in idem recidunt iustificatio & satisfactio. Iustificatione Christi absoluihur. Satisfactioe Christi absoluihur, uel potius propter ipsam absoluihur. Christus est iustitia nostra: ergo & satisfactio. In Christo est redēptionis pretiū, non in nobis. Si p nobis ipsis satisfacimus, pretiū redemptionis est in nobis ipsis. Sumus ergo ipsi nobis ipsis Christi & saluatores. Id quod Christū abolet, et iccirco extreme blasphemū est. Moses in sua lege nullo negotio omnia de satisfactione operū nostrorū argumenta dissoluit. Describens enim formam expiandi peccata, nihil in hominū opibus constituit, sed totum in sacrificijs. Atqui his unicū Christi sacrificiū præfiguratū esse, concedes faremur oēs. Huic accedit quod unica noui testamenti prædicatio & pmissio illa est, Placatus ero super iniustitijs eorū et peccatis, ac iniquitatū eorū nō recordabor amplius. Vbi autē talis est remissio, ibi nulla est oblatio uel satisfactio pro peccato. His adde quod credimus remissionem peccatorū. Si uero debitor creditori satisfacit,

DE POENITENTIA.

quid hic oro remittit? Articulus ergo hic fidei & primaria promissio
& prædicatio testamenti noui subruitur doctrina de Satisfactionibus
nostrorum pro peccatis operum.

Deus affligit eos quibus peccata remissa. Agnoscimus lachrymas, ieiunia, faccū, eleemosynas, & alia pietatis, humiliationis, charitatisq; opera suum locū habere in pœnitentiā. De qua re dicitur suo loco, sed his satisfieri, p peccatis negamus mortalicubi dominū de ijs sumpsisse supplicium uel pœnā quibus peccatū cōdonarat, ut de Adamo et Eua patribus nostris, ac de Dauide rege adultero & parricida. Sed demonstrauius afflictiones illas nō fuisse satisfactiones p peccatis, quæ condonarat deus, sed exercitia disciplinæ & humiliationis dei, reinentis sic suos in officio, declarāsisq; omnibus q̄ odiat scelera, licet ipsa cōdonet gratis. Ergo ne ppter grauitam remissionem ad peccandū faciles simus, supplicia itrogat eis quos nobis statuit exēpla. Neq; legimus sanctos afflictionibus suis simpliciter tribuisse iustificationis aut satisfactionis beneficiū. Cōsiliū quidē dat ppheta Daniel potentissimo regi Nabuchodonosori, & ait, Peccata tua in iustitia redimantur, & iniquitates tuæ in misericordia pauperū. Sed ita futuræ regis uitæ, & administrationi regni, præceptū datur. Oppresserat hæctenus multas gētes rex, & peccarat immisericordia: suadet ergo ut uitæ genus pristinum mutet, & iustitiam colat, beneficentiāq; præster omnibus. Proinde nō loquitur de satisfactiōe p peccatis apud deū, sed apud hoies. Nō enim est in alio quoq; salus q̄ in Christo. Quod si quis prinaciter inhereat literæ, dicimus iustitiā Christianorū esse fidem, qua pppie expiantur peccata: si dem autem non esse sine beneficentia uel charitate, cui impprite nubitur iustificatio. De qua re dixi cum disputare de bonis operibus.

Ergo cū S. Petrus ex Solomone pronūciat, Charitas opperit multitudinē peccatorū, opperendi uerbū, nō pro expiandi usurparat: solo enim Christi sanguine expiantur & purgantur peccata, sed pro auertendi. Vt enim sui amor omnium ferē scelerū origo est: ita charitas omnium penē scelerū ppulsatrix creditur. Dilectio enim proximo malum nō operatur. Iam q̄ sententiam euangelicā, ipsa, inquā, saluatoris uerba obijciunt, Remittantur peccata eius multa, q̄niam dilexit multū: non intelligunt q̄n quod ferē redditur per quia, uel quoniam, hic illationis esse notā, nec alium colligi sensum, quā hunc ipsum, Remittantur peccata eius multa, iccirco dilexit multum: uel unde factum est quod diligat multum. Nec torquemus hic uerba euangelica ad sententiam repugnantem. Præcedit enim in historia euangelica, Principio, Cum non essent soluendo, donauit utrisq; Si donauit. Si

uit. Si non erant soluendo: ergo non remisit propter dilectionem. Alioqui soluissent, nec donasset quicquam. Deinde præcedit, Vter horum plus diligit? Ait Simon, Is cui plus condonauit, Respondere ergo dominus aliud nihil potuit, quàm hoc, Plurimum huic mulieri condonauit, ideo dilexit plurimum. Sic, inquam, dilectio est ex remissione, & remissio nequaquam ex dilectione. Imò sequitur protinus, Dixit autem ad mulierem, Fides tua saluam te fecit, uade cum pace. Concludimus ergo, unicam modo esse satisfactionem pro peccatis totius mundi, Christum utiq; oblatum pro nobis, qui fide eius effici mur participes.

Quemadmodum uero Satisfactiones sacerdotum & monachorum doctrina nobis obrutas non agnoscimus, ita Indulgentiarum doctrina nobis obrutas non agnoscimus, ita Indulgentias pontificias modis omnibus detestamur. Appellarunt isti Indulgentias beneficam criminum condonationem & remissionem uel culpæ, uel pœnæ, uel utriusq;: nimirum ex potestate clauium collata à domino: & propter meritum sanguinis martyrum (ita enim loquuntur) concedenda rite contritis & confessis. Solent enim indulgentes patres rigorem & seueritatem satisfactiōis suo impostam arbitrio, suis illis indulgentijs rursus remittere. Reuera sicut ille dixit, Blandi patrum segnes reddit indulgentia natos: ita indulgentiæ ueram pœnitentiam corruperunt. Nullibi uero legas pontificibus talem clauium potestatem esse collatam, qualem isti fingunt. Legimus quidē apostolis clauis datas esse à domino: sed hæc aliud nihil sunt quàm ministeriū prædicandi euangelij. Quod suo loco demonstrabimus. Euangelium autem promittit nobis remissionē pœnæ & culpæ propter Christum fidemq; in ipsum. Hoc ipsum admonet, uenturos in fine sæculi homines qui dicturi sint, Nos sumus Christi, id est, qui ea sibi ipsi tribuant quæ solius sunt Christi, qualis præcipue est peccatorum remissio. At ab his fugere, eosq; ueluti seductores modis omnibus cauere præcipit. Eadem ueritas euangelica docet fideles hominibus sanguine filij dei mundari. Indulgentiæ illorum promittunt hominibus emundationem per sanguinem S. Petri & Pauli beatorumq; martyrum. Sunt ergo prophanatio sanguinis filij dei, Sancti lauant stolas suas in sanguine agni, non in bulla uel arca indulgentiarum, non in sanguine martyrum. Imò negat ipse Paulus, nec se, nec Petrum, nec ullum alium sanctorum pro ecclesia dei crucifixū. Indulgentiæ uero ita proponuntur nobis, ut uideatur deus nobis propter sanguinem martyri placatus esse. Pugnans ergo indulgentiæ cum scriptura apostolica. Monui autem in Sermone de Bonis operibus in his Pauli uerbis, Suppleo in corpore meo, ea quæ supersunt pas-

tionibus Christi, pro corpore eius, quod est ecclesia, supplementum illud non referri ad opus expiationis Christi, quod consummatum est, nisi falsum testificatus sit ultimum exhalans spiritum, dicens, Consummatum est, sed ad eas afflictiones quibus Christi membra, id est fideles, exercetur cruce, quoad uiuunt, in hac carne. Certe dominus afflictiones illatas fidelibus habet pro suis. Dixit enim Paulo, Saule Saule, quid me persequeris? Præterea cum dicit, Pro ecclesia, non intelligit pro expiatione ecclesie, sed pro ædificatione atque profectu. Et graues à Iudæis persecutiones sustinuit Paulus quod Gentibus prædicaret euangelium. Sed & exemplum rarissimæ patientiæ in ipso ecclesie exhiberi oportuit. Quid quod iam dudum ab alijs obiecta est Indulgentiarum assertoribus pia hæc beati Leonis Papæ sententia ex epistola 81. Quamuis multorum sanctorum in conspectu domini mors pretiosa fuerit, nullius tamen fontis occisio propitiatio fuit mundi. Item, Accepere iusti, non dederunt coronas: & de fortitudine fidelium nata sunt exempla patientiæ, non dona iustitiæ. Singulares quippe eorum mortes fuere: nec alterius quispian debium suo sine persoluit, cum unus exiit dominus Christus, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, sepulti, suscitati. Hæc ille. Diuino ergo & humano testimonio euicimus euidentissime, indulgentias collatas peccatoribus ex merito vel thesauro sanguinis martyrum, meras esse in deum blasphemias & apertas in beatos martyres iniurias.

*Sanctorum
martyrum
passio non
est nostra
redemptio.*

Nundinatio facta.

Dixi hæctenus de Indulgentijs gratis quondam collatis à pontificibus, quamuis hæc sint hodie raræ & prætenues: dicam modo paulula de Indulgentijs quas longe maiore parte diuendunt. Vendere indulgentias nepharium est in ecclesia dei facinus, quo non multa inuenias atrociora. Arqui hoc uulgare est, & fuit iam annis multis Romanis Pontificibus & ipsorum nuncijs, quos appellarunt apostolicos. Nec habent ex scripturis sanctis uerbum quod prætexant facinori nephandissimo. Et ut iam non cõmemorem quod Indulgentiæ nihil sunt nisi nomen sinere, quodq; eo nomine sæde imponitur miseris mortalibus: certe Christus summus & unicus ecclesie sue catholicæ sanctæq; pontifex, in diebus carnis sue, uendentes & ementes flagello, ceu impudentes è templo dei canes, exiurbauit. Idq; fecit bis. Semel in principio concionis uel prædicationis sue: iterum autem sub sinem ferè. Principio hæc addidit uerba, Auferte ista hinc, nec facite domum patris mei, domum mercatus. Posterius adiecit hæc, Scriptum est, Domus mea domus orationis uocabitur: at uos fecistis illam speluncam Iaronum. Iam uero Simon magus in Actis apostolorum uidens quod per impositionem manuum apostolorum daretur:

retur spiritus sanctus, obtulit eis pecunias, dicens, Dare & mihi potestatem istam, ut cuiuscumque imposuero manus, accipiat spiritum sanctum. Audi uero quomodo hanc petitionem ab ipso exceperit Petrus, Pecunia tua, inquit, tecum sit in perditionem: quoniam donum dei existimasti pecunijs parari. Non est tibi pars neque fors in ratione habenda. Cor enim tuum non est rectum coram deo. En dona dei non parantur pecunijs. En cor eorum non est rectum, qui negotiationem exercent in rebus religionis. En non habent sortem ullam in regni caelorum hereditate, uel in euangelica ratione. Quid ergo iam dicemus de Indulgentijs, quas redemptum uenales exponunt nuncij apostolici? Quid dicemus de ipsis nuncijs, & nuncios mittere Papa? Socios uidelicet esse Simonis, non Petri, sed magi. Petrus enim, ex iusta dei sententia, talibus maledixit. Pecunia, inquit, uestra, uobiscum sit in perditionem. Grauissimum & horrendum, sed iustissimum est hoc dei iudicium. Idem apostolus Petrus prauidens tales in ecclesia aliquando futuros mercatores, in epistola sua posteriore, Fuerunt, inquit, et pseudoprophetae in populo, quemadmodum & inter uos erunt falsi doctores, qui clam inducent sectas perniciosas, etiam dominum qui illos mercatus est, abnegantes sibi celerem interitum, & plerique sequentur illorum exitia, per quos uia ueritatis blasphemabitur: & per avaritiam factitij sermonibus de uobis negotiabuntur. Quid enim est factitij sermonibus per avaritiam negotiari, lucrumque facere ex misera plebecula, si hoc non est, quod autem isti se plenariam peccatorum remissionem conferre confessis & contritis? Si enim quis agnoscat peccata sua & uera fide conuertatur ad deum per Christum, etiam sine istorum indulgentijs consequitur plenariam peccatorum condonationem. Fucum ergo faciunt simplicibus uersutissimi, et pro pecunia diuendunt quod nunquam habuerunt, neque ulla pecunia unquam comparari potest. Et haec de Indulgentijs illis hucusque. De quibus alij disputarunt copiosius. Ego ex paucis illis arbitror quemuis nullo negotio intellectuum quid de eis iudicet.

Enaui gauimus tandem ex cautibus illis scopulisque, quos eam ob causam accessimus, ut omnia perlustrantes loca periculosiora, admodum imperitiores ne impingant alicubi, faciantque naufragium, existimantes in illis esse neruos poenitentiae ueros, in quibus plurimum est diuinae offensionis. Relictis ergo illis, redimus ad illustrandum postremum poenitentiae membrum, quo commemorauimus poenitentes ueterem hominem mortificare, spiritualiter autem innouari. Ante omnia ergo dicendum esse uideatur, quis sit uetus homo, quod homo nouus uel regeneritus, quae sint hominis uires. Deinceps enim rectius intellige-

Vetus ho- mus quid sit mortificare uterem hominē, quid renouari spiritu. Ve
Nouus ho- terem hominē totū hoc esse dicimus, quod habemus ex natura, uel
mo. ab ipso primo parente nostro, nō corpus duntaxat intelligentes, uel

Caro.

bus potentijs uel facultatibus. Ergo dū alicubi in sacris literis Caro
 ponitur pro homine, non intelligere licet tantū corporis partem cras
 siorem, sed iunctam simul cum anima, eiusq; facultatibus, hoc est to
 tum nondum regeneratū hominem. Dominus enim in Euangelio,
 Quod natum est, inquit, ex carne caro est: & quod nascitur ex spiritu
 spiritus est. Atq; hæc quidem profert de hominis renascentia, quæ nō
 fit secūdam carnē (uti falso imaginabatur Nicodemus) sed secūda
 spiritum. Caro ergo comprehendit naturales animæ uires siue po
 tentias, adeoq; totum illud quod ab Adamo parente omnium no
 strum habemus. Nouus homo dicitur regeneratus per spiritum dei
 in Christo, uel reformatus ad imaginem Christi, cum omnibus spi
 ritus diuini donis & uirtutibus. Alicubi & ferè in antithesi signifi
 catur idem per uocabulum Spiritus, Atq; hic locus requirit disticta
 tionem de Viribus hominis. De quibus etiam si disputarim nō nihil
 in Sermone de Libertate & Seruitute, item de Peccato, proferam ta
 mēn hic quæ præsentī causæ putauero sufficere.

*De uiribus
 hominis.*

Sunt duæ animæ nostræ partes, uel facultates, Intellectus & Vo
 luntas. Intellectus discernit inter obiecta, quid recipiendum, quidue
 repellendum sit: & est quasi animæ lumen & dux. Voluntas eligit.
 Habet enim uelle & nolle: quæ rursus ab alijs impelluntur faculta
 tibus uel uiribus. Porro intellectus duplex est. Vel em̄ intelligimus
 terrena, uel cœlestia. Terrena uoco quæ non ad futuram, sed præsen
 tem uitam pertinet: quo referimus artes liberales & mechanicas, po
 litiam & œconomiam. Per res cœlestes intelligo ipsum deum, felicia
 tatem & uitam æternam, dei cognitionem & omnis generis uirtu
 tes, fidem, spem, dilectionem, iustitiam, sanctimoniam, innocētiam.
 Iam uideamus quid possit intellectus hominis. Rerum terrenarum
 iudicium uel intelligentia non omnino nulla est in homine, sed ea
 tamen ualde imbecillis ac infirmata. Quæ ergo est in homine, à deo
 est: quod imbecillis est, ex hominum uitio & corruptione est. Auget
 autem dona sua hominibus beneficus dominus, quo fit ut admiran
 da efficiat hominis ingenium. Ob quam rem legimus in sacris liti
 ris & artes & ingenia hominum subijci deo. In rebus autem cœles
 tibus cognoscendis prorsus caligat per se humanum ingeniu, acu
 tissimum quidem à deo conditum ab initio, sed parentis nostri cul
 pa prorsus uitiatum, Ideo enim dixit in euangelio Christus, Nemo
 uenit

Intellectus

uenit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Est scriptum in prophetis, Erunt omnes docti à deo. Et Paulus, Animalis homo, ait, non accipit ea quæ sunt spiritus dei: stultitia siquidem illi sunt, nec potest cognoscere quod spiritualiter diudicantur. Animalis, id est uetus ille homo nondum spiritu dei regeneritus, non est truncus carens omni sensu. Nam si omni careret rationis discursu, quomodo stultitia uideretur doctrina euangelica? Audit ergo & intelligit ex dono dei uerba & sensum scripturæ diuinæ; sed propter corruptionem non afficitur ijs, non recte iudicat de ijs, stultitia ipsi uidentur, necdum percipit illa spiritualiter diudicari oportere: quia nõdum regeneritus est, spiritusq; dei uero lumine adhuc destituitur. Alibi idem apostolus, Non idonei sumus, ait, ex nobis ipsis, cogitare quicquam, tanquam ex nobis ipsis, sed omnis idoneitas nostra ex deo est. Ideoq; tam frequens est in scripturis mentio illuminationis. id quod sine causa fieret, si per se lucidus & non tenebris obscuratus esset hominis intellectus. Proinde congenita est omnibus hominibus cæcitas cordis, uel mæris, dubitatio in promissis dei, incredulitas & peruersissimum in omnibus cœlestibus rebus iudicium. Licet enim intellectum acceperit homo à deo, propter corruptionem tamen ignorantia hominis peculiare ac proprium est. In suo enim regno uersatur cum cæcurit, errat, dubitat nec credit, nec donis à deo concessis bene, hoc est ad salutem suam & gloriam dei utitur.

Videamus iam quid possit Veteris hominis uoluntas. Ea cum se *Voluntas.* quatur ducem cæcum, hoc est intellectum corruptissimum, nemini obscurum est quid eligat, aut quo perueniat. Et ut maxime uerum & bonum intelligat, atamen uoluntas nauiculæ instar ui procellarum, id est affectuum, agitur. Rapiatur enim sursum & deorsum, spe, metu, libidine, dolore, indignatione, ut non nisi pessima quæq; & deligat & sectetur. De se enim ipso S. Apostolus loquens, Noui, inquit, quod non habiet in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam uelle adest mihi, at ut faciam bonum non reperio. Non enim quod uolo, facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago. Si uero hæc de seipso iam utiq; regenito prædicat apostolus Paulus, quid obsecro dicemus de Voluntate ueteris hominis? Vult is omnia quæ deus nõ uult, perq; omnia scelerum genera grassans, scdam suam explet libidinem: hoc est, præbet membra sua serua immunditiæ & iniquitatis, ad aliam atq; aliam iniquitatem. Exempla plurima exhibent nobis cum sacræ literæ tum experientia quotidiana.

Opponamus his modo nouum hominem. Hic est spiritu dei per *De Novo* fidem Iesu Christi regeneratus. Est autem regeneratio, innouatio *hominis*

regenera-
tione.

hominis, qua per spiritum sanctum in fide Iesu Christi, qui fuerat
 mus filij Adæ & iræ, renascimur filij dei, & proinde deponimus in
 diem ueterem hominem, nouumq; induimus, qui intellectu &
 uoluntate deo libere seruit. Regeneratio hæc animi non corporis
 renouatio est: quemadmodum alibi audiuius ex 3. cap. Ioannis.
 Author regenerationis est spiritus sanctus cœlitus homini dona-
 tus. Homini autem fideli. Datur enim donum spiritus sancti pro-
 pter Christum, & credentibus in Christum. Hic dei spiritus testatur
 unâ cum spiritu nostro, quod simus filij dei, & iccirco hæredes. Su-
 mus ergo noua creatura, reparati iam ad imaginem dei, præditi no-
 uo ingenio: quo fit ut in diem ueterem illum hominem depona-
 mus, nouum uero induamus: quod fit dum ambulamus, non pro
 ingenio carnali in concupiscentijs carnis, sed in nouitate sensus pro
 ingenio sancti spiritus, per quem sumus regeneriti. Manet eadē quia
 dem in nobis corporis substantia & forma, animus mutatur, inno-
 uatur intellectus et uoluntas. Nam per spiritum dei illuminatur in-
 tellectus, confertur fides simul & cognitio uera dei, omniumq; res-
 rum cœlestium, pelluntur autem incredulitas, ignorantia, hoc est te-
 nebrę ueteris hominis, iuxta illud apostoli, Per Christum estis in om-
 nibus ditati, in omni sermone & cognitione. Item, Nos nõ spiritum
 mundi accepimus, sed spiritũ qui est ex deo, ut sciamus quæ à Chri-
 sto donata sunt nobis. Et iterum, Nos mentem Christi tenemus.
 Rursus, Non necesse habetis ut quisquam doceat uos: sed sicut ipsa
 unctio docet uos de omnibus & uerax est, manete in ea. In hac ho-
 minis regeneratione accipit & uoluntas uirtutē cœlestem efficiendī
 bonum quod intellexit per spiritum sanctum, ut uelit & eligat ope-
 returq; bonum quod deus ostendit, nolit, odiat & repellat malum,
 quod deus prohibuit. Paulus enim, Noui humiliari, ait, noui & ex-
 cellere. Omnia possum per Christum, qui me corroborat. Et iterum
 ad Philipp. Vobis donatum est, ait, pro Christo non solũ ut in eum
 credatis, uerũ etiam ut pro illo patiamini. Rursus & multo clarius,
 Deus est is qui agit in uobis, & ut uelit, & ut efficiatis, pro bono
 animi proposito. Cæterum quod faciunt spiritu dei renati, libere nõ
 coacte, non inuite faciunt. Nam sicut hilarem daronē requirit deus:
 ita ubi spiritus domini est, ibi libertas est. Et Zacharias pater diui ba-
 ptistæ, Vt sine timore, inquit, de manu inimicorum liberati seruire-
 mus ipsi, in sanctitate & iustitia coram ipso, cunctis diebus uitæ no-
 stræ. Quin ipse in euangelio dominus noster dicit, Si manseritis in
 sermone meo, uere discipuli mei estis, & cognoscetis ueritatem, &
 ueritas liberos reddet uos. Item, Si uos filius liberauerit, uel liberos
 reddi

reddiderit, uere liberi eritis. De hac filiorum dei libertate disserui Ser-
mo. 9. Decad. 3.

Hanc libertatem filiorum dei libenter agnoscimus: superbas quo-
rundam disputationes de libero arbitrio, quasi rerum cœlestium ali-
quid ex nobis ipsis possimus, non agnoscimus. Interim hominem
non subicimus fatali necessitati, neq; culpam mali retorquemus in
deum. Sicuti alicubi declarauimus copiosius. Et S. Augustinus in cer-
tamine contra Pelagianos disputationē suam sic temperauit, ut gra-
tiæ diuinæ bonum tribuerit, malum uero nostræ naturæ: adeo ut li-
berum arbitrium, quod nobis (sensu non abrupto, sed expenso &
sano) concedit, gratiæ in nobis operanti, imò regenerationi (spiritus
magis, quàm nobis ipsis tribuerit, Proferā ac recitabo hic C. V. unicū
modo ex libris eius testimoniū. Id est tale, De Correptione & gratia
cap. 1. dicit, Liberum arbitrium & ad malū & ad bonum faciendū,
constitendum est nos habere: sed in malo faciendo liber est quisq; ius-
titia seruusq; peccati: in bono autē liber esse nullus potest, nisi fue-
rit liberatus ab eo qui dixit, Si uos filius liberauerit, tunc uere liberi
eritis. Nec ita ut cum quisq; fuerit à peccati damnatione liberatus,
iam non indigeat sui liberatoris auxilio: sed ita potius ut ab illo au-
diēs. Sine me nihil potestis facere, dicat ei & ipse, Adiutor meus esto:
ne derelinquas me. Hanc FIDEM quæ sine dubio **VERA & pro-**
phetica & apostolica fides est, etiam in fratre nostro Floro inuenisse
me gaudeo. Intelligenda est enim gratia dei per Iesum Christū do-
minum nostrum: qua sola homines liberantur à malo, & sine qua
nullum prorsus siue cogitando, siue uolendo & amando, siue agen-
do faciunt bonum. Non solum ut monstrante ipsa quid faciendum
sit sciant: uerum etiam ut præstante ipsa, faciant cum dilectione quod
sciunt. Et quæ sequuntur. Hactenus enim recitauimus S. Augustini
sententiam de libero hominis arbitrio, de quo hæc obiter dixisse sa-
tis est: redeo iam ad institutum nostrum.

Audinimus quis sit uetus homo, quis nouus, & quomodo reno-
uemur per spiritum: iam ergo cum dicimus pœnitentes ueterem ho-
minem mortificare, & spiritu uel spiritualiter innouari, nihil aliud
dicimus q̄ pœnitentes omnes affectus, sensus uel cupiditates carnis,
ipsum, inquam, intellectum quem habemus ex ueteri Adamo, unā
cum uoluntate, non tantum suspectum habere impietatis, sed conui-
ctum quoq; ideoq; in gerendis rebus, in omnibus cogitationibus,
dictis & factis, nusquam admittere in consilium, sed oppugnare &
iugulare studio pperuo: è diuerso omnibus consilijs, dictis & factis
nostris adhibere uel admittere, precibusq; uocare magistrum illum

*Que &
qualis sit
in homine
libertas.*

*Quomodo
mortifice-
tur homo
uetus, repa-
returq;
spiritus.*

DE POENITENTIA.

cœlestem Christi spiritum, cuius magisterio & ductu, sentiamus, in
dicemus, loquamur, operemur, id est, uel omitamus uel faciamus,
quod in archetypo nostro, ad cuius imaginem reformari oportet, di
dicimus, ut porro studeamus sanctimonix, iustix, beneficentix &c.
Sed hoc totum intelligemus adhuc rectius & clarius ex uerbis apo
stoli dicentis, Hoc dico & testor per dominum, ne posthac ambule
tis, quemadmodum & reliquæ gentes ambulant in uanitate men
tis suæ, dum mentem habent obnebratam, ab aliena à uita dei,
propter ignorantiam quæ est in illis, & excecatione cordis eorum,
qui posteaquam peruenerunt eo ut dolere desierint, semetipsos de
diderunt lasciuix, ad patrandum immundiciam omnem cum auidi
tate. Vos autem nõ sic didicistis Christum, siquidem illum audistis,
& in eo docti fuistis, quemadmodum est ueritas in Iesu, deponere
iuxta priorem conuersationem ueterem hominem, qui corrumpitur
iuxta concupiscentias erroris: renouari uero spiritu mentis uestræ,
& induere nouum hominem, qui iuxta deum conditus est per iustia
tiam & sanctitatem ueritatis. Et reliqua quæ leguntur ad Ephes. 4.
cap. Idem apostolus ad Coloss. 3. cap. Mortificate, inquit, membra
uestra terrestria, stuprum, immundiciam, mollitiem, concupiscentia
m malam & auaritiã, quæ est idololatria, ob quæ uenire solet
ira dei in filios intractabiles: inter quos ambulabatis quondã cum
uiuieris in his Nunc autem deponite & uos omnia, iram, indigna
tionem, malitiam, maledicentiam, turpiloquentiam ab ore uestro:
ne mentiãmini alijs aduersus alios, posteaquam exuistis ueterem ho
minem cum factis suis, & induistis nouum, qui renouatur ad agni
tionem & imaginem eius qui condidit illum, Sitis igitur indui tan
quam electi dei, sancti accilecti uiscera miserationum, comitatem,
modestiam, mansuetudinem, lenitatem, sufferentes uos inuicem, &
condonantes uobis mutuo, si quis aduersus aliquem habuerit que
relam, Et reliqua. Quibus si adijcias eiusdem apostoli disputata de
eadem causa in 6. cap. ad Romanos uiuidiora erunt singula.

*De dignis
pœnitentiæ
fructibus.*

Hæc uero apostoli uerba erudiunt nos non tantum quis sit ho
mo uetus, quis nouus, quid sit mortificare ueterem hominem, &
quomodo pœnitentes reparentur nouitate spiritus seu mentis: sed
etiam qui nam sint digni pœnitentiæ fructus, nimirum recitata uir
tutes illæ, uel officia illa uitæ erga deum & erga proximum, &
debemus deo timorem sue reuerentiam, humiliationem, agnitionem
nostri, fidem, spem, odium peccati, & iustitiæ studium, proximo cha
ritatem seu beneficentiam innocentiam &c. Huiusmodi fructus à
gente Iudaica postulauit beatus Ioannes Bapista, cum dixit, Facite
fructus

fructus qui pœnitentiam deceant. Nam apud Lucam rogatus à plebe, à publicanis & à satellitibus uel stipendiarijs, prædicatorijs uel militibus, quid ipsi pœnitentia dignum faciant, non aliud quàm quod modo diximus præscribit. Nam dominus ipse per Isaiam in 5. cap. non alios cõmemorauit fructus, Et in Reuelatione sua S. Ioanni facta, Memor esto (loquitur autem ministro ecclesiæ Ephesinæ) unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Cum quibus congruunt hæc Pauli apostoli uerba coram Agrippa dictis, Prædicauit Iudæis & gentibus, adhortans ut pœnitentiam agerent, & cõuertentur ad deum, opera facientes digna ijs qui resipuissent. Ac idem in 2 ad Corinth. 7. cap. Tristitia, inquit, quæ secundum deum est, pœnitentiam ad salutem non pœnitendã efficit. Ecce enim hoc ipsum quod secundum deum contristati estis, quantum produxit in uobis studium? Imò defensionem, imò indignationem, imò timorem, imò desiderium, imò zelum, imò uindictam? Est autem studium diligentia accuratissima corrigendi quod peccatum est. Certe ex incuria & socordia exoritur peccandi assuetudo & securitas. Descendunt pœnitentes non sua peccata, sed apologia utuntur erga deum deprecatoria. Hypocritæ se excusant & tergiuersantur, neq; peccata ingenue agnoscentes, neq; culpam deprecantes. Quem uere pœnitet, excandescit in semetipsum propter consceleratos mores uitamq; turpiter transactam. Vindicta quã in se exercet affligendo semetipsum, præuertit imminetentem dei iram. Porro timore cauet sibi ne peccet in posterum. Nam contemptus numinis, est origo omnium scelerum, & vinculum uitæ impœnitentis. Dei quoq; cœlestiumq; rerum desiderio rapitur qui uere pœnitet: inardescit zelo, quo fit ut nec cõstetur, nec frigide aut segniter agat quod agendum sibi ex uerbo dei didicit. Breuiter quod agit, ex animo intimisq; uisceribus agit. Sic enim dicit magnus dei propheta Moses, Si conuersus fueris ad dominum deum tuum & uoci eius obedieris toto corde tuo & tota anima tua: conuertet quoq; dominus deus tuus captiuitatẽ tuam, & intimis uisceribus miserationis afficietur erga te. Hæc de pœnitentiæ fructibus.

Ex illis omnibus hoc quoq; colligimus, pœnitentiam (cuius unicus scopus est, imaginis dei, olim per Adamum defœdatæ, noua per spiritum Christi reparatio in nobis) non paucorum dierum aut certi temporis opus esse, sed totius uitæ nostræ custodiam perpetuam, adeoq; in nouationem quotidianam. Nam regenerati sancto dei spiritu, nunquam sic purgantur, ut nihil carnis uel peccati affectuumq; sentiant. Semper obuersatur oculis sanctorum hæc nunq; expectoranda beatissimi Pauli sententia, Noui quod non habet in

*Pœnitentia
totius uitæ
& omnium
temporum
opus est.*

me, hoc est, in carne mea bonum. Nam uelle adest mihi, at ut faciam bonum non reperio. Non enim quod uolo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago. Circūferimus enim reliquias carnis per omnem uitam. Vnde est in sanctis bellum perpetuum, infensissimumque. Partim enim obtemperat spiritui, partim labefactantur à carne. Spiritu eriguntur sursum in contemplationem & desiderium rerum celestium. Carne uero deprimuntur in terrena, sollicitanturque illecebris huius sæculi. Ideo enim apostolus dixit, Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc autem inter se mutuo aduersantur, ut non quæcunq; uolueritis faciatis. Nam & alibi, Idem ego mente quidem, inquit, seruo legi dei, carne uero legi peccati. Equidem accedunt his artes doli & incessabiles mille artificis satianæ tentationes. Labor itaque & periculum uere poenitentis, hoc est Christiani hominis, sic increfcit, ut oratio nostra uix consequatur.

Quæ necessaria poenitentibus,

Quis autem non uideat hic quanta opus sit poenitentibus uigilantia, abstinentia, assiduitate, fortitudine & patientia? Quamuis sit opus precibus, & his quidem ardentissimis & perpetuis: Proponamus nobis in hac difficili pugna strenuissimi pugilis institutionem S. Pauli apostoli. Nā hæc esse poterit uice prolixissimi cōmentarij. Etenim abunde quomodo nos geramus in pugna, & quomodo uincamus, imò & triumphemus, docebit. Sic dicit ad Ephesios, Sitis fortes per dominum frautes, perque potentiam roboris illius. Induite totam armaturam dei, ut possitis stare aduersus assaultus diaboli. Quoniā non est nobis lucta (duntaxat) aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, retores tenebrarum sæculi huius, aduersus spirituales astutias in celestibus. Quapropter assumite uniuersam armaturam dei, ut possitis resistere in die malo, & omnibus peractis stare. Stare igitur succincti lumbos ueritate, indui thoracem iustitiæ, calceati pedes præparatione euangelij pacis, in omnibus, assumpto scuto fidei: quo possitis omnia tela maligni ignita extinguere: & galeam salutis accipite, & gladium spiritus, qui est uerbum dei. Per omnem precationem & orationem omni tempore precantes in spiritu, & in hoc ipsum uigilantes cum omni assiduitate. Et reliqua Ephes. 6.

Externa poenitentiu exercitia, & ritus.

Veniunt ergo hic quoque cōmemoranda externa poenitentia exercitia siue ritus poenitentiales, quibus sese exercet sancti in domanda uel humilianda carne, deinde ad iustificandam ecclesie poenitentia. Hi sunt squalor, lachrymæ, gemitus, saccus, ieiunium, clamor, deploratio, neglectus & odium splendoris, apparatus, & etiam concessio uoluptatis: quæ etsi fiant, non tamen ex animo & ex uera fide fiât, prorsus

profus nihil profunt, Verum præstat hæc discere & quasi in tabula depicta contueri in uerbo dei sincero. Sic dicit Iael propheta, Conuertimini ad me, inquit dominus, in toto corde uestro, ieiunio, fletu & lamento: & scindite cor uestrum, & non uestimenta uestra. Conuertimini autem ad dominum deum uestrum, quia beneficus est, propensus ad misericordiam, longanimis & multæ bonitatis, & qui pœnitentia ducitur super malo. Quis scit si cõuertatur ac pœniteat, & relinquat post se benedictionem. Clangite tuba in Zion, sanctificate ieiunium, indicite cœtum, congregare populum, sanctificate cœtum, congregate senes, colligite puerulos & lactentes ubera, Egrediatu r sponsus de cubiculo suo et sponsa de uelo suo. Inter uestibulum & altare plorent sacerdotes ministri domini, dicentq;: Parce domine populo tuo, & ne permittas ut hęreditas tua probrum fiat, aut ut eis imperitent gentes. Cur dicerent in populis, Vbi est deus eorũ? Hisce diuinis & clarissimis præceptionibus adijciemus modo egregium ex iisdem scripturis Niniuitarum uere pœnitentię exemplũ. De ijs sic reliquit scriptum beatus propheta Ionas, Crediderunt Niniitæ deo, & ieiunio indicto à magno ad paruum usq; saccos induerunt. Peruenit ea res ad regem Niniuiticũ, qui de solio suo consurgens paludamento suo à se posito, saccum induit & in puluere sedit. Ad hæc in tota urbe ex mandato regis publico dicto proclamatum est, Neq; homo neq; iumenta neque greges quicquam gressent, neq; pascantur neq; bibant: quin saccis operiantur et homines & iumenta strenueq; clament ad deum. Conuertatur deniq; quisq; à uia sua mala, & à uiolentia & iniuria quæ est in manibus eorum. Quis scit an conuertatur deus & pœniteat auersus à furore iræ suæ, ut non pereamus, Cæterum præstat audire quàm efficax sit uera pœnitentia. Sequitur ergo in Iona, Vidit itaq; deus opera eorum, quod à uijs suis malis auersi essent, & ipse quoq; ductus est pœnitentia super malo quod eis inferre decreuerat. Non enim inuulit.

Obseruandum est hic quoq; C. V. duplicem esse pœnitentiam, *Priuatam et publicam pœnitentiam.* nempe Priuatam uel occultam, & publicam uel solẽnem. Priuatam quisq; apud semetipsum in occulto agit, quories contra deum peccauit, sed in se inrerim descēdit, lumineq; uerbi dei omnes pectoris sui recessus perlustrat, ac deo confitetur peccata, hunc offensum esse dolet, ad hunc conuertitur, hunc sibi in Christo placatũ credit, propter hunc odit peccatum, & studet iustitiæ & innocentia. Publica uel solennis locum habet in magnis calamitatibus, in fame, lue, uel bello: ac de hac in primis intelligenda sunt uerba Iaelis propheta. Habet tamen priuata pœnitentia multa cõmunia cum solẽni. Petrus enim

*Spontanea
nō extorta
fit poeniten-
tia.*

*Poeniten-
tia uera &
falsa.*

*Felices
sunt poe-
nitentes.*

amare fiet: ieiunant priuatim poenitētes, & abstinent seueriter ab om-
nibus concessis uoluptatibus nedum ab illecebris carnis ac mundi.
Cæterum oderunt in primis fucū, hypocrisim & ostentationem ua-
nam, quoscūq; uel priuatim, uel publice poenitet. Est præterea libera
neq; profecta spiritu. Urget quidem seueriter doctor ueritatis pa-
storq; ecclesiasticus omnes peccatores, ut incunctanter uerā agāt su-
per peccatis suis poenitentiam, sed nemini tamen lege lata imponit
certam formulā præscribentem tempus, modū, locum, numerum, sed
cuicq; libera hæc relinquit, modo secundum præscriptum scripturæ
quisq; quod decet faciat. Publica uero poenitentia ferè indici solet &
recipi ab ecclesia, cum pietas poscit ipsaq; cogit necessitas, ac quid &
quomodo agenda sint omnia unā cum uerbo dei ostendit. Rursus
poenitentia falsa. Veram exercet homo regeneratus per spiritum san-
ctum in fide Iesu Christi, eaq; fucō carer, & habet omnia de quibus
hactenus disserui. Exempla ueræ poenitentia plurima suppeditant
literæ sanctæ cum noui tum ueteris testamenti, quæ & pulcherrime
superiora omnia declarāt. Præclara sunt patris nostri Adami & Eug.
Populi Israelitici Exodi 33. item in libris Iudicum, & in libris Regū.
Excellunt tamen in his Dauidis 2. Samuel. 12. et 1. Para. 27. Manassis
item & Iosifæ 2. Reg. 33. & 34. In euangelio offerunt se exempla Mae-
thæi, Zachæi, Peccatricis, & Petri, ut multa alia taceam. Porro falsa
poenitentia ficto proficiscitur pectore, & quamuis in speciem uideā-
tur habere uera poenitentia attributa, quia tamen carer conuersione
ad deum & bona in eundem fiducia, insincera imò falsa est. Iudæ
enim Ischariotis poenitentiam falsam fuisse longe est certissimum:
attamen confitebatur peccatum, testimonium præbebat ueritati, des-
nitq; pretium sanguinis acceptum à sacerdotibus, iisdem multa cum
indignatione doloreq; restituit; cæterum quando ad Christū se non
conuertit, omni fiducia in eius coniecta misericordiam, nullo cum
fructu poenitentiam egit. Et nullo quidem cum fructu sese exercitiāt:
& poenentiā agunt omnes hypocritæ & fide carentes euangelica.
Felicitissimi autē sunt, qui uere ex animo & ex fide uera agunt poe-
nitentiam. Infinita enim bona accipiunt à deo munificētissimo: qui
redit in gratiam cum poenitentibus, amans iam quos prius propter
uitam consceleratam oderat insensissime sed iustissime. Supplicia
quoq; quæ inferre statuerat, conuertit in munera. Poenitentes enim
bonis omnigenis temporalibus & æternis implet. Intellexit autem
ex alijs Sermonibus C. V. tanta à deo beneficia nobis conferti, non
propter

propter nostra opera pœnitentiæ, sed propter Christum, cui soli fi-
dunt sancti, non operibus pœnitentię, licet sanctissimis. Hunc enim
quia diligit pater, nosq; fide Christo sumus in sui, et nos amat & ope-
ra nostra deo placet, quę cum remunerat, gratiam suam in nobis co-
ronat. Rursus infelicissimos esse necesse est impœnientes. Audiunt *Infelices*
quibus deum delictis & facinoribus offenderunt adq; uindictã pro *sunt impœ-*
uocarunt, sed interim non cogitant quomodo iam iam ad suppliciu *nientes.*
de sonibus sumendum prodeunt deo occurrat, gratiamq; eius im-
petrent. Quid ergo his restat aliud quã certissimum & atrocissimũ
excidium, cum animæ tum corporis, adde & fortunarum, deniq; re-
rum omnium quas in hoc amarũ sæculo. Recordari hic conuenit
grauissimæ sententiæ domini Iesu, in hæc uerba in euangelio pro-
nunciatæ, Væ tibi Chorazin, uæ tibi Bethsaida: quoniam si in urbe
Tyri aut Sidonis factę fuissent uirtutes, quę factę sunt in uobis, olim
in sacco & cinere pœnituisent. Atamen dico uobis, Tyro, Sidoni
& Sodomæ tollerabilius erit in die iudicij quã uobis. Notissima
est omnibus arbor ficus infrugifera, cuius mentio fit in euangelio,
quæ iudicio dei exaruit, nimirum in exemplũ & terrorem omnium
impœnitentium. Quid futurum putamus nostri sæculi hominibus,
tanta cum audacia pœnitentiã tot annis prædicatam contemnen-
tibus? Sunt aliq; quidẽ euangelicæ ueritatis, ut uideri uolunt, studiosi:
sunt aliq; hostes contemptores & persecutores euangelij: inuenias
item ingentem turbam Lucianicorum, Epicureorum & Atheorum:
cũq; omnes ex æquo ferẽ pœnitentiã suauiter, imò perulenter irri-
deant, non possumus aliud quã horrendum dei iudicium contra
huiusmodi impœnientes expectare. Qui sibi consultum uolũt, ma-
ture conuertantur ad dominum, reputentq; secum, non semel, nec le-
uiter, quanta sit iactura retinere hæc fluxa huius mudi gaudia, & in-
terim amittere æterna. Mature faciat quisq; quod uidet fieri eo me-
lius, quo fit citius.

Nolo tamen quẽquam desperare in suis peccatis, modo pœniten *Non despa-*
tiæ medelam non aspernetur pertinaciter, neq; propter facilitatẽ be- *ratur pœni-*
nignitatẽq; patris cœlestis, malitiose et per contemptum pœniten *tenia.*
tiam differat in finem usq;. Si uero carne mundo & sathana præpe-
ditus aliquis, serius mentem pœnitentiæ applicarit, nolo & hũc de-
sperare. Et quoniam dissertationem de pœnitentiã prolixius, quã
putarã, produxi, ut finem sermoni imponã, recitabo iam epilogi
uice aurea plane uerba sancti martyris Christi & episcopi Cartha-
ginensis beati Cypriani, sic cõtra Demetrianum scribentis, Credite
& uiuite, & qui nos ad tempus persequimini, in æternum gaudete

DE POENITENTIA.

Nulla poenitentia
sera.


nobiscum. Quando isthinc excessum fuerit, nullus iam locus poenitentis est, nullus satisfactionis effectus. Hic uita aut amittitur, aut reuenitur. Hic salutis æternæ cultu dei & fructu fidei prouidet. Nec quisquam aut peccatis retardetur aut annis, quo minus ueniat ad conquirendam salutem. In isto adhuc mundo manenti poenitentia nulla sera est. Patet ad indulgentiam aditus: & querentibus atq; intelligentibus ueritatem facilis accessus est. Tu sub ipso licet exitu & uitæ temporalis occasu pro delictis roges deum, qui unus et uerus est, confessionem et fidem eius agnitionis implores, uenia consentienti datur, & credenti indulgentia salutaris de diuina pietate conceditur, & ad immortalitatem sub ipsa morte transitur. Hanc gratiam Christus impartit; hoc munus misericordiae suæ tribuit subigendo mortem tropheo crucis, redimendo credentem pretio sanguinis sui, reconciliando hominem deo patri, uiuificando mortale regeneratione cœlesti. Hunc si fieri potest sequamur omnes, huius sacramēto & signo censeamur. Hic nobis uiam uitæ aperit, Hic ad paradysum reduces facit, Hic ad cœlorum regna perducit. Cum ipso semper uiuemus, & facti per ipsum filij dei, cum ipso semper exultabimus, ipsius cruore reparati. Erimus Christiani cum Christo simul gloriosi, de deo patre beati, de perpetua uoluptate lætantes semper in conspectu dei, & agentes deo gratias semper. Neq; enim poterit nisi & lætus semper esse & gratus, qui cum morti fuisset obnoxius, factus est immortalitate securus.

ELENCHVS RERVM TRACTARVM

tarum in hac Decade 3. & in primis Sermone
nibus duobus Decadis quartæ.

- Expositio brevis, sed clara, trium ultimorū Decalogi
præceptorum.
- De proprietate rerum, de iuste parandis, possidendis,
dispensandisq; facultatibus.
- De calamitatibus miserisq; patienter ferendis.
- De spe & consolatione fidelium.
- De Legibus cæremonialibus.
- De Sacerdotio & ijs quæ pertinent ad Sacerdotium
eorumq; significatione.
- De Tabernaculo, & ijs quæ fuerunt in tabernaculo,
eorumq; significatione.
- De Tempore sacro, seu ferijs populi dei, earumq; si-
gnificatione.
- De Sacramentis Iudaicis, nempe de Circumcisione &
Pascha, eorumq; significatione.
- De Sacrificijs Iudæorum, eorumq; ritibus varijs &
significatione.
- De Votis & Nazareis.
- De mundo & immundo ciborumq; delectu.
- De Legibus Iudicialibus.
- De usu, effectu, & impletione legis.
- De abrogatione legis.
- De Similitudine & differentia ueteris ac noui testa-
menti populiq;.
- De Libertate Christiana, eius abusu, & Scandalo.
- De Bonis operibus, et mercede seu premio bonorum
operum.
- De Peccato & uera eius origine.
- De Peccato originali.

- De Peccato actuali, eiusq; speciebus varijs.
De Peccato in spiritum sanctum.
De iusto certoq; peccatorum supplicio.
De Euangelio. De gratia dei.
Omnes promissiones in Christo esse impletas, quippe
cum ipse sit Messias & plenitudo omnium.
Fide recipi Christum, non operibus.
De Pœnitentia.
De Timore & Dolore pœnitentium.
De Confessione peccatorum.
De Satisfactione pro peccatis.
De Indulgentijs.
De Vetere & Nouo homine, hominisq; uiribus.
De fructibus pœnitentia dignis, & ijs quæ necessaria
sunt pœnitentibus.



ocn 84920213